Sancti Antonii Patavini, o.min.

Sermones dominicales

* PROLOGUS *

1 – Aurum purissimum, ut dicitur in primo libro Paralipomenon, dedit David, ut ex ipso fieret similitudo quadrigae cherubim, extendentium alas et velantium arcam foederis Domini.

2 – Dicitur in Genesi: In terra Hevilath nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est. "Hevilath interpretatur parturiens", et significat Sacram Scripturam, quae est terra primo parturiens herbam, deinde spicam, deinde plenum granum in spica. In herba ALLEGORIA, "quae fidem aedificat": Germinet, inquit, terra herbam virentem; in spica, 'a spiculo dicta', MORALITAS, quae mores informat et sua dulcedine animum transverberat; in pleno grano ANAGOGE figuratur, 'quae de gaudii plenitudine et angelica beatitudine tractat'. In terra ergo Hevilath nascitur aurum optimum, quia ex textu divinae paginae sacer intellectus elicitur. Quia sicut aurum ceteris metallis, sic omni scientiae supereminet intellectus; litteras enim nescit qui sacras non novit. De hoc ergo dicitur: Aurum purissimum dedit David.

3 – 'David interpretatur misericors, vel manu fortis, aut aspectu desiderabilis, et significat Dei Filium, Iesum Christum', qui misericors fuit in Incarnatione, manu fortis in Passione, aspectu desiderabilis erit nobis in aeterna beatitudine. Item, est misericors in gratiae infusione, et hoc in incipientibus, unde dicitur 'misericors quasi miserum rigans cor". Unde dicitur in Ecclesiastico: Rigabo hortum plantationum, et inebriabo partus mei fructum". Hortus est anima, in qua Christus, tamquam hortulanus, sacramenta fidei plantat, quam tunc rigat, cum gratia compunctionis fecundat; de qua adhuc subiungitur: et inebriabo partus mei fructum. Anima nostra dicitur dominici partus, idest doloris, fructus, quia eam, tamquam mulier parturiens, edidit in angustia Passionis: Cum clamore, inquit Apostolus, valido et lacrimis offerens. Et in Isaia: Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Inebriat ergo partus sui fructum, cum, myrrha et aloe suae Passionis, mortificat delectationes carnis, ut anima quasi ebria obliviscatur ista temporalia: Visitasti, inquit, terram et inebriasti eam. Item, est manu fortis, cum provehit de virtute in virtutem, et hoc in proficientibus. Unde dicit in Isaia: Ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, quia ego audivi te. Sicut pia mater parvuli filii, nutantis ascendere, sua manu manum apprehendit, ut post se ascendere

possit, sic Dominus manu pietatis apprehendit manum humilis poenitentis, ut ascendere valeat per scalam crucis ad gradum perfectionis, ut aspectu desiderabilem, regem in decore suo, in quem desiderant angeli prospicere, mereatur cernere. Noster ergo David, Dei Filius, misericors et miserator Dominus, dedit, qui dat omnibus affluenter et non improperat, aurum, idest sacrum divinae Scripturae intellectum: Aperuit illis, inquit, sensum, ut intelligerent Scripturas; purissimum, idest omni faece, omni scoria haereticae pravitatis purgatissimum.

4 – Sequitur: Ut ex ipso fieret quadriga cherubim, 'quae interpretatur plenitudo scientiae, et significat Vetus ac Novum Testamentum', in quo est plenitudo totius scientiae, quae sola scit scire, sola scientes facere; cuius auctoritates sunt quasi alae, quae tunc extenduntur, cum supradicto triplici modo exponuntur; et sic velant arcam foederis Domini. "Arca dicta, quod arceat visum", "vel furem". Arca est fidelis anima, quae debet a se arcere visum superbiae, de quo in Iob: Omne sublime videt, et furem, 'qui a furva nocte dicitur', simulatae sanctitatis, de quo in Psalmo: A negotio perambulante in tenebris. Haec arca dicitur foederis Domini, quia foedus sempiternum iniit cum Domino in Baptismo, scilicet renuntiare diabolo et pompis eius: Iuravi, inquit, et statui custodire etc. Alis cherubim haec arca velatur, cum tam Novi quam Veteris Testamenti praedicatione ab ardore mundanae prosperitatis, a pluvia concupiscentiae carnalis, a fulgure daemoniacae suggestionis protegitur et defenditur.

5 – Ad Dei ergo honorem et animarum aedificationem, et tam lectoris quam auditoris consolationem, ex ipso Sacrae Scripturae intellectu, utriusque Testamenti auctoritatibus quadrigam fabricavimus, 'ut in ipsa cum Elia a terrenis anima elevetur et in caelum caelesti conversatione deferatur'. Et nota quod 'sicut in quadriga quattuor sunt rotae', sic in hoc opere quattuor tanguntur materiae, scilicet evangelia dominicalia, historiae Veteris Testamenti, sicut in Ecclesia leguntur, introitus et epistolae missae dominicalis. Quae ad invicem, prout divina gratia dispensavit et 'pauperculae scientiolae tenuis vena respondit', 'post terga metentium cum Ruth Moabitide, in agro Booz remanentes spicas', cum timore et pudore, quia tanto et importabili oneri insufficiens, sed 'precibus et caritate fratrum, qui me ad hoc compellebant, devictus', colligens concordavi. Et, ne lectoris menti materiae multiplicitas et concordantiae varietas confusionem et oblivionem ingereret, evangelia in clausulis, prout Deus inspiravit, divisimus et unicuique historiae et epistolae particulas concordavimus. Exposuimus evangelia et historias aliquantulum diffusius, introitum et epistolam summatim et brevius sub compendio, ne fastidii dispendium verborum nimietas parturiret. Difficillimum est enim prolixam materiam brevi et utili sermone comprehendere. Ad hoc nostri temporis lectorum et auditorum devenit insipida sapientia, quod, nisi verba polita, exquisita et novum quid resonantia invenerit vel audierit, legere fastidit, audire contemnit. Et ideo, ne verbum Domini, in animarum suarum periculum, eis veniret in contemptum et fastidium, in cuiuslibet evangelii principio PROLOGUM eidem CONSONANTEM praemisimus, et quasdam rerum et animalium naturas et nominum etymologias, moraliter expositas, ipsi operi inseruimus. Omnium etiam auctoritatum huius operis principia, e quibus competenter elici potest thema sermonis, in uno compilavimus; 'et in principio libri loca, in quibus reperiri, et quaelibet cui rei aptari valeant, praenotavimus'. Dei ergo Filio, omnium creaturarum principio, in quo solo istius operis mercedem posuimus et expectamus, sit

omnis laus, omnis gloria, omnis honor. Qui est benedictus, gloriosus, beatus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis Ecclesia: Amen Alleluia

* DOMINICA IN SEPTUAGESIMA *

Themata sermonis

Primum evangelium in Septuagesima: Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, quod dividitur in duabus clausulis. Introitus missae: Circumdederunt me. Epistola: Nescitis quod ii qui in stadio currunt. Historia: In principio creavit Deus caelum et terram. [DE PRIMA CLAUSULA]. In huius evangelii prima clausula haec ad minus invenies themata sermonum vel principia praedicationum. In primis sermo ad informationem cordis peccatoris et de proprietate lateris, ibi: Sume tibi laterem.

Item sermo de septem articulis fidei, ibi: Prima die dixit Deus: Fiat lux. Item sermo in Nativitate Domini, ibi: Prima die dixit Deus: Fiat lux. Item sermo de Baptismo et de eis qui ipsum violant, ibi: Fiat firmamentum etc. Item sermo de Passione Christi et fide Ecclesiae, ibi: Germinet terra etc. DE SECUNDA CLAUSULA. In secunda evangelii clausula, in primis sermo de contritione cordis ad poenitentes, ibi: Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux. Item sermo ad poenitentes, ibi: Ingressus Saul.

Item sermo contra divites, ibi: Dominus paravit vermem. Item sermo ad confitentes, ibi: Fiat firmamentum. Item sermo ad poenitentes vel claustrales, ibi: Quis dimisit onagrum. Item sermo de dilectione Dei et proximi ibi: Fiant duo luminaria. Et nota quod ex hac auctoritate potest elici sermo in festo apostolorum Petri et Pauli. Petrus fuit luminare maius, qui praefuit diei, idest Iudaeis; Paulus luminare minus, qui praefuit nocti, idest Gentilibus. Item sermo ad contemplativos et de proprietate avis, ibi: Homo nascitur ad laborem. Item sermo de duplici glorificatione, animae scilicet et corporis, ibi: Erit mensis ex mense

Exordium. Sermo ad informationem cordis peccatorls

1 – In principio creavit Deus etc. Ezechieli, ‘idest praedicatori’, loquitur Spiritus Sanctus: Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et scribe in eo civitatem Ierusalem. ‘Later, propter quattuor proprietates, quas habet, significat cor peccatoris’: ‘inter duas tabulas formatur’, ad latitudinem ducitur, igne solidatur, rubicundus efficitur. Cor enim peccatoris debet formari inter duas tabulas utriusque Testamenti: Inter medium enim montium, idest duorum Testamentorum, ut dicit Propheta, pertransibunt aquae, ‘scilicet doctrinales’. Et bene dicit formatur: peccator enim, peccato deformatus, formam recipit utriusque Testamenti praedicatione. Item ad latitudinem ducitur: latitudo enim caritatis amplificat cor angustum peccatoris; unde: Latum mandatum tuum nimis, et caritas latior est oceano. Item igne solidatur: tribulationis enim igne mens humorosa et dissolubilis solidatur, ne effluat in amorem temporalitatis, quia, ut dicit Salomon, ‘quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio iusto’. Item rubicundus efficitur: in quo notatur sancti zeli audacia, de quo: Zelus domus tuae, idest Ecclesiae vel fidelis animae,

comedit me, et Elias: Zelo zelatus sum pro domo Israel. In latere ergo quattuor ista notantur: utriusque Testamenti scientia ad proximum instruendum, caritatis abundantia ad ipsum diligendum, tribulationis patientia ad opprobrium pro Christo sustinendum, zeli audacia ad omne malum feriendum. Sume ergo tibi laterem, et scribe in eo civitatem Ierusalem.

2 – Nota quod 'triplex est Ierusalem spiritualis: prima militans Ecclesia, secunda fidelis anima, tertia caelestis patria'. Sumam ergo in nomine Domini laterem, idest cor cuiuslibet auditoris, et scribam in eo civitatem triplicem, idest articulos Ecclesiae, virtutes animae, praemia caelestis patriae, sub septenario numero ex utroque Testamento auctoritates inducendo et easdem exponendo.

I – De septem diebus creationis et de septem articulis fidei

3 – In principio creavit Deus caelum et terram etc. "Intellige continens et contentum". "Deus, idest Pater, in principio, idest in Filio, creavit" et recreavit: creavit sex diebus, septimo requiescens; recreavit sex fidei articulis, requiem aeternam septimo repromittens. Prima die dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux : primus articulus fidei, Nativitas. Secunda die dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, dividens aquas ab aquis: secundus fidei articulus, Baptismus. Tertia die dixit Deus: Germinet terra herbam virentem et facientem semen, lignum que pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: tertius articulus, Passio. Quarta die dixit Deus: Fiant duo luminaria magna in firmamento: quartus articulus, Resurrectio. Quinta die fecit Deus 'volatilia in aere' : quintus articulus, Ascensio. Sexta die dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem : sextus articulus, Spiritus Sancti missio. 'Septima die requievit Deus ab omni opere quod patrarat' septimus articulus, Adventus ad iudicium, in quo requiescemus ab omnibus operibus nostris et laboribus. Invocemus ergo Spiritum Sanctum, qui est amor et nexus Patris et Filii, ut ipse det nobis ita connecti et concordare utrumque septenarium, scilicet dierum et articulorum, ut ad honorem ipsius et Ecclesiae suae proveniat aedificationem.

4 – Prima die dixit Deus: Fiat lux etc. Ista lux est Sapientia Dei Patris, 'illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum' 'et habitans lucem inaccessibilem', de qua dicit Apostolus ad Hebraeos: Qui cum sit splendor et figura substantiae eius, et de quo Propheta: In lumine tuo videbimus lumen, et in libro Sapientiae: Sapientia est candor lucis aeternae. De hac ergo dixit Pater: Fiat lux. Et facta est lux, quod Ioannes apertius glossat dicens: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et Ezechiel, simili sensu sed dissimili verbo: Facta est, inquit, super me manus Domini, idest Filius, in quo et per quem omnia fecit. Lux ergo, quae erat inaccessibilis et invisibilis, facta est in carne visibilis, 'illuminans sedentem in tenebris et umbra mortis'. De qua illuminatione habes in Ioanne quod Iesus 'expuit in terram et fecit lutum, et linivit oculos caeci nati'. 'Sputum, descendens a capite Patris, sapientiam significat': Caput, inquit Apostolus, Christi, Deus. Unitur ergo sputum pulveri, idest divinitas humanitati, ut illuminentur oculi caeci nati, 'idest generis humani, in primo parente excaecati'. Ecce aperte habes, quod ea die, qua dixit Deus Fiat lux, eadem die, scilicet dominica, Sapientia Dei Patris,

natus de Virgine Maria, tenebras, quae erant super faciem abyssi, “idest cordis humani”, effugavit. Unde ipsa die cantatur in MISSA DE LUCE : “Lux fulgebit etc.”, et in evangelio: Circumfulsit pastores lux de caelo.

5 – Secunda die dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis etc. Firmamentum in medio aquarum est Baptismus, dividens aquas superiores ab aquis inferioribus, idest fideles ab infidelibus, qui bene dicuntur aquae inferiores, eo quod inferiora petunt et suis lapsibus quotidie deficiunt. Aquae vero superiores significant fideles, qui secundum Apostolum debent quaerere quae sunt sursum, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Et nota quod aquae istae dicuntur crystallinae. ‘Crystallus enim, solis radiis tactus vel percussus, scintillas ardentes emittit’; sic fidelis vir, solis radiis illuminatus, scintillas rectae praedicationis et bonae operationis, proximum accendentes, debet emittere. Sed, heu! heu! rupto firmamento, aquae superiores dilabuntur in mare mortuum, cum mortuis ingredientes. Unde Ezechiel: Aquae istae, quae egrediuntur a tumulo sabuli orientalis et descendunt in plana deserti, intrabunt mare’. ‘Tumulus significat contemplationem, in qua, uti in tumulo, mortuus sepelitur et absconditur’. Vir contemplativus, mundo mortuus, a conturbatione hominum absconsus, sepelitur. Unde Iob: Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Iustus in abundantia gratiae sibi collatae ingreditur sepulcrum vitae contemplativae, sicuti acervus tritici in tempore suo infertur in horreum: exsufflatis enim paleis temporalium, eius mens in horreo caelestis plenitudinis reponitur; reposita, ipsius dulcedine satiatur.

6 – Et nota quod tumulus iste dicitur sabuli orientalis. In sabulo poenitentia designatur. Unde habes in Exodo quod Moyses percussum Aegyptium abscondit sub sabulo, quia vir iustus mortale peccatum debet percutere in confessione et abscondere poenitentiae satisfactione, quae debet semper respicere ad illum Orientem, de quo dicit Zacharias: Ecce vir Oriens nomen eius. Dicatur: Aquae istae, quae egrediuntur a tumulo sabuli orientalis etc. Heu! quantae aquae, quanti religiosi egrediuntur a tumulo vitae contemplativae, a sabulo poenitentiae, ab oriente gratiae. Egrediuntur, inquam, ‘cum Dina et Esau de domo paterna’, ‘cum diabolo et Cain a facie divina’, ‘cum Iuda proditore, loculos habente, a Christi schola’, et ‘descendunt ad plana deserti, ad campum Ierichontinae solitudinis, in qua, ut dicit Ieremias, a Nabuchodonosor, idest diabolo, in latitudine temporalium excaecatur Sedecias, idest peccator rationis lumine privatur, propriis filiis, idest operibus, ab ipso diabolo interemptis’. In hoc plano Cain, “qui interpretatur possessio”, interfecit Abel, “qui interpretatur luctus”‘. Luctum enim poenitentiae interficit possessio abundantiae transitoriae. Descendunt ergo aquae ad plana deserti; unde dicitur in Genesi: Cum proficiscerentur de oriente in occidentem, invenerunt campum in terra Sennaar. De oriente gratiae in occidentem culpae proficiscuntur filii Adam, et, invento campo mundani gaudii, habitant in terra Sennaar, “quod interpretatur foetor”. In foetore enim gulae et luxuriae aedificant suae conversationis domum, non tamquam christiani, sed sicut pagani nomen Dei sui in vanum assumentes, cum dicat Dominus in Exodo: Non assumes nomen Dei tui in vanum; in vanum nomen Dei assumit qui non rem nominis, sed nomen sine re gerit. Et ita ingrediuntur mare, idest amaritudinem peccatorum, ut de hac perveniant ad amaritudinem tormentorum. Sed Deus fecit firmamentum Baptismi in medio aquarum, ut divideret aquas ab aquis; sed isti peccatores, ut dicit Isaias, transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus

sempiternum. Propterea maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores eius, ideoque insanient cultores eius. Leges litterae et gratiae transgrediuntur, quia nec legem litterae sicut servi, nec legem gratiae sicut filii volunt custodire; mutant ius naturale, quod est: 'Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris'; dissipant foedus sempiternum, quod pepigerunt in Baptismo. Et ideo maledictio superbiae vorabit terram, idest terrenos, et peccabunt habitatores eius peccato avaritiae, quibus dicitur in Apocalypsi: 'Vae, qui habitant super terram', et insanient cultores eius peccato luxuriae, quae est insania et mentis amentia.

7 – Tertia die dixit Deus: Germinet terra herbam virentem etc. Terra, 'quae dicitur a tero teris', 'est corpus Christi', quod 'fuit attritum, ut dicit Isaias, propter peccata nostra'. Et haec terra fuit clavis et lancea fossa et exarata, de qua dicitur: "Fossa dabit tellus optato tempore fructus. Fossa caro Christi caelica regna dedit"; germinavit herbam virentem in apostolis, facientem semen praedicationis in martyribus et lignum pomiferum faciens fructum in confessoribus et virginibus. Fides in primitiva Ecclesia erat quasi herba tenera, unde dicebant apostoli in Canticis: Soror nostra, idest primitiva Ecclesia, parvula est numero fidelium, et ubera non habet, quibus filios suos lactet; nondum enim fuerat gravidata Spiritu Sancto, et ideo dicebant: Quid faciemus sorori nostrae in die Pentecostes, qua alloquenda est allocutione Spiritus Sancti? De qua dixit Dominus in evangelio: Ille vos docebit omnia, et suggeret, "idest subministrabit", vobis omnia.

8 – Quarta die dixit Deus: Fiant duo luminaria in firmamento. 'In firmamento, idest in Christo, iam per Resurrectionem glorificato', fuerunt duo luminaria: claritas scilicet Resurrectionis, quae notatur in sole, et incorruptibilitas carnis, quae notatur in luna, habito respectu ad statum solis et lunae ante lapsum primi parentis, post cuius inobedientiam omnes creaturae patiuntur detrimentum. Unde Apostolus: Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.

9 – Quinta die fecit Deus aves caeli, cui bene consonat et concordat quintus articulus, scilicet Ascensio, in qua Dei Filius, tamquam avis, cum carne assumpta ad dexteram Patris advolavit. Unde ipse dixit in Isaia: Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meae. Vocans ab oriente, idest monte Oliveti, qui est in oriente, de quo dicitur: Qui ascendit super caelum caeli, 'idest ad aequalitatem Patris'; avem, idest 'Filium meum', et de terra longinqua, "idest mundo"', virum voluntatis meae, qui dixit: Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me.

10 – Sexta die dixit Deus: Faciamus hominem etc. Sextus articulus fidei est Spiritus Sancti missio, in qua imago Dei, in homine deformata et deturpata, per Spiritus Sancti inspirationem, qui inspiravit in faciem hominis spiraculum vitae, reformatur et illuminatur, sicut dicitur in Actibus apostolorum: Et factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis. Et nota quod bene Spiritus Sanctus dicitur vehemens, idest vae aeternum adimens; vel vehemens, idest sursum vehens mentem. Unde David propheta: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domines. Vultus Patris, Filius; sicut enim per vultum quis cognoscitur, sic per Filium Patrem cognovimus. Lumen ergo vultus Dei est cognitio Filii et illuminatio fidei, quae in die Pentecostes in cordibus apostolorum, tamquam quidam character, fuit insignita et impressa, et sic factus est homo in animam viventem.

11 – Septima die requievit ab omnibus operibus suis Deus. Et Ecclesia in septimo articulo requiescet ab omni labore et sudore, quando absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eius ‘, ‘idest omnem causam lacrimandi’; tunc ipsa a sponso suo laudabitur et audire merebitur: Date ei de fructu manuum eius, laudent eam in portis ‘iudicii’ opera eius, cum audiet ipsa cum filiis suis sibilum aurae tenuis: Venite, benedicti etc. His septem diebus et septem fidei articulis breviter in latere descriptis, moraliter ad scribendum sex virtutes fidelis animae, et sex horas lectionis evangelicae, cum denario et sabbato concordantes, accedamus.

II – De sex diebus creationis et de sex virtutibus animae

12 – Secunda Ierusalem, idest anima fidelis, quae in Matthaeo vinea nuncupatur, qualiter fodienda sit sarculo contritionis et falce confessionis putanda et paxillis satisfactionis sustentanda sit, sub compendio pertractemus. Dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Quia, ut dicit Ezechiel, ‘rota erat in rota’, “idest Novum Testamentum in Veteri”, et ‘cortina trahit cortinam’, idest Novum exponit Vetus. Ideo sex horas evangelii cum operibus sex dierum moraliter exponentes, Novum cum Veteri concordemus.

13 – Prima ergo die dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Audi concordantiam primae horae: Simile est regnum caelorum patrifamilias, qui exiit primo mane etc. Nota quod sex sunt virtutes animae, cordis scilicet contritio, oris confessio, operis satisfactio, Dei et proximi dilectio, vitae activae et contemplativae exercitatio, finalis perseverantiae consummatio. Cum super faciem abyssi, “idest cordis”, sunt tenebrae peccati mortalis, homo patitur ignorantiam divinae cognitionis et suae fragilitatis, et nescit discernere inter bonum et malum. Et hoc est triduum, de quo dicitur in Exodo, quod ‘tribus diebus fuerunt tenebrae palpabiles in terra Aegypti; ubicumque erant filii Israel, erat lux’. Tres dies sunt: cognitio Dei, sui ipsius et discretio boni et mali. Pro primis duobus orat AUGUSTINUS: ‘Domine, da mihi cognoscere te et me’. De tertio dicitur in Genesi, quod ‘lignum, idest discretio, scientiae boni et mali, erat in paradiso’, idest in mente hominis. Prima dies illuminat nos ad cognoscendam animae nostrae dignitatem, unde Ecclesiasticus: Serva in mansuetudine animam tuam, et da illi honorem’. Sed miser homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis. Secunda illuminat nos ad cognoscendam propriam infirmitatem, unde Michaeas: Humiliatio tua in medio tui. Medium nostri est venter, thesaurus stercorum, in cuius consideratione superbia nostra humiliatur, arrogantia deprimitur, vanagloria exsumatur. Tertia illuminat nos ad discernendum inter diem et noctem, lepram et non lepram, mundum et immundum, quae valde necessaria est. Nam: “Mala sunt vicina bonis, errore sub ipso. Pro vitio virtus crimina saepe tulit”. His vero tribus diebus sunt tenebrae palpabiles in terra Aegypti et super faciem abyssi; sed ubicumque sunt veri filii Israel, lux est, de qua dixit Deus: Fiat lux. Haec lux est contritio cordis, animam illuminans, Dei cognitionem, suae propriae infirmitatis notitiam, boni et mali hominis discretionem ostendens.

14 – Hoc est primum mane et prima hora, qua exiit paterfamilias, idest poenitens, ad conducendum operarios ad excolendam vineam suam, sicut dicitur in evangelio huius praesentis dominicae, in cuius missae introitu cantatur: Circumdederunt me, et legitur

epistola beati Pauli ad Corinthios: Nescitis quod ii qui in stadio currunt, etc. De hoc mane dicit Propheta: Mane, id est in ortu gratiae, stabo tibi rectus et erectus, sicut me fecisti rectum et erectum. 'Deus enim, ut dicit AUGUSTINUS, rectus et erectus, fecit hominem rectum et erectum, ut solum tantum pedibus tangeret terram, idest sola necessaria quaereret a terra'. De hoc mane dicitur in Marco: Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole'. Et nota quod bene dicit una sabbatorum; nemo enim potest venire ad monumentum, 'idest ad suae mortis considerationem', nisi prius quiescat a temporalium sollicitudine. In matutino contritionis, inquit Propheta, interficiebam, idest reprimebam, omnes peccatores terrae, idest omnes motus carnis meae. Quae est ista, inquit sponsus de anima poenitente, quae ascendit quasi aurora consurgens? Sicut enim aurora initium est diei et finis noctis, sic contritio finis peccati et initium poenitentiae. Unde Apostolus: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; et iterum: Nox praecessit, dies autem appropinquavit.

15 – Prima ergo luce et primo mane egrediatur paterfamilias ad excolendam vineam, de qua dicit Isaias: Vinea facta est dilecto in cornu filio olei. Sepivit eam, et lapides elegit ex illa; et aedificavit turrim in medio eius, et torcular extruxit in ea, et plantavit vineam electam. Vinea, 'idest anima', facta est dilecto, idest ad honorem dilecti, in cornu, "idest in potentia" Passionis; dilecto dico, filio olei, idest misericordiae; sola enim misericordia, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, ipsam vineam salvam fecit; quam sepivit, sepe utriusque legis scriptae et gratiae, de qua Salomon in Parabolis: Qui dissipat sepem, idest destruit legem, mordebit eum coluber, "idest diabolus", 'qui colit umbras', idest peccatores. Unde dicit Iob: Sub umbra dormit, idest mente umbrosa, requiescit in secreto calami, idest fallacia hypocritae, et in locis humentibus, 'idest in luxuriosis"". Sequitur: Et lapides elegit ex ea, idest duritiam peccati; aedificavit turrim humilitatis, vel superiorem partem rationis, in medio eius, et torcular contritionis, ex quo exprimitur vinum lacrimarum, extruxit in ea, et sic, exemplis et doctrinis sanctorum, plantavit vineam electam, in qua paterfamilias primo mane debet conducere operarios, scilicet amorem et timorem Dei, qui bene ipsam excolunt.

16 – Item, de hoc mane habes in primo libro Regum, quod ingressus Saul media castra filiorum Ammon, in vigilia matutina, percussit Ammon usque dum incalesceret dies. Saul significat poenitentem, gratiae oleo inunctum; hic debet in vigilia matutina, idest cordis contritione, ingredi media castra filiorum Ammon, 'qui interpretatur aqua paterna', et significat motus carnis, qui a primo parente in nos tamquam aqua fluida derivantur. Istos Saul debet percutere usque dum incalescat dies, idest fervor gratiae mentem irradiet, et irradiatam calefaciat. Item, de hoc mane habes in propheta Iona, quod Dominus paravit vermem in ascensu diluculi; et percussit hederam et exaruit. Hedera, quae per se in altum non potest elevari, sed 'alicuius inhaerens arboris ramis' altiora petit, divitem huius mundi significat, qui non per se, sed pauperum eleemosynis, quasi quibusdam brachiis, in caelum elevatur. Unde Dominus in evangelio: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, "idest inaequalitatis", ut, cum defeceritis, recipiant etc. Haec hedera in ascensu diluculi, idest ortu gratiae vel cordis contritione, dente vermis, idest conscientiae remordentis, percutitur et abscinditur, ut, cadens in terram, idest considerans se terram, sibi ipsi arescat et vilescat, dicens cum Propheta: Defecit cor meum, 'idest superbia cordis mei', et caro mea, 'idest carnalitas mea'. His de prima die et primo mane

contritionis praelibatis, ad secundam diem et tertiam horam confessionis transeamus.

17 – Secunda die dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Firmamentum est confessio, quae firmiter religat hominem, ne effluat in deliciis. Unde Dominus improperat animae peccatrici, isto firmamento carenti, per Ieremiam: Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? et per Isaiam: Transi terram quasi flumen, filia maris; quia non est cingulum ultra tibi. Anima misera dicitur filia maris, quae, quasi a mammilla diaboli, mundi sugit voluptatem, quae dulcedinem sapit, sed amaritudinem generat sempiternam. Unde Iacobus: Concupiscentia parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem. Huic dicitur: Transi terram quasi flumen; ac si diceretur: Succinge te cingulo confessionis et restringe vestimenta tua, ne defluant ad immunditias; nec eligas transire super abundantiam terrenorum bonorum, ubi multi periclitati sunt, sed per tenuitatem et angustiam paupertatis; nam per rivulum animi securitate transitur. Sed animae peccatrici non est cingulum, non est firmamentum confessionis, de quo dicitur: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. 'Aquae superiores sunt fluenta gratiae; aquae inferiores, fluenta concupiscentiae', quae debent esse sub homine. Vel aliter: mens iusti habet aquas superiores, scilicet rationem, quae est vis animae superior', quae semper hominem ad bonum provocat; aquas inferiores, idest sensualitatem, quae semper tendit ad occasum. Dividat ergo firmamentum confessionis aquas superiores ab inferioribus, ut confitens, 'egressus a Sodomis, ascendens ad montana, non respiciat retro, cum uxore Loth, et convertatur in statuam vel cautem salis', quam animalia, idest daemonia, cum magna aviditate lambendo consumunt. Egressus etiam ex Aegypto cum veris Israelitis, tendens ad terram promissionis, non constituat sibi ducem, scilicet propriam voluntatem, et revertatur ad ollas carnium et pepones et allia Aegyptiorum, idest desideria carnalium. Fiat ergo, obsecro, firmamentun in medio aquarum, ut, data confessori cautione firmi propositi non relabendi, in ipsa confessione, quasi in hora tertia cum apostolis, Spiritus Sancti musto inebriari, et tamquam uter, per confessionem novus, novo vino impleri mereatur. 'Si enim novum vinum, ut dicit Dominus, scilicet Sancti Spiritus, missum fuerit in utrem veterem dierum malorum, et uter rumpetur et vinum effundetur', sicut accidit inveterato proditori Iudae, 'qui, tamquam uter per collum suspensus, per ventrem crepuit medius, et viscera, quae avaritiae venenum exhauserant, in terra sunt diffusa'. Et bene confessio hora tertia nuncupatur, in qua verus confitens, tamquam paterfamilias, excolit animae suae vineam. In tribus enim se culpabilem debet confiteri, quia offendit Dominum, occidit seipsum, scandalizavit proximum, unicuique iustitiam debitam non exhibendo: Deo honorem, sibi cautelam, proximo dilectionem. Unde in introitu hodiernae missae deplorat, dicens: Circumdederunt me gemitus mortis, quia offendi Deum; dolores inferni circumdederunt me, quia incurri in mortale peccatum; et in tribulatione mea, qua tribulor, quia scandalizavi proximum, invocavi, cordis contritione, Dominum, et exaudivit de templo sancto suo, idest humanitate sua, in qua habitat divinitas, vocem meam, idest vocem confessionis meae.

18 – Tertia die dixit Deus: Germinet terra herbam virentem facientem semen iuxta genus suum, cuius semen sit in semetipso super terram. Nota quod tertia die poenitentiae satisfactio notatur, quae consistit in tribus: oratione, ieiunio et eleemosyna, quae in tribus praedictis notantur. Dicatur ergo: Germinet terra herbam etc. Herba virens orationem

significat. Unde dicit Iob de poenitente: Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? Cui dedi domum in solitudine, et tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, et clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuae suae et virentia quaeque perquirit. Onager, ab onere et agro sic dictus, poenitentem significat, qui in agro Ecclesiae supportat onus poenitentiae. Hunc Dominus liberum dimittit, et vincula solvit, cum a servitute diaboli liberum et vinculis absolutum, scilicet peccatorum, abire permittit. Unde in Ioanne dicit Dominus apostolis: Solvite eum, et sinite abire. Huic dat Deus domum in solitudine mentis, et tabernacula vitae activae, in quibus militat in terra salsuginis, idest mundanae conversationis. Et sic iste poenitens contemnit multitudinem civitatis, de qua dicit Dominus per Prophetam: Ego Dominus, et non mutor, et civitatem non ingredior; et David: Vidi iniquitatem, quoad Deum, et contradictionem, quoad proximum, in civitate '. Et vocem exactoris non audit. 'Exactor est diabolus, qui semel nummum peccati obtulit primo parenti, et hunc quotidie cum usura exigere non cessat. Vocem exactoris huius poenitens non audit, cum eius suggestioni non acquiescit'. 'Vel exactor est venter, qui quotidie gulae tributum cum clamore exigit; sed minime poenitens audit, quia ei, non ad voluptatem etsi ad necessitatem, non obedit'. Hic onager circumspicit montes poscuae suae, 'quia, in excellentia vitae positus, Sacrae Scripturae pascua circumspiciens invenit', dicens cum Propheta: In loco pascuae ibi me collocavit; et sic virentia quaeque in orationis devotione perquirit, ut de pascua sacrae lectionis perveniat ad carpenda virentia devotae orationis, de qua dicitur: Germinet terra herbam virentem.

19 – Sequitur: Et facientem semen, per quod ieiunium significatur. Unde Isaias: Beati qui seminatis super aquas, innectentes pedem bovis et asini. Super aquas seminat, qui et orationi et compunctioni lacrimarum ieiunium superaddit, et sic innectit, "vinculis scilicet praeceptorum", pedem, idest affectum, bovis, idest spiritus, et asini, idest corporis. Unde dicit Dominus: 'Hoc genus daemoniorum, idest cordis immunditia et carnis luxuria, non potest eici, nisi oratione et ieiunio'. Oratione enim cor a polluta cogitatione mundamus, ieiunio carnis petulantiam refrenamus. Sequitur tertium: Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. In ligno pomifero eleemosyna designatur, quae fructificat in egenis, et per ipsorum manus reportatur in caelum. Et nota quod dicitur: faciens fructum iuxta genus suum. Genus hominis est alter homo, de humo creatus et anima vivificatus; debet ergo eleemosynam facere, fructum iuxta genus suum, quia et anima spirituali et corpus pane corporali reficitur. Unde dicit Iob: Visitans speciem tuam non peccabis. 'Species tua est alter homo', quem eleemosyna tam spirituali quam corporali debes visitare; et sic non peccabis contra illud praeceptum: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed nota quod dicitur: cuius semen sit in semetipso. Ibi dicit AUGUSTINUS: "Qui ordinate vult eleemosynam facere, prius a seipso debet incipere". Haec tria poenitentiae satisfactionem perfectam faciunt, quae bene significatur per sextam horam, scilicet meridiem, circa quam paterfamilias exiens conduxit operarios in vineam excolendam. Et nota quod in meridie, quo magis fervet sol quam alia parte diei, satisfactionis fervor designatur. Unde circa finem Deuteronomii: Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictione Domini: mare et meridiem possidebit. 'Nephthali interpretatur conversus sive dilatatus' et significat poenitentem, qui a via sua mala convertitur et in bono opere dilatatur. Hic abundantia gratiae in via perfruetur et benedictione gloriae adimplebitur, qui, ut adipisci mereatur, prius necesse est ut mare,

idest amaritudinem cordis, et meridiem, idest fervorem, possideat satisfactionis.

20 – Quarta die dixit Deus: Fiant duo magna luminaria in firmamento. Quarta virtus est dilectio Dei et proximi: dilectio Dei in solis claritate, dilectio proximi in lunae mutabilitate designatur. Nonne videtur tibi quaedam mutabilitas gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus? De his duobus dicitur circa finem Deuteronomii: De pomis fructuum solis et lunae terra Ioseph repleatur. Poma opera iusti significant, propter iucunditatem perfectionis, pulchritudinem purae intentionis, odorem bonae opinionis. Haec poma sunt solis et lunae, idest dilectionis Dei et proximi, quae duo perfectum quemlibet faciunt. Haec duplex dilectio in hora nona, circa quam paterfamilias exiit, designatur; perfectio enim geminae dilectionis perducit ad perfectionem angelicae beatitudinis, quae in novem ordinibus a propheta Ezechiele sic distinguitur, ubi loquitur ad Luciferum, sub typo novem lapidum: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius et iaspis, chrysolithus, onyx, berillus, sapphirus, carbunculus et smaragdus.

21 – Quinta die fecit Dominus pisces in mari et aves super terram. Quinta virtus est exercitatio vitae activae et contemplativae, in qua vir activus, tamquam piscis, perambulat semitas maris, idest mundi, ut proximo necessitatem patienti valeat subvenire; et contemplativus, tamquam avis, penna contemplationis in aerem elevatus, pro modulo suae capacitatis regem in decore suo speculatur. Homo, inquit Iob, nascitur ad laborem vitae activae, et avis ad volatum vitae contemplativae. Et nota quod, sicut 'avis quae latum habet pectus, eo quod multum capit aeris, a vento retardatur, et quae strictum habet pectus et acutum, velocius et sine difficultate volat', sic mens contemplativi, si multis et variis cogitationibus dilatatur, in contemplationis volatu nimium praepeditur; sed si adunata et in uno collecta coeperit volare, ipsius contemplationis gaudio perfruetur. Huius geminae vitae exercitatio in hora undecima, circa quam paterfamilias exiit, designatur. Undecima hora constat ex uno et decem: vita contemplativa ad unum refertur, quia unum Deum, unum gaudium speculatur; vita ergo activa ad decem praecepta decalogi, quibus ipsa vita activa in huius exilii vita plenarie perficitur.

22 – Sexta die dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Sexta et ultima virtus animae, finalis perseverantia, 'quae est cauda hostiae in sacrificio, tunica Ioseph talaris polymita', sine qua quinque supradictae virtutes inutiliter habentur, cum qua utiliter possidentur, in qua, tamquam in sexta die, imago et similitudo Dei, numquam deturpanda, numquam obliteranda, numquam foedanda, faciei animae imprimitur aeternaliter. Hoc sero evangelii, ultima hora vitae humanae, qua paterfamilias per dispensatorem, idest per filium suum, in vinea bene operanti reddit denarium, per sabbatum, "quod requies interpretatur", significatur; de qua Isaias: Erit mensis ex mense, 'idest perfectio gloriae ex perfectione vitae', et sabbatum ex sabbato, idest requies aeternitatis ex requie pectoris, 'quae consistit in duplici stola animae et corporis'. Anima tribus et corpus quattuor dotibus glorificabitur. 'Anima sapientia, amicitia et concordia decorabitur'. Sapientia Dei in animae facie resultabit, et 'videbit Deum sicuti est', et 'cognoscet sicut cognita est'; amicitia etiam erit ad Deum, unde Isaias: Cuius ignis in Sion, 'idest in Ecclesia militanti', et caminus, 'scilicet ardentissimi amoris', in Ierusalem, 'idest in Ecclesia triumphanti'; concordia ad proximum, de cuius gloria tantum gaudebit

quantum gaudebit de sua. ‘quattuor etiam erunt dotes corporis: claritas, subtilitas, agilitas et immortalitas, de quibus dicitur in libro Sapientiae: Fulgebunt iusti, ecce claritas, et tamquam scintillae, ecce subtilitas, in arundineto discurrent, ecce agilitas, et regnabit Dominus illorum in perpetuum, ecce immortalitas’. ‘Deus enim non est mortuorum sed vivorum’.

23 – Ut hanc incorruptibilem coronam, septem lapidibus istis insignitam, mereamur accipere, curramus sicut dicit Apostolus in hodierna epistola: Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. “Stadium est octava pars miliarii, constans passibus centum viginti quinque”, et significat laborem huius exilii, in quo debemus ‘currere in unitate fidei’, “passibus amoris”, qui sunt centum viginti quinque. In hoc numero omnis perfectio divini amoris designatur. ‘In centum, qui numerus est perfectus, doctrina evangelica’; ‘in viginti, decalogi decem praecepta, quae litteraliter et spiritualiter sunt adimplenda’; ‘in quinque, quinque sensuum delectatio refrenanda intelligitur’. Qui in tali stadio currit bravium, idest remunerationem coronae incorruptae, accipit, de qua in Apocalypsi: Dabo tibi, inquit Dominus, coronam vitae. Quem, fratres carissimi, suppliciter et lacrimabiliter imploremus, quatenus ipse, qui nos creavit et recreavit, creavit ex nihilo, recreavit sanguine proprio, constituere dignetur in aeternae beatitudinis septenario; et cum ipso, qui est principium omnium creaturarum, vivere aeternaliter mereamur, ipso praestante, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

* DOMINICA IN SEXAGESIMA *

Themata sermonis

Secundum evangelium in Sexagesima: Exiit qui seminat. Introitus missae: Exurge, quare obdormis, Domine? Epistola: Libenter suffertis. Historia de Noe et ipsius arca. In primis sermo ad praedicatores. De summo praedicatore, ibi: Sevit Isaac in terra Gerarae. Item sermo de fabricatione arcae Noe et quid significet, ibi: Fac tibi arcam. Item sermo contra luxuriosos, ibi: Et dum seminat aliud cecidit secus viam. Item sermo contra falsos religiosos, ibi: Et aliud cecidit supra petram. Item sermo contra avaros et usurarios, ibi: Et aliud cecidit inter spinas. Item sermo ad activos et contemplativos, ibi: Et aliud cecidit in terram bonam.

Exordium. Sermo ad praedicatores

1 – Exiit qui seminat, seminare semen suum. Praedicatoribus loquitur Isaias: Beati, qui seminatis super aquas. ‘Aquae, ut dicit Ioannes in Apocalypsi, sunt populi’, de quibus Salomon in Parabolis: ‘Omnia flumina exeunt a mari, et in mare revertuntur’. Nota quod duplex est amaritudo, originalis scilicet culpae et mortis corporalis. Omnia ergo flumina, idest omnes populi, a mari, idest amaritudine culpae originalis, exeunt unde David: Ecce in iniquitatibus conceptus sum etc., et Apostolus: ‘Omnes nati sumus filii irae’ et in mare,

idest amaritudinem mortis corporalis, revertuntur. Unde Ecclesiasticus: ‘Quam grave iugum super filios Adam, a die exitus de matre eorum’; et iterum: O mors, quam amara est memoria tua. De his duobus dicit Dominus peccatori: ‘Terra es, per immunditiam conceptionis, et in terram ibis’, per incinerationem tui corporis. Beati ergo, qui seminatis super aquas. Semen, ut dicit Deus in hodierno evangelio, est verbum Dei’. Ut ergo inter beatos benedici merear, seminabo super vos in nomine Iesu Christi, qui “exiit a sinu Patris et venit in mundum seminare semen suum”, ‘quia unus et idem est Deus Novi et Veteris Testamenti’, Iesus Christus, Dei Filius. Unde dicit in Isaia: Ego ipse qui loquebar, ecce adsum: qui loquebar ‘patribus in prophetis, adsum veritate Incarnationis’. Ideo utrumque Testamentum, ad unius Dei honorem et audientium utilitatem, secundum quod ipse dabit mihi, concordemus. Dicamus ergo: Exiit qui seminat etc.

2 – In hac praesenti dominica legitur in Ecclesia evangelium de seminatore et semine, et recitatur et cantatur historia de Noe et ipsius arcae fabricatione; et in introitu missae cantatur: Exurge, quare obdormis, Domine? et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Libenter suffertis insipientes etc. In nomine Domini ergo haec omnia concordemus. Exiit etc. In hoc evangelio sex valde notabilia sunt notanda: seminator et semen, via, petra, spinae et bona terra; et in historia praesentis diei similiter sex: Noe, arca, ‘quae habuit quinque cameras: prima fuit stercoraria, secunda apothecaria, tertia immitium, idest ferocium animalium, quarta mitium, quinta hominum et volucrum’. Sed attende diligentissime, quod quarta et quinta pro una tantum camera in ista concordantia accipitur. Dicatur ergo: Exiit qui seminat etc.

I - De arca Noe et Ecclesia Christi

3 – ‘Seminator est Christus vel praedicator ipsius; semen, verbum Dei’; via, luxuriosi; petra, falsi religiosi; spinae, avari et usurarii; bona terra, poenitentes et iusti. Et quod hoc sit verum auctoritatibus approbemus. Seminator est Christus. Unde habes in Genesi: Sevit, vel seminavit, Isaac in terra Gerarae et in ipso anno invenit centuplum. “Isaac interpretatur gaudium” “et significat Christum”, qui est gaudium sanctorum, qui, ut dicit Isaias, gaudium et laetitiam obtinebunt: gaudium de glorificata Christi humanitate, laetitiam de totius Trinitatis visione. Hic noster Isaac sevit in terra Gerarae, “quae interpretatur incolatus’’, et significat hunc mundum, de quo Propheta: Heu mihi, quia incolatus meus, “idest peregrinatio” mea, prolongatus est! In terra Gerarae ergo, idest in hoc mundo, seminavit tria genera seminum: laudabilis vitae sanctitatem, caelestis regni praedicationem, miraculorum operationem. Et in ipso anno invenit centuplum. Nota quod tota vita Christi dicitur annus remissionis et benignitatis. Sicut enim in anno quattuor sunt tempora: hiems, ver, aestas et autumnus, sic in vita Christi fuit hiems herodianae persecutionis, ob quam fugit in Aegyptum; ver praedicationis, tunc enim apparuerunt flores, idest vitae aeternae promissiones, et vox turturis, ‘idest Filii Dei’, audita est in terra nostra: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum; aestas Passionis, de qua Isaias: Meditatus est in spiritu suo duro per diem aestus. Christus per diem aestus, “idest suae Passionis”, in spiritu suo duro, idest inflexibili ad sustinendam Passionem, meditatus est, dum penderet in cruce, qualiter diabolum damnaret, humanum genus de eius potestate eriperet, et peccatoribus obstinatis poenam aeternam infligeret. Unde iterum dicebat in eodem Propheta: Dies ultionis in corde meo. Autumnus suae

Resurrectionis, in qua, exsufflatis paleis poenalitatis et pulvere mortalitatis, illa humanitas, unita Verbo, gloriosa et immortalis, reposita fuit in cellario, idest in dextera Dei Patris. Bene ergo dicitur: Et in ipso anno invenit centuplum, idest elegit apostolos, quibus dictum est: 'Centuplum accipietis etc.' Vel, centuplum, 'idest centesimam ovem, idest humanum genus, quod ad consortium novem ordinum angelorum, propriis humeris, cruci affixis, gaudens asportavit'. Habes ergo aperte quod seminator est Christus.

4 – Hic est Noe, cui dixit Pater: Fac tibi arcam de lignis levigatis; mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. Et sic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. "Noe interpretatur requies" 'et significat Iesum Christum', qui dicit in evangelio: Venite ad me omnes qui laboratis in Aegypto, in luto luxuriae et latere avaritiae, et onerati estis iugo superbiae, et ego requiescere vos faciam. Hic, ut dicitur in Genesi, consolatus est nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Deus. Huic dixit Pater: Fac tibi arcam. 'Arca est Ecclesia'. Exiit ergo Christus seminare semen suum; exiit et fabricare Ecclesiam suam, 'de lignis scilicet levigatis, idest sanctis puris et perfectis; et linivit bitumine misericordiae et caritatis', intrinsecus, in affectu, et extrinsecus, in operum effectu; cuius longitudo tercentorum cubitorum est propter 'tres ordines, qui sunt in ea, scilicet Noe, Daniel et Iob, idest praelati, continentes et coniugati'. 'Latitudo quinquaginta cubitorum ad poenitentes ipsius Ecclesiae refertur'. In quinquagesimo enim die a Pascha, per Spiritum Sanctum collata est apostolis gratiae infusio; 'et in quinquagesimo psalmo, scilicet Miserere mei, Deus, poenitentibus promittitur peccatorum remissio'. Altitudo triginta cubitorum ad ipsius Ecclesiae fideles refertur, propter fidem sanctae Trinitatis. Exiit ergo Christus a sinu Patris et venit in mundum, ut seminaret et Ecclesiam suam fabricaret, in qua semen non corruptibile, sed permanens in saeculum saeculi, conservaretur.

5 – Sequitur de semine. Semen est verbum Dei, de quo Salomon in Parabolis: Mane semina semen tuum. Mane, idest in tempore gratiae, quae expellit tenebras peccati, o praedicator, semina semen verbi, tuum, idest tibi creditum. Et vide quam congrue verbum Dei dicitur semen. Sicut enim semen in terra seminatum germinat et crescit – primo enim, ut dicit Dominus in Marco, facit herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica –, sic verbum Dei, in corde peccatoris seminatum, primo facit herbam 'contritionis', de qua in Genesi: Germinet terra, idest mens peccatoris, herbam virentem, scilicet contritionis; deinde spicam 'confessionis', quae se in altum erigit per spem remissionis; deinde plenum frumentum 'satisfactionis', de quo Propheta: Valles, 'idest humiles poenitentes', abundabunt frumento 'plenae satisfactionis', 'ut poena respondeat culpae'. Bene ergo dicitur: Exiit qui seminat, seminare semen suum.

6 – Sed quia non omnium est fides et omnes non obediunt evangelio', ideo sequitur: Et dum seminat, aliud cecidit secus viam et concultatum est, et volucres caeli comederunt illud. Et prima camera in arca Noe fuit stercoraria. Via ergo conculcata et camera stercoraria luxuriosos significant. Unde Salomon in Parabolis: Mulier fornicaria quasi stercus in via, et Isaias improperat luxurioso: Posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus, "idest daemonibus", 'qui dum transeunt conculcant semen, ne germinet'. Unde iterum dicit Isaias: Pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum

Ephraim. ‘Ephraim interpretatur frugifer’, et significat abundantiam temporalium; ebrii sunt luxuriosi, inebriati calice aureo Babylonis, idest abundantiae temporalis; corona superbiae in capite est elata cogitatio in polluta mente. Haec pedibus daemonum conculcatur, dum de pollutae mentis cogitatione pervenit ad ebrietatem luxuriae; et sic in terra maledicta semen Domini non potest germinare. Ipsi etiam daemones dicuntur ‘volucres propter superbiam’, ‘caeli, idest aeris, in quo habitant’; hi comedunt et rapiunt semen de corde luxuriosi, ne fructificet. Unde Osee: Alieni, idest daemones, comederunt robur eius, idest virtutem verbi divini. Et nota quod non in via, sed secus viam semen dicitur cecidisse, quia luxuriosus non intra aurem cordis verbum recipit, sed secus aurem corporis, tamquam quidam sonus, leviter transit. Hi sunt camera stercoraria, qui computruerunt ut iumenta in stercore suo, de quibus dicit Psalmus: Disperierunt in Endor, “qui interpretatur ignis generationis”, idest in ardore luxuriae, facti sunt ut stercus terrae. Et nota quod de hoc stercore quattuor vermes generantur, qui sunt simplex fornicatio, adulterium, incestus, peccatum contra naturam. Simplex fornicatio, utpote solutus cum soluta, est mortale peccatum; et dicitur fornicatio, idest formae necatio, idest mors animae, ad similitudinem Dei formatae. “Adulterium dicitur, quasi ad alterius torum accessio. Incestus est consanguinearum vel affinium [abusus]”. Peccatum contra naturam est quocumque modo semen effunditur, praeterquam in monetam conceptionis, idest vasculum mulieris. Omnes isti sunt via a daemonibus conculcata et camera stercoraria. Et ideo verbi divini semen in eis deperit, et quod seminatum fuerat diabolus rapit.

7 – Sequitur: Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. Et secunda camera in arca Noe fuit apothecaria. Petra et camera apothecaria falsos religiosos significant: petra, quia gloriantur de excellentia suae religionis, camera apothecaria, quia vendunt suae vitae mercimonia pro denario humanae laudis. Dicatur ergo: Et aliud cecidit supra petram, de qua loquitur Abdias propheta, improperans superbo religioso: Superbia, inquit, cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrae. Superbia dicitur a super et eo, is, ‘quasi super se iens’. Superbia ergo, o religiose, cordis tui extulit, idest extra te tulit, te, ut inaniter ires super te, habitantem in scissuris petrae. Petra est quaelibet Ecclesiae religio, de qua dicit Ieremias: ‘Numquam deficiet nix de petra agri. Ager est Ecclesia; petra agri, religio super petram fidei fundata; nix est munditia mentis et corporis, quae numquam debet deficere de religione. Sed, heu! heu! quantae scissurae, quanta schismata, quantae divisiones et dissensiones sunt in petra, idest in religione! Super quam si ceciderit verbi divini semen, non fructificat, quia non habet humorem gratiae Sancti Spiritus, qui non in scissuris discordiae, sed in unitatis habitat mansione. Erat, inquit Lucas, illis anima una et cor unum’. Vere ibi scissurae, quia lis in capitulo, dissolutio in choro, murmuratio in claustro, gastrimargia in refectorio, carnis petulantia in dormitorio. Bene ergo dicit Dominus: Et aliud cecidit supra petram et natum aruit, quia, ut dicit Matthaeus, non habebat radicem, idest humilitatem, “quae est radix omnium virtutum”. Ecce aperte habes quod ex superbia cordis fit scissura religionis, quae non potest facere fructum, quia non habet in se radicem humilitatis. Talis religio est camera apothecaria; postquam enim dissident interius, laudes quaerunt exterius. In foro enim communi, tamquam quidam apothecarii, falsi religiosi sophisticas species vendunt: sub habitu enim religionis et umbra falsi nominis laudari appetunt, quoddam personale figmentum perfectionis apud homines induunt, sancti videri volunt, sed esse nolunt. Proh dolor! Religio, quae deberet conservare species virtutum, aromata morum, destruitur et efficitur

forensis apotheca. Unde Ioel deplorat, dicens: Demolita sunt horrea, idest claustra canonicorum, dissipatae sunt apothecae, idest abbatiae monachorum, quoniam confusum est triticum. In tritico, quod albet interius et rubet exterius, notatur caritas, quae munditiam ad se, amorem conservat ad proximum. Hoc triticum ideo confusum est, quia cecidit supra petram et natum aruit, quia non habebat radicem humilitatis nec humorem gratiae septiformis. Ecce habes quod ex confusione tritici, idest defectu caritatis, destruitur apotheca totius religionis.

8 – Sequitur: Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae suffocaverunt illud. Et tertia camera in arca Noe fuit immitium, idest ferocium, animalium. Vide quam bene spinae et ferocia animalia concordant, quae avaros et usurarios significant. Spinae, quia avaritia capit, pungit et sanguinem elicit; animalia ferocia, quia usura rapit et transglutit. Dicat ergo Dominus: Et aliud cecidit inter spinas, 'quae, ut ipse glossat, sunt divitiae', quae capiunt hominem et retardant. Quibus ne Petrus captus retardaretur, inquit Domino: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Ibi dicit beatus BERNARDUS: 'Recte, Petre, fecisti, non enim currentem sequi poteras oneratus'. Spinae etiam pungunt. Unde Ieremias: Vitula elegans et formosa Aegyptus, stimulator ab aquilone veniet ei. Aegyptus, "quae interpretatur tenebrae", est avarus, tenebris ignorantiae circumdatus. Hic dicitur vitula propter duo, carnis scilicet lasciviam et mentis instabilitatem; elegans propter filiorum et propinquorum constipationem; formosa propter aedificiorum possessionem et vestium pulchritudinem. Huic vitulae venit stimulator, idest diabolus, ab aquilone, a quo, ut dicit Ieremias, pandetur omne malum; et stimulo avaritiae stimulat ipsam, ut currat et discurrat ad congregandas spinas, idest divitias, de quibus dicit Isaias: Spinae congregatae igne comburentur. 'Spina ergo pungit et pungendo sanguinem elicit': 'Omnis anima, inquit Moyses, est vel vivit in sanguine'; sanguis animae est virtus, in qua anima vivit. Animae ergo vitam, idest virtutem, avarus perdit dum divitias congregare cupit. Unde Ecclesiasticus: Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic proicit intima sua, "idest virtutes", in vita sua. De his subdit Dominus: Et simul exortae spinae suffocaverunt illud. Unde Osee: Lappa et tribulus super aras eorum. 'Lappa est herba, quae adhaeret vestimento'; tribulus dicitur a tribulo tribulas, eo quod tribulationem ingerit, dum pungit. Lappa ergo et tribulus sunt divitiae, homini dum transit adhaerentes et ipsum tribulantes. Hae crescunt super aras eorum, idest corda avarorum, in quibus sacrificium Deo, scilicet spiritus contribulatus, debet offerri, et suffocant semen verbi Dei et sacrificium spiritus contribulati.

9 – His spinis animalia ferocia concordant, per quae, ut diximus, perfidos usurarios intelligimus. De quibus dicit Propheta: Hoc mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis. Illic naves pertransibunt. Nota verba: Hoc mare, idest hic mundus, amaritudine plenus, est magnus divitiis, spatiosus deliciis, quia 'spatiosa est via quae ducit ad mortem'. Sed quibus? Non Christi pauperibus, qui 'intrant per angustam portam', sed usurariorum manibus, qui totum mundum iam ceperunt. Propter eorum usuras ecclesiae depauperantur, bonis suis monasteria denudantur; et ideo de eis conqueritur Dominus in Ioele: Gens, inquit, ascendet super terram meam, fortis et innumerabilis; dentes eius ut dentes leonis, molares eius ut catuli leonum. Posuit desertam vineam meam, et ficum meam decorticavit; denudans spoliavit eam; albi facti sunt rami eius. Gens maledicta usurariorum, fortis et

innumerabilis, crevit super terram, cuius dentes sunt ut dentes leonis. Nota duo in leone: ‘inflexibile collum, in quo non habet nisi unum ossum’, et ‘foetorem dentium’. Sic usurarius inflexibilis est, quia ‘Deum non reveretur, nec hominem timet’; eius dentes foetent, quia humus pecuniae et stercus usurae semper in eius ore sunt. Cuius molares sunt ut catuli leonum, quia bona pauperum, pupillorum et viduarum rapit, molit et transglutit. Hic ponit vineam, idest Ecclesiam Domini, desertam, cum eius possessiones pro usuris retinet; et ficum Domini, idest domum alicuius congregationis, decorticat et denudans spoliat, cum bona ipsi congregationi a fidelibus collata sibi appropriat pro usuris. Et ideo albi facti sunt rami eius, idest ipsius professionis monachi vel canonici fame et siti sunt afflicti. Ecce manus quales faciunt eleemosynas, in quibus inventus est sanguis pauperum; de quibus adhuc in Psalmo subditur: Illic, idest in mundo, reptilia quorum non est numerus etc. Nota hic tria genera usurariorum. Sunt enim quidam qui private faciunt usuras: isti sunt reptilia, idest latenter repentia, quorum non est numerus. Sunt alii qui aperte faciunt, sed non in magna quantitate, ut misericordes videantur: et isti sunt animalia pusilla. Alii sunt perfidi, desperati et apertissime usurarii, qui ab omnibus palam quasi in foro usuras recipiunt et faciunt: et isti sunt animalia magna, ceteris crudeliora, a venatore diabolo capienda et securi mortis aeternae interficienda, nisi male ablata restituant et postmodum poenitentiam agant. Et, ut ipsam valeant agere, illic, idest per medium ipsorum, naves, idest praedicatores Ecclesiae, debent pertransire et semen verbi Dei seminare. Sed, peccatis nostris exigentibus, spinae divitiarum et feocia animalia usurarum suffocant verbum tam assidue seminatum, et ideo poenitentiae non faciunt fructum.

10 – Sequitur: Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, et aliud centesimum. Et quarta camera in arca Noe fuit mitium animalium, et quinta hominum et volucrum. Videte, carissimi, quod in tribus supradictis, via scilicet luxuriosorum, qui sunt camera stercoraria, petra superborum religiosorum, qui sunt camera apothecaria, spinis avarorum et usurariorum, qui sunt ferocia animalia, semen verbi Dei non potuit fructificare; et ideo sanctae Ecclesiae fideles in introitu hodiernae missae clamant ad Dominum: Exurge, quare obdormis etc. Nota quod ter dicunt exurge, propter ista tria: via, petra et spinae. Exurge ergo, o Domine, contra luxuriosos, qui sunt via diaboli, qui, quia in peccatis dormiunt, te obdormire credunt. Exurge contra falsos religiosos, qui sunt quasi petra sine humore gratiae. Exurge contra usurarios, qui sunt quasi spinae pungentes, et adiuva nos et libera nos de manibus eorum. In his tribus semen verbi tui, o Domine, non potuit fructificare; sed cum cecidit in terram bonam fecit fructum. 11 – Et vide quam bene concordant bona terra, mitia animalia, homines et volucres, quae significant iustos et poenitentes, activos et contemplativos. Bona terra, cui benedixit Dominus, est mens iusti, de qua dicit Psalmus: Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo ‘. Et nota quod omnis terra est orientalis, occidentalis, aquilonaris et australis. Mens siquidem iusti debet esse terra orientalis per considerationem sui ortus, occidentalis per recordationem sui exitus, aquilonaris considerando tentationes et miserias huius mundi, australis per speculationem aeternae beatitudinis. Omnis ergo terra, idest mens iusti bona, adoret te, Deus, in spiritu et veritate et cordis contritione: hic est fructus trigesimus; et psallat tibi, in tui nominis confessione et sui criminis accusatione: hic est fructus sexagesimus: in his duobus, sex diebus vitae laboriosae, debemus Deo psallere; et psalmum dicat nomini tuo, in operis

satisfactione et finali perseverantia: et hic est centenarius et perfectus.

12 – Vel aliter. ‘Bona terra est sancta Ecclesia’, ‘Noe arca’, quae in se continet mitia animalia, homines et volucres. ‘Mitia animalia significant fideles coniugatos, qui poenitentiae operibus intendunt, sua pauperibus tribuunt, neminem laedunt’. De his dicit Apostolus in hodierna epistola: Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, idest rapit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit: hi faciunt fructum trigesimum. ‘Homines significant continentes et activos, qui vere sunt homines, idest ratione utentes. Hi vitae activae labori se submittunt, pro proximo periculo se exponunt, verbo et exemplo vitam aeternam praedicant, sibi et suis subditis invigilant’. Isti, sicut subdit Apostolus, sunt in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate etc. et hi faciunt fructum sexagesimum. ‘Volucres in superiori parte arcae significant virgines et contemplativos, qui, pennis virtutum in aera elevati, contemplantur’ regem in decore suo. ‘Isti, non dico in corpore sed mente, rapiuntur in contemplatione usque ad tertium caelum’, Trinitatis gloriam spiritus subtilitate contemplantes, ‘ubi audiunt aure cordis ea quae verbis non possunt exprimere’, nec etiam mente comprehendere: et hi sunt qui afferunt fructum centesimum. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut nos facias terram bonam, quae semen tuae gratiae suscipere et fructificare valeat fructum dignum poenitentiae, ut vivere aeternaliter mereamur in tua gloria, te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

* DOMINICA IN QUINQUAGESIMA *

Themata sermonis

Tertium evangelium in Quinquagesima: Caecus sedebat secus viam. In primis sermo ad praedicatores, ibi: Tulit Samuel. Item sermo contra superbum, ibi: Caecus sedebat; et de proprietate nidi et sanguinis menstrui. Item sermo contra tepidos et luxuriosos, ibi: Contigit ut quadam die. Item sermo de Passione Christi, ibi: Piscem exentera etc. Item sermo ad Ecclesiae praelatos, ibi: Labia sacerdotis. Item sermo de Passione Christi, ibi: Tradetur enim gentibus etc.

Exordium. Sermo ad praedicatores

1 – Caecus sedebat secus viam, et clamabat: Miserere mei, fili David. Dicitur in primo libro Regum: Tulit Samuel lenticulam olei et effudit super caput Saul. “Samuel interpretatur postulatus” et significat praedicatorem, precibus Ecclesiae postulatum a Iesu Christo, qui dicit in Evangelio: Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Hic debet accipere lenticulam olei, quae est “vas quadrangulum”, idest evangelicam doctrinam, ‘quae dicitur quadrangula propter quattuor evangelistarum dicta’, et ex ea debet effundere oleum praedicationis super caput Saulis, idest mentem peccatoris. “Saul enim interpretatur abutens” et bene significat peccatorem, qui abutitur donis gratiae et naturae. Et nota quod oleum inungit et illuminat. Sic praedicatio pellem ‘dierum malorum inveteratam’ et peccatis obduratam, peccatoris scilicet conscientiam,

inungit et tractabilem facit; vel athletam Christi inungit et ad pugnam, contra aereas potestates debellandas, transmittit. Unde dicitur in tertio libro Regum, quod 'Sadoc inunxit Salomonem in Gihon'. "Sadoc interpretatur iustus" et significat praedicatorem, qui tamquam sacerdos sacrificium iustitiae offert in ara Passionis dominicae. Hic inunxit Salomonem, "qui interpretatur pacificus", in Gihon, "quod interpretatur lucta"; praedicator enim oleo praedicationis debet inungere peccatorem conversum in lucta, ut diabolo suggerenti non consentiat, carnem blandientem conterat, mundum decipientem contemnat. Oleum etiam illuminat, quia praedicatio illuminat oculum rationis, ut videre valeat radium veri solis. In nomine ergo Iesu Christi accipiam lenticulam huius sancti evangelii, et ex ea effundam oleum praedicationis, quo illuminentur oculi istius caeci, de quo dicitur: Caecus sedebat etc.

2 – In hac dominica dicitur evangelium de caeci illuminatione, in quo fit mentio de Christi Passione, et legitur et cantatur historia de Abrahae peregrinatione et ipsius filii Isaac immolatione. Et in introitu missae: Esto mihi in Deum protectorem, et dicitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Si linguis hominum loquar et angelorum etc. Ad honorem ergo Dei et vestrae animae illuminationem haec omnia concordemus.

I – De caecitate animae

3 – Caecus sedebat etc. Omnibus aliis caecis illuminatis praetermissis, de tribus tantum volumus facere mentionem. Nota: primus est 'evangelicus caecus a nativitate, sed luto et sputo illuminatus'; secundus, 'Tobias, stercore hirundinum excaecatus, sed felle piscis curatus'; tertius, Laodiciae episcopus, cui in Apocalypsi dicit Dominus: Nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, caecus et nudus. Suadeo tibi a me emere aurum ignitum et probatum ut locuptes fias, et vestimentis albis induaris et non appareat confusio nuditatis tuae; et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Quilibet istorum quid significent videamus. 'Caecus a nativitate humanum genus, in primis parentibus excaecatum, ALLEGORICE significat'; quem caecum Iesus illuminavit, cum in terram spuit et super oculos eius lutum linivit. 'Sputum descendens a capite significat divinitatem, terra significat humanitatem. Sputi et terrae coniunctio divinae et humanae naturae est unio, qua illuminata fuit humana generatio'. Et haec duo significant verba caeci, secus viam sedentis et clamantis: Miserere mei, quod spectat ad divinitatem, fili David, quod ad humanitatem.

4 – MORALITER. Caecus iste superbum significat, cuius superbia sic describitur ab Abdia propheta: Si exaltatus, inquit, fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus. Aquila, 'ceteris avibus altius volans', superbum significat, qui duabus alis, arrogantia scilicet et vanagloria, omnibus altior appetit videri. Huic dicitur: Si inter sidera, idest inter sanctos, qui 'in hoc loco caliginoso' tamquam sidera in firmamento lucent, posueris nidum tuum, idest vitam tuam, inde te detraham, dicit Dominus. Superbus enim vitae suae nidum collocare nititur in consortio sanctorum. Unde Iob: Penna struthionis, 'idest hypocritae', similis est pennis herodii et accipitris, 'idest viri iusti'. Et nota quod nidus tria habet in se: mollibus interius componitur, duris et asperis exterius construitur, in incerto loco, vento expositus, collocatur. Sic vita superbi quamdam mollitiem, idest carnalem delectationem, habet interius, sed spinis et lignis

aridis, idest operibus mortuis, est circumdatus exterius; vento etiam vanitatis expositus, in incerto collocatur, quia nescit an sero an mane si de medio tollatur. Et hoc est quod subinfertur: Inde te detraham, idest deorsum ad inferos traham, dicit Dominus. Unde in Apocalypsi: Quantum se exaltavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum.

5 – Et nota quod iste caecus superbus illuminatur sputo et luto. Sputum est semen patris, quod emittitur in lutuosam matricem matris, in qua generatur miserabilis homo; quem superbia non excaecasset, si tam miseram suae generationis conditionem attendisset. Unde Isaias: Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua praecisi estis. Petra est pater noster carnalis; caverna laci est matrix nostrae matris. Ab illo excidimus in foetida seminis effusione, ab ista praecidimur in dolorosa parturitione. 'Quid ergo superbis, o miser homo, tam vili sputo genitus, tam horribili lacu procreatus, et ibidem novem mensibus sanguine menstruo nutritus?' "Quo si contactae fuerint fruges, non germinabunt, acescent musta, morientur herbae, amittent arbores foetus, ferrum rubigo corripiet, nigrescent aera, et si quid canes inde ederint in rabiem efferebuntur, nocituri morsibus, quibus lymphaticos faciunt. Ceterum ipsae feminae quibus minus est necessitatis, quamdiu sint in sua lege, non innocentibus oculis contuentur. Aspectu specula vitiant, ita ut hebetetur visu fulgor offensus, et solitam aemulationem vultus extinctus splendor amittat, faciesque obtusi nitoris quadam caligine nubiletur". Si haec, o miser homo, o superbe caece, attenta mente tecum pertractaveris et te genitum luto et sputo consideraveris, vere, vere illuminaberis, vere humiliaberis. Et quod supradicta auctoritas Isaiae de carnali generatione intelligatur, apertissime ostenditur, cum subditur: Attendite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos. Huic superbo caeco praecipit Dominus, dicens: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui etc. Nota hic tria genera superbiae: contra inferiorem, aequalem et superiorem. Superbus conculcat, contemnit et subsannat: conculcat inferiorem quasi terram, 'quae dicitur a tero teris'; contemnit aequalem quasi cognationem; superbus enim cognatos et affines de facili contemnit et scandalizat; subsannat etiam superiorem quasi domum patris. Superior dicitur domus patris, quia sub eo subditus, quasi sub domo paterna filius, debet se abscondere a pluvia carnalis concupiscentiae, a tempestate persecutionis daemoniacae, ab ardore prosperitatis mundanae. Sed caecus superbus subsannatione, 'quae fit naso corrugato', subsannat superiorem. Dicit ergo Dominus: Egredere, o superbe caece, de terra tua, ne conculces inferiorem; egredere de cognatione tua, ne contemnas aequalem, et de domo patris tui, ne subsannes superiorem.

6 – Sequitur: Et vade in terram, quam monstravero tibi. Terra est humanitas Iesu Christi, de qua dicit Dominus Moysi in Exodo: Solve calceamenta de pedibus tuis; quia locus in quo stas, terra sancta est. Calceamenta sunt "opera mortua", quae de pedibus, "idest affectibus" tuae mentis, debes solvere, idest auferre, quia terra, idest humanitas Iesu Christi, in qua stas per fidem, sancta est, te peccatorem sanctificans. Vade ergo, o superbe, in terram, considera Christi humanitatem, attende ipsius humilitatem, deprime cordis tui tumorem. 'Vade, inquam, passibus amoris', accede humilitate cordis, dicens cum Propheta: In veritate tua humiliasti me. O Pater, in veritate tua, idest in Filio tuo, humiliato, egeno et peregrino, humiliasti me: humiliato, inquam, in utero Virginis; egeno in praesepio pecoris; peregrino in patibulo crucis. Nihil enim sic humiliat superbum peccatorem sicut humilitas humanitatis Iesu Christi. Unde Isaias: Utinam dirumperes

caelos et descenderes; a facie tua montes defluerent. A facie eius, ‘idest praesentia humanitatis Iesu Christi, montes, idest superbi’, defluunt et a seipsis deficiunt, cum caput divinitatis considerant inclinatum in uterum Virginis Matris. Vade ergo in terram, quam tibi quasi digito monstravi in flumine Iordanis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Eris et tu dilectus, in quo mihi complacui, filius, gratia adoptivus, si exemplo Filii mei, mihi coequalis, fueris humiliatus; quem ideo tibi monstravi, ut ex vitae ipsius forma, tuae vitae conversationem informares, informatus lumen reciperes, et sic audire posses: Respice, fides tua te salvum fecit, te ipsum illuminavit.

7 – Secundus caecus, stercore hirundinum excaecatus, sed felle piscis curatus, est Tobias, de quo dicitur in eiusdem libro: Contigit ut quadam die, fatigatus a sepultura, veniens domum, iactasset se iuxta parietem et obdormisset, et ex nido hirundinum dormienti illi inciderent stercora super oculos eius fieretque caecus. Tobias, sepultura, domus, paries, obdormitio, nidus, hirundines et ipsarum stercora quid significent breviter videamus. Tobias, iustus tepidus; sepultura, poenitentia; domus, carnis cura; paries, ipsius voluptas; obdormitio, negligentiae torpor; nidus, mentis effeminatae consensus; hirundines, daemones; stercora, gula et luxuria. Dicamus ergo: Tobias, fatigatus a sepultura etc. ‘Tobias significat iustum tepidum’, de quo dicit Dominus in Apocalypsi: Quia neque frigidus es, timore poenae, neque calidus, amore gratiae, sed quia tepidus es, ideo incipiam te evomere ex ore meo. Sicut enim aqua tepida provocat vomitum, sic tepiditas et negligentia a ventre divinae misericordiae expellit otiosum et tepidum. ‘Maledictus, inquit Ieremias, qui opus Domini fecerit negligenter’. Hic fatigatus a sepultura venit domum, cum in labore poenitentiae – in qua et sub qua debet abscondere mortua corpora, idest mortalia peccata, ut sit de illis quibus dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata – taedio afficitur et ‘ad carnis suae curam, quam contra Apostolum facit, in desideriis’ revertitur. Unde et subditur: Iactavit se iuxta parietem. Paries est carnis voluptas. Sicut enim in pariete lapis lapidi superponitur et caemento conglutinatur, sic in carnis voluptate peccatum visus peccato auditus et peccatum auditus peccato gustus, et sic de singulis, coniungitur, et caemento malae consuetudinis tenaciter colligatur; et obdormit negligentiae torpore dissolutus, et tunc fit stercoratio hirundinum super oculos dormientis. Hirundines, propter citissimum volatum, daemones significant, quorum superbia ‘super astra caeli ad altitudinem nubium, ad aequalitatem Patris, ad similitudinem Filii voluit advolare’. Daemonum nidus est effeminatae mentis consensus, plumis vanaegloriae et luto lasciviae confectus. Ex tali nido cadunt stercora gulae et luxuriae super oculos dormientis Tobiae, et sic excaecantur oculi, idest ratio et intellectus, infelicis animae.

8 – Attendite, carissimi, et cavete vobis a tam infelici processu: a taedio enim sepulturae, idest poenitentiae, pervenitur ad domum carnalis curae; quae, sub specie necessitatis, collocat se iuxta parietem voluptatis, in qua, dum somno negligentiae deprimitur, stercore luxuriae excaecatur. Unde Poeta: “Quaeritur, Aegisthus quare sit factus adulter. In promptu causa est: desidiosus erat”. Clama ergo, o Tobia tepide, o luxuriose caece, qui iaces secus parietem: Miserere mei, fili David. Unde iste caecus, in introitu hodiernae missae, orat illuminari, dicens: Esto mihi in Deum protectorem etc. Nota quod quattuor petit: primo, cum dicit: Esto mihi in Deum protectorem, ut brachiis expansis in cruce, tamquam gallina pullos suos sub alas suas, protegas et defendas; secundo, cum dicit: et in

locum refugii, ut in latere tuo, lancea perfosso, locum inveniam refugii, quo abscondi valeam a facie inimici; tertio, cum dicit: quoniam firmamentum meum, ne cadam, et refugium meum, idest retrofugium meum, es tu, ut si cecidero ad te non ad alium refugiam; quarto, cum dicit: et propter nomen tuum, quod est Filius David, dux mihi caeco eris, quia manum misericordiae dabis, et enutries me lacte tuae gratiae. Miserere ergo mei, fiti David.

II – De Passione Christi

9 – Dei et David Filius, magni consilii angelus, humani generis medicina et medicus, tibi in eodem libro consulit, dicens: 'Piscem exentera, fel extrahe, oculos inunge', et sic visum poteris recipere. 'Piscis, ALLEGORICE, est Christus, qui pro nobis in craticula crucis fuit assatus'. Huius fel est amaritudo Passionis, qua si animae tuae oculi inuncti fuerint visum recipies. Amaritudo enim Passionis dominicae expellit omnem caecitatem luxuriae et omne stercus carnalis concupiscentiae. Unde quidam sapiens: "Memoria crucifixi vitia crucifigit". Unde dicitur in libro Ruth: Intinge buccellam tuam in aceto. Buccella est miserae carnis momentanea delectatiuncula, quam debes intingere in aceto, idest in amaritudine Passionis Iesu Christi. Unde tibi praecipit Dominus quod praecepit Abrahae in presentis dominicae historia, dicens: Tolle filium tuum quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis; et offer illum ibi mihi in holocaustum. "Isaac interpretatur risus vel gaudium" et significat MORALITER carnem nostram, quae ridet, quando temporalia ei arrident, et gaudet, cum sua desideria complet. De his duobus dicit Salomon in Ecclesiaste: Risum, idest temporalia, reputavi errorem, quia errare a via veritatis faciunt, et gaudio, scilicet carnis, dixi: Quid frustra deciperis? Tolle ergo filium tuum, carnem tuam, quam diligis, quam tam affectuose nutris, et, miser, nescis quia non est efficacior pestis ad nocendum quam familiaris inimicus? Qui delicate, inquit Salomon, a pueritia nutrit servum suum, sentiet eum contumacem. Tolle ergo, tolle, crucifige, crucifige eum. Reus est mortis. Respondet Pilatus, idest carnalis affectus: Quid enim mali fecit? O quanta mala tuus risus, tuus filius fecit! Deum contempsit, proximos scandalizavit, propriae animae mortem intulit. Et tu dicis: Quid mali fecit? Tolle ergo eum et vade in terram visionis.

10 – Terra visionis fuit dicta Ierosolyma, de qua dicitur in evangelio hodierno: Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam. Assume et tu filium tuum, et ascende cum Iesu et apostolis Ierosolymam, et ibi offer in altari, idest in consideratione dominicae Passionis, in cruce poenitentiae, in holocaustum corpus tuum. Et nota quod dicit in holocaustum. 'Holocaustum dicitur ab holon, quod est totum, et cauma, quod est incensio; inde holocaustum, quasi totum incensum'. Totum ergo filium tuum, totum corpus tuum offer Iesu Christo, qui se totum obtulit Deo Patri, 'ut totum destrueret corpus peccati'. Nota quod, sicut 'corpus humanum constat ex quattuor elementis: igne, aere, aqua, terra: ignis viget in oculis, aer in ore, aqua in lumbis, terra in manibus et pedibus'; sic in corpore peccatoris, peccato servientis, 'ignis viget in oculis per curiositatem, aer in ore per loquacitatem, aqua in lumbis per luxuriam, terra in manibus et pedibus per crudelitatem'. Sed Dei Filius faciem, 'in quam desiderant angeli prospicere', habuit velatam, ut oculorum tuorum reprimeret curiositatem; 'coram se non dico tondente sed occidente obmutuit, et dum male tractaretur non aperuit os suum', ut

refrenaret tuam loquacitatem; latus eius lancea fuit apertum, ut a te educeret luxuriae humorositatem; manibus et pedibus clavis fuit affixus, ut a tuis manibus et pedibus expelleret crudelitatem. Tolle ergo filium tuum, risum tuum, carnem tuam, et offer illum totum in holocaustum, ut totus caritate ardeas, quae operit multitudinem peccatorum. De qua dicit Apostolus in hodierna epistola: Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Dicit AUGUSTINUS: 'Caritatem voco motum animi ad fruendum Deum propter ipsum, et se atque proximum propter Deum'. Quam qui non habet, quamvis multa bona, de genere scilicet bonorum, faciat, frustra laborat; et ideo dicit Apostolus: Si linguis hominum etc. Caritas Dei Filium duxit ad crucis patibulum. Unde in Canticis: Fortis est ut mors dilectio. Ibi beatus BERNARDUS: 'O caritas, quam forte est vinculum tuum, quo etiam Dominus ligari potuit'. Tolle ergo filium tuum et offer illum in altari Passionis Iesu Christi, cuius felle, idest amaritudine, illuminaberis, et audire mereberis: Respice, fides tua te salvum fecit, te illuminavit.

11 – Vel aliter. Tobias felle piscis fuit illuminatus. Caro piscis est dulcis, fel est amarum; quo si caro piscis respergitur tota in amaritudinem convertitur. Caro piscis est delectatio luxuriae, fel intus latens est amaritudo mortis aeternae. Unde Iob, simili sensu sed dissimili verbo, dicit: Radix iuniperorum cibus eorum. Nota quod 'radix iuniperi dulcis est et comestibilis, sed habet spinas pro foliis; sic luxuriae delectatio, quae est cibus carnalium, in praesenti videtur dulcis, sed in fine parturiet punctiones aeternae mortis'. Exentera ergo piscem, idest considera peccati delectationem, quam sit vilis. Extrahe fel, idest attende poenam, quae debetur peccato, quomodo sit infinibilis, et sic omnem tuae carnis dulcedinem poteris convertere in amaritudinem.

12 – Tertius caecus fuit Laodiciae angelus, collyrio illuminatus. "Laodicia interpretatur tribus amabilis Domino", et significat sanctam Ecclesiam, pro cuius amore sanguinem suum Dominus fudit, et ex ea, tamquam de tribu Iuda, regale sacerdotium elegit. Angelus ergo Laodiciae est episcopus vel praelatus sanctae Ecclesiae, qui bene dicitur angelus propter officii sui dignitatem, de quo Malachias propheta: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Nota quod in hac auctoritate quinque notantur, episcopo vel praelato Ecclesiae valde necessaria: vita scilicet, fama, scientia, caritatis abundantia, puritatis talaris tunica. Labia sacerdotis sunt duo: vita scilicet et fama, quae debent custodire scientiam, ut quod scit et praedicat, vita quoad se, scientia quoad proximum, custodiat. Ex his enim duobus labiis procedit scientia fructuosae praedicationis. Et si haec tria in praelato praecesserint, ex ore eius subditi exquirent legem, idest caritatem, de qua Apostolus: Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem, "idest caritatem", Christi, 'qui onera peccatorum nostrorum sola caritate in corpore suo portavit super lignum'. Lex est caritas, quam "subditi" exquirunt, idest extra quaerunt, prius in opere, ut ipsi postmodum suavius et fructuosius suscipiant ex praelati ore: Coepit enim Iesus facere et docere. Erat enim potens in opere et sermone.

13 – Sequitur: Quia angelus Domini exercituum est. Ecce puritatis intimae stola. "In carne enim praeter carnem vivere, ut dicit HIERONYMUS, non humanae sed caelestis est naturae". Sed angelo Laodiciae, idest praelato Ecclesiae, his quinque virtutibus

carenti, improperat Dominus, cum subiungit: Tu miser es et miserabilis, caecus, pauper et nudus. Miser es in vita, miserabilis in fama, caecus in scientia, pauper in caritate, nudus puritatis talari tunica. Sed quia 'Dominus novit contraria contrariis curare', et cum corripit erudit et dum pungit inungit, ideo consulit caeco Laodiciae episcopo, cum subdit: Suadeo tibi a me emere aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris ut non appareat confusio nuditatis tuae; et collyrio inunge oculos tuos ut videas. Suadeo tibi inquit, a me non a mundo emere, 'pretio scilicet bonae voluntatis', aurum pretiosae vitae contra tuae miserae vitae scoriam, ignitum caritate contra tuae paupertatis inopiam, probatum in sufflatorio bonae famae contra tuae infamiae foetorem, et vestimentis albis induaris contra tuae foeditatis nuditatem, et collyrio inunge oculos tuos contra tuae insipientiae caecitatem.

14 – Et nota quod istud collyrium, quo oculi animae illuminantur, componitur ex quinque verbis Passionis dominicae, quasi quinque herbis, de quibus dicitur in hodierno evangelio: Tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur et conspuetur; et postquam flagellaverint occident eum. Heu! Heu! captivorum libertas traditur, angelorum gloria illuditur, omnium Deus flagellatur, 'speculum sine macula et candor lucis aeternae' conspuitur, morientium vita occiditur, et quid nobis miseris ulterius restat agendum, nisi ut 'eamus et moriamur cum illo'? 'Trahe, inquit, nos, o Domine Iesu, de luto faecis, uncino tuae crucis, ut currere valeamus non dico in odorem' sed in amaritudinem tuae Passionis. O anima mea, compone tibi collyrium, 'fac tibi planctum amarum super mortem unigeniti', super Passionem Crucifixi. Dominus innocens traditur a discipulo, illuditur ab Herode, flagellatur a praeside, conspuitur a Iudaeorum plebe, crucifigitur a militum cohorte; de quolibet istorum breviter pertractemus.

15 – Traditus est a suo discipulo. Quid, inquit, vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? Proh dolor! ponitur in pretio res impretiabilis. Heu! Heu! "Proditur, exiguo venditur aere Deus". Quid, inquit, vultis mihi dare? O Iuda, Deum Dei Filium 'tamquam vile mancipium, tamquam canem mortuum vis vendere, cum non tuam sed ementium requiris voluntatem'. Quid, inquit, vultis mihi dare? Et quid tibi possunt dare? Si Ierosolymam, Galilaeam et Samariam tibi dederint, numquid Iesum emere poterint ? Si caelum et angelos, terram et homines, mare et omnia, quae in eis sunt, tibi dare potuissent, numquid Dei Filium, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, emere valuissent? Non utique! Numquid Creator a creatura emi vel vendi potest? Et tu dicis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? Dic mihi: in quo tibi nocuit et quid tibi mali fecit, quia dicis: et ego eum vobis tradam? Ubi illa incomparabilis Filii Dei humilitas et voluntaria paupertas? Ubi benignitas et affabilitas ? Ubi illa dulcis praedicatio et miraculorum operatio? Ubi illae lacrimae piissimae super Ierusalem et morte Lazari effusae? Ubi privilegium quod te elegit in apostolum et fecit familiarem amicum? Haec et his similia cor tuum emollire et te ad misericordiam debuerant provocare, ne diceres: et ego eum vobis tradam. O quanti hodie Iudae Iscariotes, "quod interpretatur merces", 'qui mercede alicuius commodi temporalis veritatem vendunt', osculo adulationis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo aeternae damnationis se suspendunt.

16 – Illusus etiam fuit ab Herode. Unde dicitur in Luca: Sprevit autem illum Herodes cum

exercitu suo, et illusit indutum veste alba. Dei Filius spernitur ab Herode vulpe – Ite, inquit, dicite vulpi illi – et eius exercitu, cui angelorum exercitus, ‘indefessa voce, proclamat: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus Sabaoth’; ‘cui, ut dicit Daniel, milia milium ministrant et decies centena milia assistunt’. Et illusit, inquit, indutum veste alba. Pater induit Filium suum Iesum veste alba, ‘idest carne ab omni labe peccati munda’, a Virgine immaculata assumpta. Deus Pater Filium glorificavit, quem Herodes sprevit. Pater veste alba induit, et Herodes indutum illusit. Proh dolor! Sic fit hodie! “Herodes interpretatur gloria pellis”, et significat hypocritam, qui in exteriori conversatione quasi in pelle gloriatur, cum omnis gtoria filiae, idest animae, regis caelestis sit ab intus. Hic Iesum spernit et illudit: spernit, cum crucifixum praedicat et crucifixi stigmata non portat; illudit, cum sub gloria pellis se abscondit, ut Christi membra decipere possit. “Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps”. Gloria pellis hodie quot decipit herodianae!

17 – Fuit etiam flagellatus a Pontio Pilato. Unde in Ioanne: Tunc apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit. Dicit Isaias: Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem, quandocumque pertransierit tollet vos. Ne flagellum istud, per quod mors aeterna vel diaboli potentia intelligitur, nos conculcaret, omnium Deus, Dei Filius, fuit ad columnam, tamquam latro, ligatus et atrocissime flagellatus, in tantum ut sanguis undique emanaret. O mansuetudo divinae pietatis, o patientia paternae benignitatis, o profundum et inscrutabile aeterni consilii arcanum! Videbas, Pater, Unigenitum tuum, tibi coequalem, ad columnam tamquam latronem ligari et flagellis sicut homicidam laniari; et quomodo te continere potuisti? Gratias tibi agimus, Pater sancte, quia per dilecti Filii tui vincula et flagella a vinculis peccati et flagellis diaboli sumus liberati. Sed, proh dolor! Pontius Pilatus iterum flagellat Iesum Christum. “Pontius interpretatur declinans, Pilatus malleator”, vel ore contundens, et significat illum qui declinat a bono proposito et post votum redit ad vomitum. Hic ore blasphemo et linguae malleo contundit et flagellat Christum in membris suis; ‘egressus enim cum Satan a facie Domini’ ordini detrahit, istum vocat superbum, illum accusat gulosum, et, ut ipse innocens appareat, alios nocentes iudicat, ut sub multorum ignominia suam valeat iniquitatem palliare.

18 – Fuit etiam Iudaeorum sputis illitus. Tunc, inquit Matthaeus, expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ei dederunt. O Pater, caput Filii tui Iesu, archangelis tremendum, arundine percutitur, facies, ‘in quam desiderant angeli prospicere’, Iudaeorum sputis foedatur, alapis caeditur, eius barba depilatur, colaphis caeditur, per capillos trahitur; et tu, cle–. mentissime, taces et dissimulas, et potius ‘vis ut unus tibi unicus sic conspuatur, sic colaphizetur, quam tota gens pereat’. Tibi laus, tibi gloria, quia de Filii tui Iesu sputis et alapis et colaphis theriacam nobis fecisti, quae expelleret animae nostrae venenum. Vel aliter. Facies Iesu Christi sunt Ecclesiae praelati, per quos, tamquam per faciem, cognoscimus Deum. In hanc faciem perfidi Iudaei, idest perversi subditi, conspuunt, cum ipsis praelatis detrahunt et maledicunt, prohibente Domino ac dicente: Principem populi tui non maledices.

19 – Item, a militibus fuit crucifixus. Milites, inquit Ioannes, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius etc. O vos omnes, qui transitis per viam, gradum figite, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Discipuli fugiunt, noti et amici recedunt, Petrus negat, Synagoga spinis coronat, milites crucifigunt, Iudaei deridentes blasphemant,

felle et aceto potant; et quis dolor sicut dolor meus? Manus enim tornatiles, ut dicit sponsa in Canticis, aureae, plenae hyacinthis, clavis fuerunt confixae. Pedes, 'quibus mare se calcabile praebuit', cruci clavis affixi. 'Facies, quae lucet sicut sol in virtute sua', in pallorem fuit mortis mutata. Oculi dilecti, quibus nulla creatura invisibilis, in morte sunt clausi. Et, quis dolor sicut dolor meus? Inter haec omnia solus Pater praestitit adminiculum, in cuius manus commendavit spiritum, dicens: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et, cum haec dixisset, inclinato capite, qui alibi non habuit ubi caput reclinaret, tradidit spiritum. Sed, heu! heu! Iterum totum 'corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia', crucifigitur et occiditur. In quo ali; sunt caput, alii manus, alii pedes, alii corpus. Caput sunt contemplativi, manus activi, pedes praedicatores sancti, corpus omnes veri christiani. Hoc totum Christi corpus quotidie milites, idest daemones, suis suggestionibus, quasi quibusdam clavis, crucifigunt; Iudaei, pagani, haeretici blasphemant, felle et aceto doloris et persecutionis potant. Nec mirum: omnes enim qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur. Bene ergo dicitur: Tradetur, illudetur, flagellabitur, conspuetur et crucifigetur. Ex his quinque verbis, quasi quinque pretiosissimis herbis, fac tibi collyrium, o angele Laodiciae, et inunge oculos tuae animae, ut lumen recipias et audire valeas: Respice, fides tua te salvum fecit, Rogemus ergo et instanter, carissimi, mentis devotione postulemus, ut Dominus Iesus Christus, qui caecum a nativitate, Tobiam et Laodiciae angelum illuminavit, nostrae animae oculos, fide suae Incarnationis, felle et collyrio suae Passionis, illuminare dignetur, quatenus in splendoribus sanctorum, in claritate angelorum, ipsum Filium Dei, lumen de lumine, videre mereamur, ipso praestante, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

* DOMINICA I IN QUADRAGESIMA *

Themata sermonis

Quartum evangelium in Quadragesima: Ductus est Iesus in desertum, quod in allegorico et morali sermone dividitur. In allegorico sermone, in primis de triplici deserto, et sermo in adventu Domini, ibi: Emitte agnum, Domine. Item sermo de maledicto ternario, ibi: Tulit Ioab tres lanceas. In morali sermone, in primis sermo ad claustrales, ibi: Datae sunt mulieri duae alae; et de natura aquilae et proprietate accipitris. Item sermo de cordis contritione, ibi: In spiritu vehementi; et ibi: Sacrificium Deo. Item sermo ad sacerdotes, qualiter debeant celare confessionem, ibi: "Confessio debet esse inhabitabilis"; et ibi: Cavete, ne ascendatis in montem. Item sermo de septem vitiis, et proprietate struthionis, asini et ericii, ibi: Erit cubile draconum. Item sermo ad confitentes, qualiter debeant confiteri peccata et ipsorum circumstantias, ibi: Sume citharam. Item sermo de confessione, ibi: Quam terribilis est locus. Item sermo de quadragenario ieiunio, ibi: Et cum ieiunasset quadraginta diebus; et ibi: Exploratores missi a Moyse. Item sermo de circumstantiis peccati confitendis et deponendis, ibi: Macedam quoque cepit Iosue. Item sermo de ternario maledicto, quo tentat nos diabolus, ibi: Induamus novum hominem.

Exordium. De deserto Engaddi

1 – Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo etc. Dicitur in primo libro Regum, quod ‘David habitavit in deserto Engaddi’. ‘David interpretatur manu fortis, et significat Iesum Christum, qui, manibus in cruce affixis, aereas potestates debellavit’. Ecce quam mirabilis fortitudo: ligatis manibus proprium devincere inimicum! Hic habitavit in deserto Engaddi, “quod interpretatur oculus tentationis”. Nota quod triplex est oculus tentationis. Primus est gulae, de quo dicitur in Genesi: Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo. Secundus est superbiae et vanaegloriae, de quo dicit Iob, loquens de diabolo: Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae. Tertius est avaritiae, de quo Zacharias: Hic est oculus eorum in universa terra’. Christus ergo habitavit in deserto Engaddi quadraginta diebus et quadraginta noctibus, in quo gulae, vanaegloriae et avaritiae tentationem sustinuit a diabolo.

2 – Unde dicitur in hodierno evangelio: Ductus est Iesus in desertum. Nota quod triplex est desertum, in quorum quodlibet ductus fuit Iesus: ‘primum est uterus Virginis’, secundum praesens evangelium, ‘tertium patibulum crucis’. In primum fuit ductus sola misericordia, in secundum exempli causa, in tertium Patris obedientia. De primo dicit Isaias: Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion. O Domine Pater, emitte agnum, non leonem, dominatorem, non vastatorem, de petra deserti, idest de beata Virgine, quae dicitur petra deserti: petra, propter firmum propositum virginitatis – unde respondit Angelo: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? ‘idest firmiter proposui non cognoscere’; deserti, quia inarabilis, virgo enim ante partum et in partu et post partum extitit. Emitte, inquam, ad montem, ‘idest excellentiam, filiae, idest Ecclesiae, quae est filia, Sion, idest caelestis Ierusalem’. De secundo dicit Matthaeus: Ductus est Iesus in desertum etc. De tertio Ioannes Baptista dicit in Ioanne: Ego vox clamantis in deserto. ‘Ioannes ideo dicitur vox, quia sicut vox praecedit verbum sic ipse praecessit Dei Filium’. Ego, inquit, vox ‘Christi’, clamantis in deserto, idest crucis patibulo: Pater, in manus tuas etc. In hoc deserto totus fuit spinosus et ab omni humano auxilio derelictus.

De triplici tentatione Adae et Iesu Christi

3 – Dicamus ergo: Ductus est Iesus in desertum a Spiritu. Quaeri solet a quo. ‘Lucas apertissime ostendit a quo fuerit ductus: Iesus, inquit, plenus Spiritu Sancto, regressus est a Iordane; et agebatur a Spiritu in desertum’. Illo quo erat plenus, ipso fuit ductus, de quo ipse dicit in Isaia: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; eo spiritu, ‘quo fuit prae suis participibus inunctus’, illo fuit in desertum ductus, ut tentaretur a diabolo. Quia Filius Dei, noster Zorobabel, “qui interpretatur magister Babylonis”, venerat mundum peccatis confusum restaurare et tamquam medicus aegrotos sanare, ‘oportuit ut contraria contrariis; curaret; sicut arte medicinae frigida calidis, calida frigidis curantur’. Destructio et infirmitas humani generis fuit Adae peccatum, ‘quod consistit in tribus: gula, vanagloria et avaritia’. Unde versus: “Vicit Adam veterem gula, gloria vana, cupido”. Ista tria habes in Genesi: Dixit serpens ad mulierem: ‘In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, ecce gula; eritis sicut dii, ecce vanagloria; scientes bonum et

malum, ecce avaritia'. Istae fuerunt illae tres lanceae, quibus interfectus fuit Adam cum filiis suis. Unde dicitur in secundo libro Regum: Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom. "Ioab interpretatur inimicus et bene significat diabolum, humani generis inimicum". 'Hic tulit in manu falsae promissionis tres lanceas, idest gulam, vanamgloriam et avaritiam, et infixit eas in corde', in quo est fons caloris et vita hominis: ex ipso, inquit Salomon, vita procedit, ut calorem divini amoris extingueret et vitam omnino auferret; in corde, inquit, Absalom, "qui interpretatur pax patris". Hic fuit Adam, qui ad hoc in loco pacis et voluptatis fuit positus, ut pacem patris, ipsi obediendo, aeternaliter conservaret. Sed postquam Deo Patri obedire noluit, pacem perdidit et in corde eius tres lanceas diabolus infixit et omnino vita privavit.

4 – Venit ergo Filius Dei tempore acceptabili, et, obediens Deo Patri, perdita restauravit, contraria contrariis curavit. Adam positus fuit in paradiso, in quo, deliciis affluens, cecidit. Iesus ductus est in desertum, in quo, ieiuniis insistens, diabolum devicit. Videte utriusque tentationis concordantiam in Genesi et in Matthaeo: Dixit serpens: In quacumque die comederitis. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant ecce gula. Item: Eritis sicut dii. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi etc.: ecce vanagloria. Item: Scientes bonum et malum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum. Et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me; quantum perversus, tantum perverse locutus: ecce avaritia. Sapientia vero, quia semper sapienter agit, triplicem tentationem diaboli triplici Deuteronomii auctoritate superavit. Diabolus cum de gula tentavit, Iesus respondit: Non in solo pane vivit homo; ac si diceret: Sicut homo exterior vivit pane materiali, sic interior vivit pane caelesti, qui est verbum Dei. Verbum Dei dicitur Filius, qui est Sapientia, 'quae ex ore Altissimi processit'. "Sapientia dicitur a sapore". Panis ergo animae est sapor sapientiae, quo sapit bona Domini 'et degustat quam suavis sit ipse Dominus'. De hoc pane dicitur in libro Sapientiae: Panem de caelo illis praestitisti omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Et hoc est quod dicitur: Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. In omni dicit, quia omnis saporis suavitatem habet Dei verbum et sapientia, cuius sapor gulae delectationem insipidam facit. Hunc panem quia Adam fastidivit, ideo gulae tentationi acquievit. Bene ergo dicitur: Non in solo pane etc. Item, cum de vanagloria tentavit, Iesus rcspondit: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iesus Christus est Dominus creatione, Deus aeternitate. Hunc diabolus tentavit, cum ipsum templi Creatorem, de pinnaculo templi, ut se mitteret deorsum persuasit, et Deo omnium caelestium virtutum adiutorium angelorum promisit. Non ergo tentabis Dominum Deum tuum. Adam etiam Dominum Deum tentavit, cum Domini et Dei praeceptum non observavit, sed falsae promissioni de facili acquievit: Eritis sicut dii. O quanta vanagloria credere se posse fieri Deum! O miser! Inaniter elevaris super te, et ideo miserabiliter corrues subtus te. Non ergo tentabis Dominum Deum tuum. Item, cum de avaritia tentavit, Iesus respondit: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Omnes qui pecuniam vel mundi gloriam amant, procidentes diabolum adorant. Nos vero, pro quibus Iesus Christus venit in uterum Virginis, et sustinuit patibulum crucis, ipsius exemplo edocti, veniamus in desertum poenitentiae, et, ipsius adiutorio, gulae impetum, vanaegloriae ventum, avaritiae incendium reprimamus; ipsum quem archangeli adorant adoremus, ipsi cui angeli serviunt serviamus, qui est benedictus, gloriosus, laudabilis et

excelsus in aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA DE POENITENTIA

Exordium. Sermo ad claustrales, seu de anima poenitenti

1 – Ductus est Iesus in desertum a spiritu etc. Dicitur in Apocalypsi: Datae sunt mulieri duae alae aquilae, ut volaret in desertum. Mulier ista animam poenitentem significat, de qua dicit Dominus in Ioanne: Mulier, idest anima, cum parit in confessione peccatum, quod concepit in delectatione, tristitiam habet, et debet habere. Huic mulieri dantur duae alae aquilae. 'Aquila, ab acumine visus vel rostri sic dicta', virum iustum significat; aquila enim acutissimi est visus, 'et quando rostrum prae nimia senectute grossescit, ad petram acuit, et ita reiuvenescit'. 'Sic vir iustus contemplationis acumine veri solis splendorem intuetur', et si aliquando eius rostrum, idest mentis affectus, aliquo peccato grossescit, ne solitum cibum internae dulcedinis capere possit, statim ad petram confessionis acuit, et sic gratiae iuventute reiuvenescit. Unde de eo dicit Propheta: Renovabitur ut aquilae iuventus tua. Huius aquilae sunt duae alae, amor scilicet et timor Dei, de quibus dicit Dominus ad Iob: Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Aquila et accipiter in hoc loco virum iustum significant. Et nota quod accipiter duo facit: pede capit, et non capit avem nisi volantem. Sic vir iustus: pede affectus capit, et non capit bonum nisi volans; de terrenis non curat. Hic per sapientiam Dei plumescit. Plumae accipitris sunt purae cogitationes viri iusti, quae per Dei sapientiam, quae dicitur a sapore, ordinate in iusti mente succrescunt: quantum enim de Deo sapis, tantum plumescis; quantum de ipsius saporis dulcedine sentis, tantas bonarum cogitationum plumas emittis. Et sic iste accipiter expandit alas suas, idest amorem et timorem divinum, ad austrum, idest Iesum Christum, 'qui ab austro venit', ut calorem nutritivum emittat et gratiam conservativam in ipsas infundat. Hae duae alae dantur mulieri, idest animae poenitenti, quibus, a terrenis elevata, advolet in desertum poenitentiae, de quo dicitur in evangelio praesentis dominicae: Ductus est Iesus in desertum etc.

2 – In hac dominica dicitur in introitu missae: Invocabit me et ego exaudiam eum, et [legitur] epistola beati Pauli ad Corinthios: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quia "advenerunt nobis dies poenitentiae ad redimenda peccata et salvandas animas", ideo de poenitentia, 'quae consistit in tribus, cordis scilicet contritione, oris confessione et operis satisfactione', et eorum oppositis, gula scilicet, vanagloria et avaritia, quae sex in hodierno evangelio notantur, ad Dei laudem et nostrae animae utilitatem pertractemus.

I – De cordis contritione

3 – Dicamus ergo: Ductus est Iesus in desertum. Exemplum, inquit Iesus, dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Quid fecit Iesus? Ductus est in desertum a

Spiritu. Et tu, qui credis in Iesum et speras salutem a Iesu, a spiritu contritionis, obsecro, ducaris in desertum confessionis, ut perfecte perficias quadragenarium numerum satisfactionis. Et nota quod cordis contritio dicitur spiritus; unde David: In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. "Tharsis interpretatur exploratio gaudii". 'Naves Tharsis sunt mentes saecularium", quae per mare huius saeculi velo carnalis concupiscentiae et vento vanaegloriae trahuntur, ad explorandum gaudium prosperitatis mundanae. In spiritu ergo vehementi contritionis conterit Dominus naves Tharsis, idest saecularium mentes, ut contritae non explorent vacuum sed plenum gaudium. Et nota quod spiritus contritionis duabus de causis dicitur vehemens: eo quod vehit sursum mentem et vae aeternum adimit. De hoc spiritu dicitur in Genesi: Spiravit in faciem eius spiraculum vitae. Spiraculum vitae, quod est cordis contritio, 'tunc inspirat Dominus in faciem animae, cum Dei imago et similitudo, per peccatum deturpata, per cordis contritionem faciei ipsius animae imprimitur et impressa renovatur'.

4 – Qualis autem debeat esse contritio ostendit Propheta, cum dicit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. In hoc versu quattuor notantur: spiritus pro peccatis contribulati compunctio, peccatoris reconciliatio, omnium peccatorum universalis contritio, peccatoris contriti perseverans humiliatio. Dicit ergo: Spiritus poenitentis, pro peccatis quasi quibusdam tribulis tribulatus et compunctus, est sacrificium Deo, Deum ipsi peccatori placans et ipsum peccatorem Deo reconcilians. Et quia universalis debet esse contritio, ideo addidit: cor contritum. Et attende quod non dicit tantum tritum, sed contritum; peccator enim utrumque debet habere, tritum et contritum: tritum, ut malleo contritionis ipsum conterat, et gladio doloris in multas particulas dividat, et super quolibet mortali unam particulam ponat, et dolendo defleat et deflendo doleat; et magis doleat de uno mortali quod commisit, quam si totum mundum et omnia quae in eo sunt, si eorum esset dominus, perdidisset. Per mortale enim peccatum perdidit Dei Filium, qui potior, carior, pretiosior est omnibus creaturis. Debet etiam habere cor contritum, idest simul tritum, ut generaliter pro omnibus commissis, omissis, oblitis conteratur. Et quia totius boni consummatio est humilitas, ideo quarto et ultimo loco ponitur: et humiliatum, inquit, Deus non despiciet. Immo, ut dicit Isaias, Excelsus et Sublimis, habitans aeternitatem, cum contrito et humili spiritu habitat ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. O Dei benignitas! O poenitentis dignitas! Ille qui habitat aeternitatem, in corde humilis et spiritu habitat poenitentis! Cordis vere contriti est in omnibus humiliare seipsum et reputare se 'canem mortuum et pulicem unum'.

II – De oris confessione

5 – A tali ergo spiritu contritionis ducitur poenitens in desertum confessionis, quae bene dicitur desertum propter tria. Nota quod desertum dicitur illa terra quae est inhabitabilis, abundans bestiis, timore horribilis. Tale enim ad litteram erat desertum, in quo fuit Iesus Christus quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Sic confessio debet esse inhabitabilis, quia privata, secreta, ab omni hominis notitia abscondita et solius confessoris memoriae thesauro sub sigillo inviolabili reposita et omni humanae conscientiae occulta: in tantum ut si omnes homines, qui sunt in mundo, scirent peccatum peccatoris tibi confitentis, tu nihilominus debes abscondere et sub clavi perpetuae taciturnitatis claudere. Veri illi sunt filii diaboli, a Deo vivo et vero reprobati, ab Ecclesia

triumphante expulsi, a militante excommunicati, ab officio et beneficio deponendi et infamiae publicae exponendi, qui confessionem non dico verbo, quod peius est omni homicidio, sed signo vel alio quocumque modo occulto vel manifesto, irrisorie vel applausorie, denudant et manifestant. Audacter dico: quicumque confessionem discooperuit gravius peccat Iuda proditore, qui Dei Filium, Iesum Christum, Iudaeis vendidit. Confiteor homini, non tamquam homini, sed tamquam Deo. Et Dominus dicit in Isaia: Secretum meum mihi, secretum meum mihi'. Et homo, 'natus de humo', confessionis secretum in cordis sui secretarium non sigillabit?

6 – Bene ergo dicitur quod confessio debet esse terra inhabitabilis et inaccessibilis, ut nulli hominum pateat secretum confessionis. Unde Dominus, comminando, praecipit in Exodo, dicens: Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines eius: omnis qui tetigerit montem morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur aut confodietur iaculis; sive iumentum fuerit, sive homo, non vivet. Mons iste Sinai, "qui interpretatur mensura", confessionem significat, quae bene dicitur mons propter sui excellentiam, peccati scilicet remissionem – Quae maior potest esse excellentia, vel altitudo, quam peccati remissio? –, mensura propter ipsius confessionis et culpae commensurationem. Peccator enim ita debet commensurare, ut confessio aequaliter respondeat culpae, quatenus nec minus dicat propter verecundiam vel timorem, nec plus addat sub humilitatis specie, quam se rei veritas habet. Causa enim humilitatis nemo debet mentiri. Cavete ergo, o confessores, o sacerdotes, ne ascendatis in hunc montem. In montem enim est ascendere secretum confessionis denudare. Non tantum dico non ascendatis, sed etiam nec fines eius tangatis. Fines montis sunt circumstantiae confessionis, quas nec verbo, nec signo vel aliquo modo quis debet tangere. Proh dolor! Sunt quidam qui montem timent ascendere, sed fines illius non verentur tangere, quibusdam scilicet dictis et signis peccati circumstantias denudando. Audiant ergo isti infelices suae mortis sententiam: Omnis, inquit Dominus, qui tetigerit montem, morte morietur. Et qua morte, Domine? Manus, inquit, saecularis potestatis non tangent eum, ut suspendatur tamquam latro vel homicida, quod forte levius ei esset, sed lapidibus, 'idest duris excommunicationibus', opprimatur aut 'aeternae damnationis' iaculis confodiatur, sive iumentum, 'idest simplex sacerdos', fuerit, sive homo, 'idest sacerdos litteratus et scientia plenus', omnino non vivet. Vel, sive iumentum, idest laicus vel simplex clericus, 'quibus in articulo necessitatis, si sacerdos praesens non fuerit, possumus confiteri', sive homo, idest Ecclesiae sacerdos fuerit, non vivet in aeternum, quia montem ascendit et fines eius tetigit. Bene ergo dicitur quod confessio est terra inhabitabilis et inaccessibilis.

7 – Item, confessio dicitur desertum, eo quod abundat bestiis. Quae sunt istae bestiae, quibus debet abundare confessio, videamus. 'Bestiae dictae, quasi vastiae', sunt peccata mortalia, quae animam vastant et laniant, de quibus 'dicit Isaias, loquens de perfida Iudaea, idest peccatrice anima': Erit cubile draconum et pascua struthionum. Et occurrent daemonia onocentauris, pilosus clamabit ibi alter ad alterum; ibi cubavit lamia et invenit requiem. Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit et fovit in umbra illius. Nota quod in hac auctoritate ponuntur septem genera bestiarum, quae sunt draco, struthio, onocentauri, 'idest asinus et taurus', pilosus, lamia et ericius. Per has bestias septem genera peccatorum intelligimus, quae omnia et sibi similia plenarie debent denudari in confessione, sicut perpetrata fuerunt in mentis consensu et operis effectu.

Dicit ergo: Erit cubile draconum etc. ‘In dracone notatur odii et detractionis venenosa malitia, in struthione hypocrisis fallacia, in asino luxuria, in tauro superbia’, in pilosis avaritia et usura, ‘in lamia haeretica perfidia’, ‘in ericio versuta peccatoris excusatio’.

8 – Dicamus ergo: Erit cubile draconum etc. Mens vel conscientia peccatoris est cubile draconum per odii et detractionis venenum. Unde dicitur in cantico Moysi: Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Vinum eorum, idest odium et detractio peccatorum, quae mentes inebriat et intoxicat audientium, est fel draconum et est venenum aspidum insanabile. Unde dicit Salomon in Ecclesiaste: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Et bene dicit insanabile, quia, ut dicit Ecclesiasticus: Flagelli plaga livorem facit, plaga vero linguae comminuet ossa. Nam plaga flagelli exterius livorem facit, sed plaga linguae detractionis intus ossa virtutum comminuit. Bene ergo dicitur: Erit cubile draconum.

9 – Sequitur: Et pascua struthionum. ‘Struthio, qui pennas habet, sed propter sui corporis magnitudinem volare non potest, hypocritam significat’, qui, terrenorum amore aggravatus, sub penna falsae religionis, se mentitur accipitrem, volatu contemplationis. Penna, inquit Iob, struthionis similis est pennis herodii et accipitris. In mente ergo falsi religiosi est pascua struthionis. Vide quam proprie dicit pascua. Hypocrita enim, dum de penna accipitris laudatur, ipsa sua laude pascitur; facit enim sicut pavo, qui, cum a pueris laudatur, plumarum suarum gloriam ostendit, et, cum cauda rotam facit et faciendo rotam, turpiter posteriora discooperit. Sic hypocrita, dum laudatur, sanctitatis quam videtur habere plumas ostendit et suae conversationis rotam facit. Dicit enim: Istud et illud feci, ita incepi et sic perseveravi. Et, dum sic se rotat, suae turpitudinis foeditatem demonstrat. Stultus enim inde displicet unde placere putat.

10 – Et occurrent daemonia onocentauris. ‘Onos graece, asinus latine, per quem luxuriosus intelligitur’. Asinus enim est stolidus, piger et timidus. Sic luxuriosus stolidus est, quia amisit veram sapientiam, cuius sapor sapientem et sobrium hominem reddit et sic carnis luxuriam expellit, quae hominem infatuat et stolidum facit. Est etiam piger. Unde Poeta: “Quaeritur, Aegisthus quare sit factus adulter. In promptu causa est: desidiosus erat”. Est etiam timidus sicut asinus. Dicitur in NATURALIBUS, quod “animal habens magnum cor est timidum, et habens mediocre est magis audax; et occasio, quae accidit huic animali ex timore, non est nisi quia calor cordis est modicus et non potest implere ipsum, quia calor parvus in cordibus magnis debilitatur, et efficitur sanguis propter hoc frigidior. Corda autem magna sunt in leporibus et cervis et asinis et muribus. Sicut ignis modicus calefacit minus in domo magna quam in parva, ita est calor in istis”. Sic est et in luxurioso, qui habet magnum cor ad cogitandum et ad committendum magnam nequitiam et magnam luxuriam; sed parum vel nihil habet de calore, de amore Spiritus Sancti; et ideo timidus et instabilis et ‘inconstans in omnibus viis suis’. ‘Per taurum superbus designatur. Unde conqueritur Dominus per Prophetam: Tauri pingues obsederunt me’. Tauri, idest superbi, pingues opulentia temporali, obsederunt me, tamquam Iudaei iterum volentes me crucifigere. Onocentauris ergo, idest luxuriosis et superbis, daemonia occurrent in hora mortis, ut egredientes animas suscipiant et secum ad poenas aeternas trahant, ut quos habuerunt incentores in culpa habeant tortores in poena.

11 – Sequitur: Et pilosus clamabit alter ad alterum. Pilosi sunt avari et usurarii, qui bene dicuntur pilosi, idest pecuniosi. Avaritia clamat usuram, et usura avaritiam; illa invitat istam, et ista illam. Proh dolor! clamor istorum pilosorum iam implevit totum mundum. Istos significat pilosus Esau, 'qui interpretatur quercus', et avari et usurarii sunt pilosi in recipiendo et quercei, idest duri et inflexibiles, in reddendo.

12 – Ibi cubavit lamia et invenit ibi requiem. 'Lamia, ut fertur, est bestia quae faciem habet humanam, sed in bestialem desinit caudam'; 'haereticos significat', qui, ut facilius decipiant, humanitatis faciem et verba suavia praetendunt. Unde de eis dicit Ieremias in Threnis: Lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. 'Mammam haeretici denudant dum suam sectam praedicant, et lactant catulos suos dum in illa perfidia nutriunt suos credentes perfidos', qui bene dicuntur catuli et non filii, quia nihil aliud noverunt, utpote rustici, sutores, pelliparii, nisi contra Ecclesiam latrare et eius catholicos blasphemare.

13 – Sequitur: Ibi habuit foveam ericius. Nota quod 'ericius totus est spinosus, quem si quis capere voluerit, totum se intra se abscondit et efficitur quasi sphaera in manu tenentis'; 'caput et os habet inferius et intra os habet quinque dentes'. 'Ericius est peccator obstinatus, spinis peccatorum undique obsitus. Hunc si de peccato perpetrato redarguere volueris, statim se intra se recolligit et culpam, quam commisit, excusando abscondit'. Et sic caput et os habet inferius. In capite mens, in ore locutio designatur. Peccator, dum se de perpetrata nequitia excusat, quid aliud facit, nisi quod mentem et verba inferius ad terrena inclinat? Unde et dicitur habere quinque dentes in ore. Quinque dentes in ore ericii sunt quinque modi excusationum in ore obstinati. Cum enim redarguitur, aut excusat se ignorantia, aut fortuna, aut diaboli suggestione, aut suae carnis fragilitate, aut proximi occasione; et ita enutrit, ut subdit Isaias, catulos, idest motus suos, et circumfodit et fovet in umbra suae excusationis.

14 – Hae septem bestiae, sub quarum numero peccatorum omnium genera comprehendi possunt, in deserto nostrae confessionis debent abundanter et plenarie apparere, ut nihil sacerdotem lateat, nihil confitentem subterfugiat, quin omnia ad unguem peccatum et circumstantiam peccati confiteatur. Unde dicit Dominus per Isaiam: Post septuaginta annos erit Tyro quasi canticum meretricis. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita; bene cane, frequenta canticum, ut memoria sit tui. 'Septuagenarius et septenarius numerus in hoc loco omnium peccatorum universitatem significant. Unde dicitur, quod Dominus de Magdalena eiecit septem daemonia, idest omnia vitia'. Per septuagenarium ergo annorum et septenarium bestiarum omnia vitia intelligimus. Dicit ergo Isaias: Post septuaginta annos, idest post omnium criminum perpetrationem, Tyro, "quae interpretatur angustia", idest animae peccatis angustiatae, erit canticum, idest confessio peccatorum; post commissionem enim omnium criminum infelici animae non remanet aliud remedium nisi confessio peccatorum, 'quae est secunda tabula post naufragium'. Huic dicitur: O meretrix, quia verum sponsum, Iesum Christum, dimisisti, et adultero diabolo adhaesisti, et nisi fueris conversa aeternaliter oblivioni eris tradita, sume citharam. Nota verba. In hoc verbo sume notatur prompta voluntas confitendi, non coacta, non extorta; in cithara, omnis peccati confessio et circumstantia. Sume ergo

citharam, voluntarie confitere: sanus et vivus, inquit Ecclesiasticus, confiteberis.

15 – Nota quod, sicut in cithara extenduntur chordae, sic in confessione debent extendi peccatorum circumstantiae, quae sunt: "Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando". Omnia ista distingue, et tam in feminino quam in masculino sexu discrete et diligenter perquire. QUIS, idest utrum uxoratus vel solutus, laicus vel clericus, dives vel pauper, in quo officio vel dignitate positus, si liber vel servus, cuius ordinis, cuius religionis. QUID, idest quantum, vel quale fuit peccatum: si simplex fornicatio, ut est solutus cum soluta, et quae fuit soluta, si meretrix prostituti vel locati fuerit corporis; si adulterium; si incestus, qui est consanguinearum et affinium; si virginem corrupit, quia aperuit viam peccato, gravissime peccavit, et caveat sibi ne particeps sit omnium peccatorum quae illa commiserit, nisi ei providerit in aliquo loco, ubi agat poenitentiam, vel in matrimonio, si facultas ei suppetit; si peccatum contra naturam, quod fit quocumque modo semen effunditur praeter in vasculum mulieris. Et hoc cautissime et a remotis debet inquiri. Si homicidium mente, ore, vel manu fecit; si sacrilegium, rapinam et furtum, et quibus personis, et si publice vel private; si usuram, et quali modo fecerit; 'omne enim quod extra sortem accipitur usura dicitur'; Si periurium, falsum testimonium, et quali modo fecerit; si superbiam habuit, cuius tres sunt species: superiori nolle obedire, aequalem nolle habere, inferiorem contemnere: haec etiam debemus omnino confiteri. UBI, idest si in ecclesia sacrata vel non sacrata, vel iuxta ecclesiam, vel in coemeterio fidelium, vel in aliquo loco orationi dedicato peccatum commiserit, vel de re illicita locutus fuerit. PER QUOS, idest quorum auxilio vel consilio peccavit, vel alios peccare fecit; si pauci vel multi socii et conscii fuerunt eius peccati; si propter pecuniam datam vel acceptam peccatum commisit. QUOTIES, idest quot vicibus peccavit, saltem aestimative, debet confiteri; si assiduus vel rarus fuit in peccando; si longo vel parvo tempore moram fecit in peccato; si saepius recidivavit et saepius confessus fuit. CUR, idest si mentis consensu vel operis effectu praevenit tentationem; si aliquo modo fecit vim naturae, ut peccatum compleret, et tunc mortalissime peccavit. QUOMODO, idest quali modo peccatum commisit; si indebito modo, si extraordinario, si tactu illicito, et sic de consimilibus. QUANDO, idest si in tempore ieiunii, si in festo alicuius sancti; si quando debuit ire ad ecclesiam ivit ad rem illicitam; in qua etiam aetate erat quando commisit illud vel illud peccatum. Quia hae circumstantiae et consimiles valde aggravant peccatum et animam peccatoris, ideo in confessione omnia sunt denudanda. Hae sunt chordae extensae in cithara confessionis, de qua dicitur: Sume citharam.

16 – Sequitur: Circui civitatem. Civitas est vita hominis quam ipse debet circuire: tempus et aetatem, peccatum et modum peccati, locum et personas cum quibus peccavit et quos malo exemplo, verbo vel facto peccare fecit, vel peccantes si potuit a peccato non retraxit; omnia nude et aperte, ut diximus, debet confiteri. Sic enim faciebat Propheta, cum dicebat: Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis. Circuivi totam vitam meam 'ad modum boni militis, qui circuit suum castrum, ne aliquod sit ibi foramen per quod hostes ingrediantur'; et immolavi in tabernaculo eius, "idest in Ecclesia", coram sacerdote, hostiam vociferationis, idest confessionis, quae bene dicitur vociferatio, quia peccator non debet semiplene et medio ore, quasi balbutiens, sed aperto ore, quasi vociferans, peccata sua confiteri. Bene ergo dicitur: Circui civitatem.

17 – Sequitur: Bene cane, ‘te ipsum, non diabolum, non fatum vel aliquem alium accusando’. Vel, bene cane, ‘omnia tua peccata uni sacerdoti confitendo, non per plures dividendo’. Forte quaeris a me, ut tibi consulam in tali casu; dicis enim: Omnium peccatorum meorum generalem confessionem feci uni sacerdoti, sed postea relapsus sum in mortale; oportebitne me omnia confessa iterum confiteri? Do tibi sanum et salubre consilium et animae tuae valde necessarium. Quotiescumque accedis ad novum confessorem, ita confitearis, ac si numquam fuisses confessus; si vero ad illum cui nota est conscientia tua et cui generali confessione omnia fuisti confessus vis accedere, eidem non teneris confiteri nisi peccata quae post generalem confessionem commisisti, vel etiam oblita. Bene ergo cane; frequenta canticum confessionis, iterum atque iterum te ipsum accusando. Et quare hoc? Ut memoria sit tui in conspectu Dei et angelorum eius, ut peccata tibi dimittat, gratiam infundat, gloriam aeternam conferat.

18 – Ecce habes quae sunt illae bestiae quibus desertum tuae confessionis abundare debet, scilicet ut peccata et eorum circumstantiae nude et aperte appareant in confessione, et sic erit ipsius confessionis desertum timore horribile. Et quibus? immundis scilicet spiritibus. Unde dicitur in Genesi: Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli. Locus confessionis, immo ipsa confessio, immundis spiritibus est terribilis. Unde Iob: Sicut inundantes aquae sic rugitus meus. ‘Ad rugitum leonis omnes bestiae sistunt gradum’. Inundantes aquae subvertunt obstaculum. Rugitus leonis est confessio poenitentis, de quo Propheta: Rugiebam, inquit, a gemitu cordis mei, quia a gemitu cordis debet exire rugitus confessionis, quo audito, maligni spiritus, perterriti, ad tentationes procedere non praesumunt. Inundantes aquae sunt lacrimae contritorum, quae totum dissolvunt et subvertunt quidquid maligni spiritus contra lacrimas poenitentis machinantur. Confessio etiam dicitur domus Dei propter peccatoris reconciliationem. In ipsa enim peccator reconciliatur Deo, sicut filius patri reconciliatur, cum ab ipso in domum paternam recipitur. Unde habes in Luca, quod ‘cum senior filius appropinquaret domui, in qua filius poenitens epulabatur cum patre, audivit symphoniam et chorum’. Nota quod in illa domo fuerunt tria: epulatio, symphonia et chorus; sic in domo confessionis, in qua recipitur peccator, reversus de ‘regione dissimilitudinis’, debent esse tria: epulatio contritionis, symphonia accusationis, chorus emendationis; ut, sicut te peccatorem accusas, sic te emendare studeas. Audi symphoniam suaviter resonantem: Iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper. Audi chorum consone respondentem: Ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. O quam multi suaviter symphonizant, seipsos accusant, sed se numquam emendant!

19 – Aliter. Si in domo confessionis resonat symphonia planctus et amarae compunctionis, statim consone respondet chorus divinae misericordiae, peccata remittentis. Unde promittit in introitu hodiernae missae: Invocabit me etc. Nota quod poenitenti quattuor hic promittit. Primo, cum dicit: Invocabit me, ut ei peccata dimittam; et ego exaudiam eum, quia gratiam infundam. Secundo: eripiam eum, ab illis quattuor, de quibus dicitur in tractu praesentis dominicae: ‘a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, a ruina et daemonio meridiano’. ‘Timor nocturnus est tentatio diaboli occulta; sagitta volans, ipsius aperta nequitia; negotium perambulans in tenebris, hypocritarum fallacia; daemonium meridianum, ardens carnis

luxuria'. Ab his eripit Dominus vere poenitentem. Tertio: et glorificabo eum, in die iudicii, 'geminae stolae gloria'. Quarto: longitudine dierum adimplebo eum, 'in vitae aeternae perpetuitate'. Confessio etiam dicitur porta caeli. Vere, vere porta caeli, vere porta paradisi, per ipsam enim, tamquam per portam, 'introducitur poenitens ad osculum pedum divinae misericordiae, erigitur ad osculum manuum caelestis gratiae, suscipitur ad osculum oris reconciliationis paternae'. O domus Dei! O porta caeli! O confessio peccati! Beatus qui in te habitabit! Beatus qui per te intrabit! Beatus qui se in te humiliabit! Humiliamini ergo et intrate, o fratres carissimi, per portam confessionis; confitemini, prout audivistis, peccata et circumstantias peccati, quia ecce nunc tempus acceptabile ad confitendum, ecce nunc dies salutis ad satisfaciendum. De quibus subinfertur: Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

III – De operis satisfactione

20 – Quadragenarium ieiunium Iesu Christi docet nos qualiter satisfaciamus pro peccatis nostris, et qualiter laboremus, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Unde dicit Apostolus in hodierna epistola: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim Dominus, "scilicet in Isaia": Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis etc. Gratiam Dei in vacuum recipit qui secundum datam sibi gratiam non vivit; vel gratiam Dei in vacuum recipit qui gratiam gratis datam sibi suis meritis dari credit; vel etiam in vacuum recipit qui post sui reatus confessionem, in tempore accepto, in die salutis, agere pro peccatis suis poenitentiam renuit. Ecce ergo nunc tempus acceptabile, ecce et dies salutis, nobis dati ad promerendum salutem. Dicit beatus BERNARDUS: "Nil pretiosius tempore, et heu! nihil hodie eo vilius invenitur! Transeunt dies salutis, et nemo recogitat, nemo perire sibi diem numquam rediturum causatur. Sicut capillus de capite, sic momentum de tempore non peribit". Dicit SENECA: 'Si multum temporis superesset, caute dispensandum esset; nunc autem in tanta angustia quid faciendum?' Et Ecclesiasticus: Fili, conserva tempus quasi sacrosanctum. 'In hoc ergo sacrosancto quadragenario agamus poenitentiam. Quadragenarius numerus constat ex quattuor et decem. Creator omnium Deus creavit corpus et animam, et unicuique quaternarium et denarium contulit. Corpus constat ex quattuor elementis et regitur et gubernatur decem sensibus, quasi decem principibus, qui sunt: duo oculi, duae aures, odoratus et gustus, duae manus et duo pedes. Animae vero contulit Deus quattuor virtutes principales, quae sunt: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia; et dedit ei decem praecepta decalogi', quae sunt: Audi, Israel: Dominus Deus tuus unus est. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento ut sanctifices diem sabbati. 'Haec tria, quae ad amorem Dei pertinent, fuerunt scripta in prima tabula, alia vero septem, ad dilectionem proximi pertinentia, in secunda', quae sunt: Honora patrem tuum et matrem tuam. Non occides. Non moechaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec cuncta quae illius sunt. Quia ergo contra quaternarium virtutum et denarium praeceptorum in corpore isto mortali, quod constat ex quattuor elementis et regitur decem sensibus, quotidie peccamus, ieiunio quadraginta dierum Domino satisfaciamus.

21 – Et qualiter hoc sit faciendum, habemus in libro Numeri, quod 'exploratores, missi a

Moyse et filiis Israel, circuierunt quadraginta diebus omnem terram Chanaan'. "Chanaan interpretatur negotiatio vel humilis". Terra Chanaan est corpus nostrum, in quo debemus negotiari, commutantes, felici commercio, terrena pro aeternis, transitoria pro mansuris, et hoc semper in humilitate cordis. De hac negotiatione dicitur in Parabolis de muliere forti: Gustavit, et vidit quod bona esset negotiatio eius. Nota quod duo dicit: gustavit et vidit. Mulier fortis, 'idest anima, tunc gustat, cum, sano mentis palato, caelestis gloriae dulcedinem sentit', 'pro cuius amore regnum mundi et omnem ornatum saeculi contemnit'; et sic, processu temporis, oculo illuminatae rationis, videt et intelligit, quia bona est negotiatio eius, 'vendere scilicet omnia quae habet et dare pauperibus, et nudus nudum sequi Iesum Christum'. Hoc est quod dicit Iob: Pellem pro pelle dabit homo, et omnia quae habet pro anima sua. Homo, 'gustans et videns quam suavis sit Dominus", dabit et commutabit pellem pompae saecularis pro pelle gloriae caelestis; vel, pellem, idest istud corpus pelliceum et mortale, dabit carnifici et tortori, et exponet gladio et morti pro pelle gloriosa corporis immortalis. Et bene corpus nostrum dicitur pellis: sicut enim pellis quanto magis abluitur tanto magis deturpatur, sic corpus nostrum quanto magis delicate nutritur, deliciis effeminatur, tanto citius vires perdit, senescit et corrugatur. Et non tantum homo pellem, sed omnia quae habet dabit pro anima sua, ut audire mereatur cum apostolis, qui pellem et omnia reliquerunt: Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel '.

22 – Nos ergo, tamquam veri et strenui exploratores, in his quadraginta diebus circueamus omnem regionem corporis nostri, diligenter explorantes quidquid peccavimus per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum, ipsorum peccata et circumstantias confitendo, ita quod nullae reliquiae remaneant, exemplo Iosue facientes, de quo dicitur in ipso libro: Macedam quoque cepit Iosue, et percussit in ore gladii regem illius et omnes habitatores illius interfecit; non dimisit saltem parvas reliquias. "Maceda interpretatur prius; sive adustio", et significat peccatum, quo homo prius aduritur per Baptismum; hoc autem peccatum in poenitentia capitur. Rex autem huius civitatis prava voluntas est, quae percutitur in ore gladii, idest in gladio oris per confessionem. Habitatores regis sunt obedientes sensus quinque, qui similiter per poenitentiam sunt interficiendi, idest a peccato revocandi. Reliquiae sunt rememoratio peccati et nominatio ad delectationem, quae etiam dimittenda non sunt. Item, in eodem: Percussit Iosue omnem terram montanam et meridianam et campestrem, et Asedoth cum regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit. Terra montana superbia est; meridiana, cupiditas; campestris, luxuria, per quam quasi per campos equus effrenis luxuriosus evagatur. 'Asedoth factura populi interpretatur", et significat omnem turpem imaginationem, quae pascit ignem peccati. Haec omnia, cum proposito numquam relabendi, in confessione deponamus, et pro his omnibus digne satisfaciamus, ut 'quantum corpus se exaltavit tantum ipsum in confessione humiliemus; et quantum in deliciis fuit tantum demus illi tormentorum', panis scilicet et aquae, disciplinae et vigiliae, ut audiat cum filia Iephte: 'Decepisti me, filia mea, caro mea, gulae et luxuriae deliciis, et nunc decepta es', idest amicta disciplinis, vigiliis et ieiuniis. His de spiritu contritionis, deserto confessionis, quadragenario satisfactionis praelibatis, in quibus consistit omnium peccatorum remissio, gratiae infusio, vitae aeternae remuneratio, ad ipsorum opposita, gulam, vanamgloriam et luxuriam, describenda accedamus.

IV – De oppositis tribus actibus poenitentiae, seu de triplici tentatione

23 – Sequitur: Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es etc. Diabolus a similibus ad similia procedit. ‘Eo enim ordine quo tentavit Adam in paradiso, tentavit et Christum in deserto’, tentat et quemlibet christianum in hoc mundo. Primum Adam tentavit gula, vanagloria et avaritia, et tentans devicit; secundum vero Adam, idest Christum, simili modo tentavit, sed in tentatione succubuit, quia non tantum homo sed etiam Deus erat quem tentavit. Nos, qui utriusque participes sumus: illius secundum carnem, istius secundum spiritum, ‘veterem hominem exuamus cum actibus suis, qui sunt gula, vanagloria et avaritia; induamus novum hominem’, per confessionem innovati, ut refrenemus ieiuniis effrenem ardorem gulae et reprimamus confessionis humilitate altitudinem vanaegloriae, conculcemus cordis contritione densum lutum avaritiae. Beati, inquit Dominus, pauperes spiritu, ‘contribulato scilicet, et corde contrito’, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

24 – Nota etiam quod, sicut diabolus tentavit Dominum de gula in deserto, de vanagloria in templo, de avaritia in monte, sic nos tentat quotidie: de gula in deserto ieiunii, de vanagloria in templo orationis et officii, in monte dignitatis de avaritia multiplici. Dum ieiunamus tentat nos de gula, in qua peccamus quinque modis; unde versus: “Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose”. PRAEPROPERE, idest cum praevenitur hora. LAUTE, cum variis salsamentis, speciebus, ciborum lautitiis, pruritus linguae excitatur et hebes invitatur appetitus. NIMIS, cum ultra corporis necessitatem cibaria sumuntur. Dicunt enim quidam gulosi: Ieiunare tenemur; tantum ergo semel comedamus, quod pro prandio et cena recompensare possimus. Isti sunt sicut bruchus, qui arborem, cui insidet, non relinquit donec totum comedat. ‘Bruchus dictus, quasi in bucca totus, gulosos significat, qui in gula et in ventre sunt toti’, et scutellam, quam tamquam castrum obsident, non dimittent donec totum devorent: aut enim crepabit venter aut evacuabitur scutella. ARDENTER, cum homo se effundit super omnem escam et, quasi magnum castrum expugnaturus, brachia exserit, manus extendit, totus comedit; et est in mensa quasi canis, qui in coquina habere parem non desiderat. STUDIOSE, cum exquisita cibaria requiruntur et magno studio praeparantur. Sicut legitur in primo libro Regum de filiis Heli, ‘qui non carnem coctam sed crudam volebant accipere, ut eam studiosius et accuratius sibi praepararent’.

25 – Item, tentat nos diabolus in templo de vanagloria. Dum enim sumus in oratione, officio et praedicatione, vanaegloriae iaculis a diabolo impetimur, et multoties, heu! vulneramur. Sunt enim quidam, qui, dum orant et genua flectunt et suspiria emittunt, volunt videri. Sunt alii, qui, dum in choro cantant, voces frangunt et in gutture citharizant; desiderant audiri. Sunt etiam alii, dum praedicant, dum vocibus intonant, dum auctoritates multiplicant et ad sensum suum glossant et se circumgyrant, appetunt laudari. Omnes isti mercenarii, credite mihi, receperunt mercedem suam, filiam suam ponentes in prostibulo. Unde dicit Moyses in Levitico: Filiam tuam non prostitues. Filia mea est operatio mea, quam tum prostituo, idest in lupanari pono, cum ipsam pro denario vanaegloriae vendo. Et ideo consulit Dominus in Matthaeo, dicens: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum etc. Tu, cum volueris orare vel aliquid boni agere, quod est ‘sine intermissione orare’, intra in cubiculum tuum,

‘idest cordis tui secretum, et clauso ostio quinque sensuum’, ne videri, audiri vel laudari appetas. Unde dicitur in Luca, quod ‘Zacharias ingressus est templum Domini hora incensi’. In tempore enim orationis, ‘quae velut incensum dirigitur in conspectu Domini’, debes ingredi templum cordis tui, et sic orabis Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

26 – Item, in monte dignitatis transitoriae tentamur de peccato multiplicis avaritiae. Et nota quod non tantum est avaritia pecuniae sed etiam excellentiae. Avari quanto plus habent tanto plus sitiunt, et, in sublimitate positi, quanto magis elevantur tanto magis ascendere conantur, ut lapsu graviori ruant, quia “perflant altissima venti” et ‘in excelsis idolis immolatur’. De his duobus dicit Salomon in Parabolis: Ignis numquam dicit: Sufficit. Ignis, ‘id est avaritia pecuniae’ et excellentiae, numquam dicit: Sufficit; sed quid? Affer, affer. O Domine Iesu, aufer, aufer ista duo, Affer, affer, a tuae Ecclesiae praelatis, qui de tuo patrimonio, quod eis alapis, sputis, flagellis, cruce, clavis, aceto, felle et lancea acquisisti, lasciviunt et in monte ecclesiasticae dignitatis gloriantur. Nos igitur, quia ‘a Christi nomine denominati sumus christiani’, unanimiter mentis devotione ipsum Iesum Christum, Dei Filium, deprecemur et instanter postulemus, quatenus concedat nobis a spiritu contritionis pervenire in desertum confessionis, ut in hac quadragesima percipere mereamur remissionem nostrae iniquitatis, ut, innovati et purificati, suae sanctae Resurrectionis mereamur gaudia perfrui et in aeternae beatitudinis gloria collocari, ipso praestante, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA

Themata sermonis

Quintum evangelium in Dominica secunda Quadragesimae: Assumpsit Iesus Petrum. In primis sermo ad praedicatores, ibi: Ascende ad me in montem. Item sermo ad poenitentes vel religiosos, ibi: Cum veneris ad quercum Thabor. Item sermo in Nativitate Domini vel festo beatae Mariae, ibi: Vidit Iacob scalam in somnis. Item sermo ad fideles Ecclesiae, ibi: Moyses et Aaron, et de proprietate sapphyri. Item sermo de discretione, ibi: Nasus tuus sicut turris Libani etc. Item sermo de contemplatione, ibi: Gustate et videte, et de proprietate solis. Item sermo de Dei misericordia circa peccatores conversos, ibi: Si fuerint peccata vestra ut coccinum. Item sermo ad praelatum, ibi: Et apparuerunt Moyses et Elius. Item sermo in dedicatione ecclesiae vel in festivitate martyris vel confessoris, ibi: Postquam perfecta sunt cuncta.

Exordium. Sermo ad praedicatores

1 – Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, et duxit eos in montem excelsum valde etc. Locutus est Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: Ascende ad me in montem et esto ibi; et dabo tibi duas tabulas, legem ac mandata, quae scripsi, ut doceas filios Israel. ‘Moyses interpretatur aquaticus’, et significat praedicatorem, qui aqua doctrinae salientis in vitam aeternam, mentes fidelium irrigat. Huic dicit Dominus: Ascende ad me in montem. ‘Mons, propter sui altitudinem, sanctae vitae excellentiam significat’, in qua

praedicator, relicta valle temporalium, per scalam divini amoris debet ascendere; et ibi inveniet Dominum. In vitae enim sanctae excellentia invenitur Dominus. Unde dicitur in Genesi: In monte Dominus videbit, idest in sanctae vitae excellentia videre et intelligere faciet quid Deo, quid debeat proximo. Dabo, inquit, tibi duas tabulas. In duabus tabulis utriusque Testamenti scientia designatur, quae sola scit scire, sola scientes facere; haec est sola scientia, quae Deum docet diligere, mundum contemnere, carnem subicere. Haec praedicator debet docere filios Israel, 'in quibus tota lex pendet et prophetae'. Sed, ubi invenitur haec tam pretiosa scientia? In monte, vere. Ascende, inquit, ad me in montem, et esto ibi, quia ibi est mutatio dexterae Excelsi, transfiguratio Domini, contemplatio veri gaudii. Unde de ipso monte dicitur in hodierno evangelio: Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum et Ioannem etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio quinque valde notabilia notantur: Iesu Christi cum tribus apostolis in montem ascensio, ipsius transfiguratio, Moysi et Eliae apparitio, nubis lucidae obumbratio et paternae vocis – Hic est filius meus carissimus – protestatio. Ista quinque, prout Deus inspirare voluerit, quid moraliter significent, ad honorem Dei et utilitatem animarum vestrarum, videamus.

I – De Iesu Christi cum tribus apostolis in montem ascensione

3 – Dicamus ergo: Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum et Ioannem. Isti tres apostoli et speciales socii Iesu Christi tres nostrae animae virtutes intelliguntur, sine quibus nemo potest ascendere ad montem luminis, idest excellentiam sanctae conversationis. "Petrus interpretatur agnoscens, Iacobus supplantator, Ioannes Domini gratia". Assumpsit ergo Iesus Petrum etc. Assume et tu, qui credis in Iesum et salutem speras a Iesu, Petrum, idest tui peccati notitiam, quod consistit in tribus, in cordis scilicet superbia, in carnis lascivia, in mundi avaritia. Assume et Iacobum, idest supplantationem istorum vitiorum, ut sub planta rationis conteras tui spiritus superbiam, mortifices tuae carnis lasciviam, reprimas fallacis mundi vanitatem. Assume etiam Ioannem, idest Domini gratiam, quae 'stat ad ostium et pulsat', ut te illuminet ad cognoscendum mala quae fecisti et te conservet in bono quod incepisti. Isti sunt illi tres viri, de quibus dixit Samuel ad Saul, in primo libro Regum: Cum veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri, ascendentes ad Deum in Bethel: unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini. Quercus Thabor et mons Thabor sanctae vitae excellentiam significant, quae bene dicitur quercus et mons et Thabor: quercus, quia constans et inflexibilis per finalem perseverantiam; mons, quia alta et sublimis per Dei contemplationem; Thabor, "quod interpretatur lumen veniens", per boni exempli illuminationem. In sanctae vitae excellentia haec tria requiruntur, ut sit constans in se, contemplativa ad Deum, illuminans proximum. Cum ergo veneris, idest venire vel ascendere disposueris ad quercum vel ad montem Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel. Isti tres viri sunt Petrus, idest agnoscens, Iacobus, idest supplantator, Ioannes, idest Domini gratia. Petrus portat tres haedos, Iacobus tres tortas panis, Ioannes lagenam vini. Petrus, idest ille qui se agnoscit peccatorem, portat tres haedos. In haedo notatur foetor peccati. In tribus haedis, tria genera peccatorum, per quae principaliter peccamus: in cordis scilicet superbia, in carnis petulantia, in mundi avaritia. Qui ergo vult ad montem luminis ascendere istos tres haedos debet portare, idest in his tribus se peccatorem agnoscere.

Iacobus, idest ille qui carnis vitia supplantat, tres tortas panis portat. Panis suavitatem significat mentis, quae consistit in cordis humilitate, corporis castitate, paupertatis amore; quam suavitatem nemo habere poterit nisi prius vitia supplantaverit. Tres ergo tortas panis, idest triplicem mentis suavitatem, portat, qui cordis superbiam reprimit, carnis petulantiam restringit, mundi avaritiam abicit. Ioannes, idest ille qui, Domini gratia praeveniente et subsequente, haec omnia fideliter et perseveranter conservat, vere lagenam vini portat. Vinum in lagena est gratia Sancti Spiritus in bona voluntate. Assumpsit ergo Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem. Assume et tu istos tres viros, et ascende in montem Thabor.

4 – Sed, crede mihi, difficilis est ascensus, quia mons est excelsus. Vis ergo facillime ascendere? Habeas illam scalam, de qua legitur et cantatur sic in historia praesentis dominicae: Vidit Iacob in somnis scalam erectam vel stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae'. Nota verba singula, et erit evangelii concordantia. Vidit, ecce peccati notitiam, de qua dicit beatus BERNARDUS: Non mihi det Deus aliam visionem videre nisi peccata mea cognoscere. Iacob, idem quod et Iacobus interpretatione, ecce carnis supplantatio; de ipso enim dixit Esau: En supplantavit me altera vice. In somnis, ecce Domini gratia, quae somnum quietis et pacis inducit. Somnus sic describitur a PHILOSOPHO: "Somnus est quies animalium virtutum, cum intensione naturalium". Cum enim aliquis dormit somno gratiae, quiescunt in eo carnalia ab operibus suis pravis et intenduntur spiritualia. Unde dicitur in Genesi: Cum sol occubuisset, sopor irruit super Abraham, et horror magnus invasit eum. 'Per solem hic intelligitur carnalis voluptas', quae cum occumbit, sopor, idest extasis contemplationis, irruit super nos, et horror magnus invadit nos de peccatis praeteritis et de poenis inferni. Vis audire intensionem spiritualium cum remissione carnalium? Ego, inquit sponsa in Canticis, dormio, idest quiesco ab amore temporalium, et cor meum vigilat in contemplatione caelestium. Bene ergo dicitur: Vidit Iacob in somnis scalam, per quam potes ascendere in montem Thabor.

5 – Nota quod ista scala duo habet brachia et sex gradus, per quos patet ascensus. Ista "scala significat Iesum Christum"; duo brachia, divinam et humanam naturam; sex gradus sunt ipsius humilitas et paupertas, sapientia et misericordia, patientia et obedientia. Humilis fuit in nostrae naturae susceptione, cum respexit humilitatem ancillae suae. Pauper, in sua Nativitate, in qua paupercula Virgo, pariens ipsum Dei Filium, non habuit ubi reclinaret, nisi quia 'pannis involvit et in praesepio pecoris reclinavit'. Sapiens fuit in sua praedicatione, quia coepit facere et docere. Misericors fuit in peccatorum affabili susceptione: Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Patiens, inter flagella, alapas et sputa; unde ipse dicit per Isaiam: Posui faciem meam ut petram durissimam. Petra, cum percutitur, non repercutit; nec contra se frangentem remurmurat. Sic Christus: cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Obediens etiam fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. Haec scala super terram stabat, cum praedicationi et miraculorum operationi insistebat; caelum tangebat, cum 'in oratione Domini, ut dicit Lucas, pernoctabat'. Ecce scala est erecta. Quare ergo non ascenditis? Quare manibus et pedibus super terram reptatis? Ascendite ergo, quia Iacob vidit angelos ascendentes et descendentes per scalam. Ascendite ergo, o angeli, o Ecclesiae praelati, o fideles Iesu Christi; ascendite, inquam, 'ad contemplandum quam

suavis sit Dominus'; descendite ad subveniendum, ad consulendum, quia his indiget proximus. Cur nitimini per aliam viam quam per scalam ascendere? Undecumque volueritis ascendere imminet vobis praecipitium. O stulti, et tardi corde, non dico ad credendum, quia creditis, 'et daemones etiam credunt'; sed duri et lapidei ad operandum! Confiditis vos posse ascendere per aliam viam ad montem Thabor, ad requiem luminis, ad gloriam caelestis beatitudinis, nisi per scalam humilitatis, paupertatis, dominicae Passionis? Vere non, quia verbum Domini est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et in Ieremia: Patrem me vocabis, et post me ingredi non cessabis. "Potionem amaram, ut dicit AUGUSTINUS, prius bibit medicus, ut non abhorreat bibere aegrotus". 'Per amarum, inquit GREGORIUS, poculum potionis pervenitur ad gaudium sanitatis'. "Ut animam redimas, ferrum patieris et ignes". Ascendite ergo, ne timeatis, quia Dominus innixus est scalae, paratus suscipere ascendentes. Assumpsit ergo Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, et ascendit in montem excelsum.

II – De Iesu Christi transfiguratione

6 – Sequitur secundum. Et transfiguratus est ante eos. Huic ergo figurae te quasi mollem ceram imprime, ut figuram Iesu Christi possis recipere, quae talis fuit: Et resplenduit facies eius sicut sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. In hac auctoritate quattuor notantur: facies et sol, vestimenta et nix. Quid facies et sol, quid vestimenta et nix moraliter significent videamus. Nota quod 'in anteriori capitis, quod dicitur facies hominis, sunt tres sensus, ordinatissima via et dispositione ordinati: visus, olfactus et gustus. Olfactus vero, quasi quaedam trutina inter visum et gustum est positus'. Similiter in facie nostrae animae sunt tres sensus spirituales, summi artificis sapientia recto ordine dispositi: visus scilicet fidei, olfactus discretionis, gustus contemplationis.

7 – De visu fidei legitur in Exodo, quod Moyses et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senibus Israel viderunt Dominum Israel; et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, et quasi caelum quod serenum est. In hac auctoritate describuntur omnes illi qui vident, et quid videre, idest credere, debeant oculo fidei. Moyses et Aaron etc. Moyses interpretatur aquaticus et significat omnes religiosos, qui aquis lacrimarum debent perfundi. Ad hoc enim sublati sunt de flumine Aegypti, ut seminent in hac solitudine horribili in lacrimis, et postea in exultatione metant in terra promissionis. Aaron, summus pontifex, "interpretatur montanus", omnes maiores Ecclesiae praelatos significat, qui in monte dignitatis sunt constituti. Nadab, "qui interpretatur spontaneus" omnes subditos, qui sponte, non coacte, debent obedire. Abiu, "qui interpretatur pater eorum", significat omnes illos qui secundum formam Ecclesiae matrimonio sunt coniuncti, ut sint patres filiorum. Septuaginta de senibus Israel 'omnes significant baptizatos, qui septiformis gratiae Spiritum in Baptismo susceperunt'. Isti omnes vident, idest credunt, et videre, idest credere, debent Deum Israel. Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini etc. Ecce quid credere debent. In hoc quod dicit Dominum Israel, ecce divinitas; in hoc quod dicit sub pedibus eius, ecce humanitas Iesu Christi, quem debemus credere verum Deum et verum hominem. De his pedibus dicit Moyses in Deuteronomio: Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius. Unde dicitur quod 'Maria sedebat ad pedes Domini et audiebat verbum illius'. Sub pedibus ergo Domini, idest post

Incarnationem Iesu Christi, apparuit opus Domini, quasi lapidis sapphirini et quasi caelum quod serenum est. Lapis sapphirus et caelum serenum eiusdem sunt coloris. Et nota quod sapphirus quattuor habet proprietates: stellam in se ostendit, anthracem perimit, sereno caelo est similis, sanguinem restringit. Lapis sapphirus sanctam Ecclesiam significat, quae post Christi Incarnationem incepit et usque in finem saeculi durabit. Haec dividitur in quattuor ordinibus, scilicet apostolis, martyribus, confessoribus et virginibus, quos per quattuor proprietates lapidis sapphiri recte intelligimus. Sapphirus in se stellam ostendit; et in hoc apostolos significat, qui stellam fidei matutinam 'sedentibus in tenebris et umbra mortis' primi ostenderunt. Sapphirus anthracem, 'quae est morbus mortalis', tactu suo perimit; et in hoc significat martyres, qui anthracem idolatriae suo martyrio peremerunt. 'Sapphirus, qui caelesti colori est similis, confessores significat, qui, omnia temporalia reputantes tamquam stercora, fune divini amoris in contemplatione caelestis beatitudinis se suspenderunt, dicentes cum Apostolo: Nostra conversatio in caelis est'. Item, sapphirus sanguinem restringit; et in hoc significat virgines, qui amore caelestis sponsi, sanguinem carnalis concupiscentiae in se omnino restrinxerunt. Hoc est admirabile opus lapidis sapphirini, quod apparuit sub pedibus Domini. Ecce aperte habes quid anima tua debet videre et oculo fidei quid debet credere.

8 – De olfactu discretionis dicitur in Cantico amoris: Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum. In hac auctoritate sunt quattuor verba valde notabilia: nasus, turris, Libanus et Damascus. In naso discretio; in turre humilitas; in Libano, "qui interpretatur candidatio", castitas; in Damasco, "qui interpretatur sanguinem bibens", "malitia diaboli designatur". 'Nasus ergo animae est virtus discretionis, per quam, tamquam per nasum, odorem a foetore, vitium a virtute debet discernere et res etiam longe positas, idest tentationes diaboli venturas, praesentire'. Unde dicit Iob de viro iusto: Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus. Anima enim fidelis naso, idest virtute discretionis, praesentit bellum carnis et exhortationem ducum, idest suggestiones vanae rationis, quae per duces intelliguntur, ne sub specie sanctitatis cadat in foveam iniquitatis; et ululatum exercitus, idest tentationes daemonum, qui tamquam bestiae ululant. Ululare enim proprie est bestiarum. Iste nasus sponsae debet esse sicut turris Libani: in humilitate enim cordis et castitate corporis maxime consistit virtus discretionis. Et bene humilitas dicitur turris castitatis, quia sicut turris defendit castrum sic humilitas cordis defendit castitatem corporis a iaculis fornicationis. Si talis fuerit nasus sponsae, bene poterit respicere contra Damascum, idest diabolum, qui bibere cupit sanguinem animarum nostrarum, eiusdem subtilitatis malitiam deprehendendo.

9 – De gustu contemplationis dicit Propheta: Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus. Gustate, idest mentis vestrae gutture terite et terendo recogitate, illius caelestis Ierusalem beatitudinem, animarum sanctarum glorificationem, angelicae dignitatis gloriam ineffabilem, Trinitatis et Unitatis perennem dulcedinem; quanta etiam erit gloria choris angelorum interesse, cum ipsis indefessa voce Deum laudare, praesentem vultum Dei cernere, manna divinitatis in urna aurea humanitatis conspicere. Si haec bene gustaveritis, vere, vere videbitis quam suavis est Dominus. Beata illa anima, cuius facies talibus insignitur et decoratur sensibus. Et nota quod olfactus, quasi quaedam trutina, ponitur inter fidei visum et contemplationis gustum. In fide enim discretio est necessaria, ne velimus 'accedere et rubum ardentem videre', 'corrigiam calceamenti solvere', "idest

secretum dominicae Incarnationis investigare". Crede tantum, et est satis. Non est tuae facultatis solvere corrigiam. Scrutator, inquit Salomon, maiestatis opprimetur a gloria. Firmiter ergo credamus et simpliciter confiteamur. In contemplatione etiam est necessaria discretio, ut 'non plus de sapientia caelestis saporis sapiamus quam oportet sapere'. Unde Salomon in Parabolis: Fili, invenisti mel, 'idest dulcedinem contemplationis', comede quod tibi sufficit, ne forte satiatus evomas illud. Ille mel evomit, qui, non contentus gratia gratis sibi data, humana ratione contemplationis dulcedinem indagare cupit: non attendens illud quod dicitur in Genesi, quia 'nascente Beniamin, mortua est Rachel'. 'Per Beniamin gratia contemplationis, per Rachel humana ratio designatur. Nascente ergo Beniamin, moritur Rachel, quia mens in contemplatione super se elevata, dum de divinitatis lumine aliquid conspicit, omnis humana ratio succumbit. Rachel interitus rationis est defectus. Unde quidam dixit: Nemo illuc humana ratione venit ubi Paulus raptus fuit'. Sit ergo olfactus discretionis quasi quaedam trutina inter visum fidei et gustum contemplationis, ut facies nostrae animae resplendeat sicut sol.

10 – Et nota quod in sole sunt tria: claritas, albedo et calor. Et vide quam bene istae tres proprietates solis tribus supradictis conveniant animae sensibus. Claritas solis convenit visui fidei, quae sui luminis claritate invisibilia conspicit et credit; albedo, idest munditia vel puritas, olfactui discretionis. Et bene, quia sicut a re foetida claudimus et avertimus nasum, sic a peccati immunditia debemus discretionis virtute declinare. Calor etiam solis gustui convenit contemplationis, in qua vere est calor amoris. Unde dicit beatus BERNARDUS: "Impossibile quippe est summum bonum videri et non amari"; ipse enim Deus amor est. Attendite ergo, carissimi, et videte quam utile, quam salubre est tres socios assumere et in montem luminis ascendere, quia ibi vere est transfiguratio 'de figura huius mundi, quae praeterit', in figuram Dei, quae permanet in saeculum saeculi; de qua dicitur: Facies eius resplenduit ut sol. Resplendeat et facies animae nostrae sicut sol, ut quod videmus fide clarescat in opere; et bonum, quod discernimus intus, discretionis virtute foris exequamur in actionis puritate; et quod gustamus de Dei contemplatione calore ferveat in proximi dilectione. Et sic facies nostra resplendebit ut sol.

11 – Sequitur: Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, qualia fullo non potest facere super terram. 'Animae nostrae vestimenta sunt huius corporis membra'; haec debent esse candida. Unde Salomon: Omni tempore sint vestimenta tua candida. Sed quo candore? Sicut nix, inquit. Dominus promittit peccatoribus conversis per Isaiam: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Nota hic duo: coccinum et nix. 'Coccinum est quidam pannus, qui habet colorem ignis et sanguinis'. Nix est frigida et alba. In igne, ardor peccati; in sanguine, ipsius immunditia; 'in frigiditate nivis, Sancti Spiritus gratia; in albedine mentis munditia designatur'. Dicit ergo Dominus: Si fuerint peccata vestra ut coccinum etc., ac si diceret: Si ad me conversi fueritis, ego Sancti Spiritus gratiam infundam, quae et ardorem peccati extinguet et ipsius immunditiam abluet. Unde ipse dicit per Ezechielem: Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Vestimenta ergo, idest membra corporis nostri, sint alba sicut nix, ut ardorem peccati extinguat frigiditas nivis, idest compunctio mentis, et peccati immunditiam abluat albedo sanctae conversationis. Vel, 'vestimenta animae nostrae sunt virtutes', quibus induta in conspectu Domini apparet gloriosa. De his

vestibus dicitur in historia praesentis dominicae, quod ‘Rebecca vestibus valde bonis, quas apud se habebat, induit Iacob’. Rebecca, idest Sapientia Dei Patris, vestibus, idest virtutibus, bonis, quia ipsius Sapientiae manu et artificio contextis, quas apud se habet, in thesauro suae gloriae positas – habet vere, quia Dominus omnium et possessor; habet vere, quia dat cui vult et quando vult et quomodo vult – induit Iacob, idest virum iustum. Haec vestimenta sunt candida ab effectu, quia candidum faciunt hominem, non dico sicut nix, sed super nivem dealbant. Talia vestimenta fullo, idest praedicator, in fullonia suae praedicationis non potest facere super terram.

III – De Moysi et Eliae apparitione

12 – Sequitur tertium. Et apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes. Viro iusto sic transfigurato, sic illuminato, sic induto, apparent Moyses et Elias. Per Moysen, qui ‘erat mansuetissimus super omnes homines, qui habitabant super terram’, cuius oculus, ut dicitur in Deuteronomio, non caligavit, nec dentes illius moti sunt, patientiae et misericordiae mansuetudo intelligitur. ‘Mansuetus dicitur, quasi manui assuetus’. Ille vero tamquam filius, tamquam mansuetum animal, manui divinae gratiae est assuetus, cuius oculus, idest ratio, non caligat fuligine odii, nec confuscatur nubilo rancoris; cuius dentes non moventur contra aliquem per murmurationem, nec mordent per detractionem. In Elia, qui, ut dicitur in tertio libro Regum, ‘occidit prophetas Baal in torrente Cison’, zelus iustitiae intelligitur. “Baal interpretatur superior aut devorator”; “Cison, duritia eorum”. Ille ergo, qui vere zelo iustitiae fervet, prophetas et servos superbiae, quae semper superiora petit, gulae et luxuriae, quae omnia devorant, interficit gladio praedicationis, comminationis et excommunicationis, ut ‘vitio mortui, Deo vivant’. Et hoc facit in torrente Cison, idest abundantia ‘duritiae cordis eorum, secundum quam thesaurizant sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei’. De qua dicit Dominus Ezechieli: Filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te; omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et dura cervice. Ille habet attritam frontem qui, dum corripitur, non solum correctionem contemnit, sed etiam de peccato non erubescit. Cui improperat Ieremias: Frons meretricis facta est tibi; noluisti erubescere. Moyses ergo et Elias, idest mansuetudo misericordiae et zelus iustitiae, cum viro iusto, in monte sanctae conversationis iam transfigurato, debent apparere, ut, ‘tamquam Samaritanus, vulneribus sauciati infundat vinum et oleum, quatenus vini austeritas olei mollitiem exacerbet, et mollities olei vini austeritatem temperet’. Unde dicitur in Matthaeo, de angelo qui apparuit in Christi Resurrectione, quod ‘aspectus eius erat sicut fulgur, et vestimenta eius sicut nix’. ‘In fulgure iudicii severitas, in candore nivis mansuetudinis blandities designatur’. Angelus, idest praelatus, fulguris debet habere aspectum, ut ad ipsius sanctae conversationis mulieres, idest effeminatae mentes, expavescant intuitum. Sicut fecit Esther, de qua dicitur in eiusdem libro: Cum rex Assuerus elevasset faciem et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit et, in pallorem colore mutato, lassum super ancillam caput reclinavit. Sed praelatus, sicut fecit Assuerus, ‘auream virgam benignitatis debet porrigere’, et vestimenta nivis induere, ut ‘quos paterna corripuit austeritas, pia matris consoletur benignitas’. Unde dicitur: Verbera patris habens, ubera matris habe. Praelatus debet esse sicut pellicanus, ‘qui, ut fertur, filios suos interficit, sed postea sanguinem de proprio corpore extrahit et super filios interfectos effundit et sic reviviscere facit’. Sic praelatus filios suos, subditos suos, quos flagello disciplinae

corripit et gladio asperae invectionis interficit, suo sanguine, idest mentis compunctione et lacrimarum effusione, ‘quae, ut dicit AUGUSTINUS, sunt sanguis animae’, debet ad poenitentiam, in qua est vita animae, revocare.

IV – De paternae vocis, “Hic est filius meus carissimus”, protestatione

13 – Et si haec tria, scilicet montis ascensio, transfiguratio, Moysi et Eliae apparitio, in te praecesserint, quartum consequeris, de quo subditur: Ecce nubes lucida obumbravit eos. Simile habes in fine Exodi, ubi dicitur: Postquam perfecta sunt cuncta, nubes operuit tabernaculum testimonii; et gloria Domini implevit illud. Nota quod in tabernaculo testimonii erant quattuor: ‘candelabrum cum septem lucernis, mensa propositionis, arca testamenti et altare aureum’. Tabernaculum testimonii est vir iustus: tabernaculum, quia vita eius militia est super terram, ex tabernaculo enim solent milites armati hostes impugnare et ab ipsis impugnari, et vir iustus in pugna constitutus dum pugnat impugnatur, unde dicitur: “Ut bene tu pugnes, bene pugnans efficit hostis”; testimonii, ‘quod habet non tantum ab his qui foris sunt’, quorum testimonium aliquando verum non invenitur, sed a se ipso, ‘cuius gloria est testimonium conscientiae suae’, non alterius linguae. In hoc tabernaculo testimonii candelabrum aureum, ductile, cum septem lucernis, est aurei cordis viri iusti compunctio, quae multiplicibus suspiriis quasi quibusdam malleis tunditur. Huius candelabri septem lucernae sunt tres haedi, tres tortae panis et lagena vini, quae portant supradicti tres socii viri iusti. Est etiam in tabernaculo viri iusti mensa propositionis, per quam sanctae vitae intelligitur excellentia, super quam debent poni panes propositionis, idest refectio praedicationis, quae omnibus est proponenda. Unde Apostolus: Graecis et Barbaris debitor sum. Ibi est et arca testamenti, in qua erant manna et virga. In arca, idest in mente viri iusti, debet esse manna mansuetudinis, ut sit Moyses, et virga correctionis, ut sit Elias. Est etiam ibi altare aureum, per quod intelligitur finalis perseverantiae firmum propositum. In hoc altari quotidie incensum offertur devotae compunctionis et thymiama odoriferae orationis.

14 – Bene ergo dicitur: Postquam perfecta sunt cuncta, nubes operuit tabernaculum testimonii. Tale tabernaculum, in quo cuncta quae pertinent ad perfectionem sunt perfecta, operit nubes et implet gloria Domini, de qua dicitur in hodierno evangelio: Et nubes lucida obumbravit eos. Virum enim iustum in monte luminis, idest sanctae conversationis, transfiguratum, obumbrat gratia Domini ab ardore mundanae prosperitatis, a pluvia concupiscentiae carnalis, a tempestate daemoniacae persecutionis; et sic audire meretur ‘sibilum aurae tenuis’, dulcedinem Dei Patris: Hic est filius meus carissimus, ipsum audite. Vere Dei filius dignus est nominari, qui tres supradictos socios assumpsit, in montem ascendit, seipsum de figura mundi in figuram Dei transfiguravit, Moysen et Eliam socios habuit, et nube lucida obumbrari meruit. Rogamus ergo, Domine Iesu, ut de valle miseriae nos ascendere facias in montem sanctae vitae, ut tuae Passionis figura impressi et misericordiae mansuetudine et zelo iustitiae conditi, in die iudicii mereamur nube lucida obumbrari et vocem iucunditatis, laetitiae et exultationis audire: Venite, benedicti Patris mei, qui vos benedixit in monte Thabor, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ad quod regnum ipse nos perducere dignetur, cui est honor et gloria, laus et imperium, maiestas et aeternitas in saecula saeculorum. Dicat omnis spiritus: Amen.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA SERMO ALTER

Themata sermonis

Item evangelium in eadem dominica: Egressus Iesus. In primis sermo ad praedicatores, ibi: Egressus est Israel. Item sermo de mundi contemptu, ibi: Egressus lacob de Bersabee. Item sermo ad poenitentes, ibi: Quae prius nolebat tangere, et de triplici tentatione diaboli, et quot modis eveniat pollutio nocturna. Item sermo ad religiosos, ibi: Et tu fili hominis, sume tibi frumentum. Item sermo de confessione, in qua quinque sunt necessaria, ibi: Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis, et de quattuor quae sunt in arcu et cithara. Item sermo contra curiosos et circa saecularia vagantes, ibi: Egressa est Dina.

Exordium. Sermo ad praedicatores

1 – Egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit dicens: Miserere mei, Domine, fili David etc. Dicitur in primo libro Regum: Egressus est Israel obviam Philisthiim in proelium, et castrametatus est iuxta lapidem adiutorii. 'Israel interpretatur semen Dei', et significat praedicatorem vel ipsius praedicationem, de qua dicit Isaias: Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, idest praedicationem, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorra similes essemus. Hic debet egredi obviam Philisthiim in proelium. "Philisthiim interpretatur potione cadentes, et significat daemones, qui potione superbiae inebriati, de caelo ceciderunt". Contra hos tunc egreditur in proelium, cum per suam praedicationem de eorum manibus nititur eruere impium, sed hoc non potest facere nisi castrametatus fuerit iuxta lapidem adiutorii. "Lapis adiutorii est Christus", de quo dicitur in historia praesentis dominicae: Tulit Iacob lapidem, et supponens capiti suo, dormivit. Sic praedicator lapidem adiutorii, Iesum Christum, capiti, idest menti suae, debet supponere, ut in ipso quiescat et in ipso et per ipsum daemones devincat; et hoc est quod dicitur: castrametatus est iuxta lapidem adiutorii, quia iuxta Iesum Christum, qui est adiutor in tribulationibus, de ipso confidens, ipsi totum attribuens, castra suae conversationis metari et tentoria suae praedicationis debet figere. In nomine ergo Iesu Christi egrediar contra Philisthaeum, contra daemonium, ut de eius manu liberare valeam in ista praedicatione peccatorem, peccato captivum, de illius gratia confisus, qui 'egressus est in salutem populi sui'. Unde dicitur in lectione praesentis evangelii: Egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.

2 – Nota quod summa huius evangelii in tribus maxime consistit: In Iesu Christi egressione, in mulieris chananaeae pro filia a daemonio vexata petitione et in ipsius filiae liberatione. Quodlibet istorum trium quid moraliter significet videamus.

I – De Iesu egressione, seu de viri poenitentis egressione de mundi vanitate

3 – Egressus, inquit Matthaeus, Iesus etc. Egressio Iesu viri poenitentis de mundi vanitate egressionem significat, de quo legitur et cantatur in historia praesentis dominicae: Egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Ecce concordia utriusque Testamenti: Egressus, inquit Matthaeus, Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis; et: Egressus, inquit Moyses in Genesi, Iacob de Bersabee, pergebat Haran. "Iacob interpretatur supplantator" et significat peccatorem conversum, qui sub planta rationis conculcat sensualitatem carnis. Iste egreditur de Bersabee, "quae interpretatur puteus septimus" et significat huius mundi insatiabilem cupiditatem, 'quae est radix omnium malorum'. De quo puteo dicit Ioannes in evangelio, ubi ponit verba Samaritanae cum Iesu loquentis: Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est. Et subiunxit Iesus: Omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum. O Samaritana, vere, vere dixisti, quia puteus altus est; mundi enim cupiditas alta est, quia caret fundo sufficientiae. Et ideo omnis qui biberit ex aqua huius putei, per quam divitias et delicias transitorias intelligimus, sitiet iterum. Vere iterum, quia, ut dicit Salomon in Parabolis, duae sunt filiae sanguisugae dicentes: Affer, affer. "Sanguisuga est diabolus, qui sanguinem animarum nostrarum sitit et sugere cupit. Huius sunt duae filiae: divitiae scilicet et deliciae, quae semper dicunt: Affer, affer, et numquam: Sufficit". Item, de hoc puteo dicitur in Apocalypsi: Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer. Et de fumo putei exierunt locustae in terram. Fumus excaecans oculos rationis ascendit de puteo mundanae cupiditatis, quae est fornax magna Babylonis. Ex isto fumo sol et aer est obscuratus. Sol et aer religiosos significant. Sol, quia puri, calidi et lucidi: puri castitate, calidi caritate, lucidi paupertate; aer, quia aerei, idest contemplativi, debent esse. Sed, peccatis nostris exigentibus, exivit fumus de puteo cupiditatis et omnes iam infumavit. Unde deplorat Ieremias in Threnis: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! Sol et aurum, aer et color optimus idem significant: splendor solis et auri est obscuratus; aer et color est immutatus. Et vide quam proprie dixit obscuratus et immutatus. Fumus enim cupiditatis obscurat splendorem religionis et infumat colorem optimum caelestis contemplationis, in qua facies animae mixtim perfunditur optimo colore, candido scilicet et rubicundo: candido scilicet dominicae Incarnationis, rubicundo eiusdem Passionis; candido eburneae castitatis, rubicundo ardenti desiderio sponsi caelestis.

4 – Iste optimus color, heu! heu! hodie immutatur, quia fumo cupiditatis infumatur, de quo adhuc scribitur: Et de fumo putei exierunt locustae in terram. Locustae, propter saltum quem faciunt, significant omnes religiosos, qui, iunctis duobus pedibus paupertatis et obedientiae, debent saltare ad altitudinem vitae aeternae. Sed, proh dolor! retrogrado saltu de fumo putei exierunt in terram et, ut dicitur in Exodo, 'operuerunt superficiem terrae'. Hodie non fiunt nundinae, non celebrantur curiae saeculares vel ecclesiasticae, in quibus non invenias monachos et religiosos. Emunt et revendunt, 'aedificant et destruunt, mutant quadrata rotundis'. In causis partes convocant, coram iudicibus litigant, decretistas et legistas conducunt, testes inducunt, cum ipsis parati iurare pro re transitoria, frivola et vana. Dicite mihi, o fatui religiosi, si in prophetis vel Christi evangeliis, aut Pauli epistolis, si in sancti Benedicti regula, vel beati Augustini, istas litigationes et evagationes et causarum, pro re transitoria et peritura, acclamationes et protestationes invenistis. Immo dicit Dominus apostolis, monachis et omnibus religiosis, non consulendo sed praecipiendo, quia viam elegerunt perfectionis: Dico, inquit, vobis, in evangelio Lucae, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; benedicite

maledicentibus vobis, orate pro calumniantibus vos. Et qui te percusserit in maxillam, praebe ei et alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, et tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue; et qui aufert quae tua sunt, ne repetas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? Siquidem et peccatores haec faciunt. Haec est regula Iesu Christi omnibus regulis, institutionibus, traditionibus, adinventionibus praeferenda, quia non est servus maior domino suo, nec apostolus maior eo qui misit eum. Attendite, audite et videte, universi populi, si est dementia, si est praesumptio sicut praesumptio eorum. In regula vel institutione ipsorum continetur quod quilibet monachus, vel canonicus, habeat duas vel tres tunicas, duo paria subtelarium, hiemi et aestati convenientia. Si vero forte fortuito evenerit quod ista loco et tempore non habeant, dicunt quod ordo non observatur, eo quod in regula ita miserabiliter peccatur. Vide quam studiose servant regulam, vel institutionem corporis; et regulam Iesu Christi, sine qua ipsi non possunt salvari, aut parum aut nihil custodiunt. Quid etiam dicam de clericis et Ecclesiae praelatis? Si aliquis episcopus vel Ecclesiae praelatus contra decretalem Alexandri, vel Innocentii, vel alterius papae fecerit, statim accusatur, accusatus convocatur, convocatus convincitur, convictus deponitur. Si vero contra evangelium Iesu Christi, ad quod principaliter servandum tenetur, aliquod mortale commiserit, nemo est qui accuset, nemo est qui corripiat. 'Omnes enim diligunt quae sua sunt non quae Iesu Christi'. Et ideo ipse Christus de his omnibus, tam religiosis quam clericis, dicit in Matthaeo: Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritae, bene de vobis prophetavit Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Et iterum dicit in Luca: Vae vobis pharisaeis, quia decimatis mentham et anetum et rutam et omne olus, et praeteritis iudicium et caritatem Dei. Haec autem oportuit facere, et illa non omittere. Vae vobis pharisaeis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. Et vobis legisperitis vae, quia oneratis homines oneribus quae portari non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae: ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Bene ergo dicitur in Apocalypsi, quod ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer, et de fumo putei exierunt locustae in terram.

5 – Et nota quod puteus mundanae cupiditatis dicitur septimus puteus, et hoc duabus de causis: vel quia est sentina et lacus septem criminalium; cupiditas enim, ut dicit Apostolus, est radix omnium malorum; vel quia, sicut 'septima dies non legitur in Genesi habere vesperam', sic nec cupiditas sufficientiae habet fundum. De hoc ergo infelici puteo egreditur peccator poenitens, de quo dicitur: Egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Et egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Quid ista tria nomina Tyrus, Sidon, Haran significent videamus. "Tyrus angustia interpretatur"; "Sidon venatio moeroris"; "Haran excelsa vel indignatio". Poenitens ergo, egressus de mundi cupiditate, secedit in partes Tyri, idest angustiae. Nota quod vere poenitentis duplex est angustia: prima est quam habet pro peccatis quae commisit, secunda quam sustinet pro triplici tentatione diaboli, mundi et carnis. De prima dicit Iob: Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt. Poenitenti enim, prae angustia contritionis, quam sustinet pro peccatis, vigiliarum instantia, lacrimarum abundantia, ieiuniorum frequentia,

sunt quasi quidam cibi delicatissimi; quae priusquam rediret ad poenitentiam anima, idest sensualitas eius, temporalibus satiata, tangere abhorrebat. Unde Salomon in Parabolis: Anima satiata calcabit favum, anima vero esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

6 – De secunda angustia triplicis tentationis viri iusti, dicit Isaias: Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto "vastitas" venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore; angustia possedit me sicut angustia parturientis; corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me. Nota omnia verba ista: 'in turbine, diaboli suggestio'; in vastitate, mundi cupiditas; in visione dura tentatio carnis intelligitur. Turbines ergo ab Africo venientes sunt diaboli suggestiones, animam poenitentis turbantes et tribulantes. Unde dicitur in Iob: Repente ventus vehemens irruit a regione deserti et concussit quattuor angulos domus; quae corruens oppressit filios Iob. 'Ventus vehemens, irruens a regione deserti, est repentina suggestio diaboli, quae aliquando ex improviso ita fortiter irruit, quod quattuor angulos domus, idest quattuor principales virtutes animae viri iusti, a fundamentis excutit et aliquando in mortale peccatum, heu! corruere facit: et sic filii Iob, idest onera vel affectus viri iusti, moriuntur'.

7 – Item vastitas de deserto veniens est cupiditas, quae de deserto, idest mundo, bestiis pleno venit, et paupertatis divitias in sancto viro, poenitente contrito, vastare cupit. Unde Ioel: Ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. Ignis, 'idest cupiditas', comedit, idest devoravit, speciosa deserti, 'idest praelatos et ministros Ecclesiae, qui in deserto huius mundi sunt constituti et ad speciem et decorem ipsius Ecclesiae a Deo sunt dati'. Et flamma avaritiae succendit omnia ligna regionis, idest omnes religiosos, qui bene dicuntur ligna regionis. 'Regio est religio, in quam de regione dissimilitudinis, idest mundanae vanitatis, transplantati sunt, ut afferant fructus gloriae caelestis'.

8 – Item visio dura, de terra horribili nuntiata, est 'tentatio carnis, quae bene dicitur terra horribilis', quia cogitationibus diversis, verbis aversis, operibus perversis, immunditiis et spurcitiis plurimis horrida et abominabilis. Et nota quod carnis tentatio dicitur visio dura, eo quod principaliter in visione oculorum consistat. Unde PHILOSOPHUS: 'Prima iacula luxuriae, oculi'. Et ideo deplorat Ieremias in Threnis: Oculus meus depraedatus est animam meam. Et beatus AUGUSTINUS: "Impudicus oculus impudici cordis est nuntius". Et ideo, ut dicit beatus GREGORIUS, "deprimendi sunt oculi, quia sunt quasi quidam latrunculi", de quibus dicitur quarto Regum: 'Latrunculi furati sunt puellam de terra Israel, quae erat in servitio uxoris Naaman leprosi'. Latrunculi sunt oculi, qui furantur puellam, idest pudicitiam et castitatem, de terra Israel, idest mente viri iusti, Deum videntis, et sic faciunt eam servire uxori, idest fornicationi, quae est uxor Naaman leprosi, idest diaboli. Ex tali uxore leprosus diabolus multos generat filios et filias leprosas. Vel aliter. Illa tentatio carnis dicitur visio dura, quae in visione somnii evenire solet, et hoc dicitur carnis pollutio, quae valde molestat et dure molestare debet mentem viri iusti. Unde dicit Iob: Terrebis me, idest terreri permittes, per somnia, et per visiones horrore concuties. Quam ob rem suspendium elegit anima mea et mortem ossa mea. Vir enim iustus, cum horrore illusionis vel visionis se senserit concuti, statim debet surgere et animam suam in caelestium contemplatione suspendere et ossa blandientis corporis, quae

momentaneam delectationem persenserunt, gemitibus, tunsionibus debet affligere. Et nota quod haec pollutio quattuor modis solet evenire: aut evenit ex vasis, quo ille humor recipitur, repletione; aut ex corporis debilitate, et tunc nullum aut minimum est peccatum; aut ex cibi et potus nimia superfluitate, et si in consuetudinem venerit tunc est mortale; aut ex praevisa, cum consensu mentis, mulieris specie, et tunc omnino mortale. Dicit ergo poenitens, qui egressus de Bersabee secessit in partes Tyri, "idest angustiae" Sicut turbines, idest suggestiones ab Africo, idest diabolo, veniunt, sic vastitas, idest cupiditas omnia vastans, 'de deserto, idest mundo', venit; sic etiam de terra horribili, idest carne miserabili, visio dura tentationis nuntiata est mihi. Heu! heu! Domine Deus, in tanto turbine, in tanta vastitate, in tam dura visione, quo fugiendum? quid est agendum? Audi quid poenitens subiungit: Propterea lumbi mei repleti sunt dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis. Poenitenti, cum visio dura nuntiatur de terra horribili, lumbi eius replentur dolore non delectatione. Unde dicit cum Propheta: Ure renes meos etc. Et angustia, inquit, possedit me. Vere iste poenitens secesserat in partes Tyri, qui dicebat: Angustia possedit me. Et qualis angustia? parturientis. Sicut enim non est angustia super angustiam parturientis, sic non est angustia super angustiam viri iusti in tentatione positi. Unde dicitur in Exodo: Oderant Aegyptii filios Israel, et affligebant illudentes eis; et ad amaritudinem perducebant vitam eorum. 'Aegyptii sunt daemones, iniqui peccatores et motus carnales. Isti omnes odiunt filios Israel, idest viros iustos': daemones amigunt, iniqui peccatores eis illudunt, motus carnales ad amaritudinem vitam eorum perducunt.

9 – Sequitur: Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me. Redde singula singulis. Dicit poenitens: Cum audirem turbines ab Africo venientes, statim corrui in terram super faciem meam, obsecrans Dominum, ne me permitteret ab isto turbine asportari. Vir enim iustus, cum audit diaboli suggestiones, statim debet corruere in orationem, quia hoc genus daemoniorum non eicitur nisi in oratione et ieiunio. Conturbatus sum, cum viderem vastationem cupiditatis mundanae venientem. Et bene dicit: conturbatus sum. Viro enim iusto, cum aliqua temporalium cupiditas vult arridere, statim ipse debet habere conturbatum animum et vultum, ne eis arrideat. Emarcuit cor meum ab humore luxuriae; tenebrae mortis aeternae stupefecerunt me, cum de terra horribili visio dura nuntiata est mihi. 'Sicut enim clavus clavum eicit, sic timor gehennae, delectationem luxuriae'. Bene ergo dicitur de viro poenitente: Egressus de Bersabee, secedit in partes Tyri, et pergit Haran. Et vide quam bene Tyrus et Haran, idest angustia et excelsa, concordant, quia qui vult ad excelsa pergere hoc sine angustia non potest facere. Sic poenitens, qui ad vitae aeternae plenitudinem vult ascendere, prius oportet eum per Tyrum transire. Unde dicit Dominus in Luca: Nonne sic oportuit pati Christum, ecce Tyrus, et ita intrare in gloriam suam? ecce Haran. Quid igitur faciemus poenitenti de puteo mundanae cupiditatis egredienti et ad excelsa caelestis beatitudinis tendenti? Mons est excelsus, difficillimus ascensus et angustia plenus. Ne ergo deficiat in via, fabricemus ei scalam, per quam suaviter possit ascendere; de qua dicitur in historia praesentis dominicae: Vidit Iacob in somnis scalam, stantem super terram etc.

10 – Nota quod haec scala duo habet brachia et sex gradus, per quos fit ascensus. Haec scala est poenitentis sanctificatio, de qua dicit Apostolus in hodierna epistola: Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in

honore et sanctificatione. Huius scalae brachia sunt contritio et confessio. Sex gradus sunt illae sex virtutes, in quibus tota animae et corporis sanctificatio consistit: 'mortificatio scilicet voluntatis propriae, rigor disciplinae, virtus abstinentiae, consideratio infirmitatis propriae, exercitium vitae activae, contemplatio caelestis gloriae'. De his sex loquitur Dominus Ezechieli, dicens: Et tu, fili hominis, sume tibi frumentum et hordeum et fabam et lentem et milium et viciam, et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes. In frumento, quod moritur, cum in terram proicitur, nostrae voluntatis mortificatio designatur; in hordeo, quod habet tenacem paleam, rigor disciplinae; in faba, quae est cibus abstinentium, virtus abstinentiae; in lente, quae est minima et parvi valoris, consideratio infirmitatis nostrae; in milio, quod frequenti indiget cura, exercitium vitae activae; in vicia vel avena, quae in altum tendit, contemplatio caelestis gloriae intelligitur. Quia in his consistit sanctificatio et munditia nostra, ideo sumamus ea et mittamus in vas nostrum, de quo dicit Apostolus: Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione; et ex istis sex faciamus nobis panes, quibus refecti possimus secedere in partes Tyri et pergere in Haran. Unde dicitur: Egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri.

11 – Sequitur: et Sidonis. Sidon interpretatur venatio moeroris. Nota quod venator, qui bonam vult facere venationem, quinque debet habere: cornu sonorum, canem velocem et animosum, iaculum limatum et acutum, pharetram cum sagittis et arcum. Cornu, ut personet; canem, ut capiat; iaculum, ut interficiat; sagittas et arcum, ut bestias, quas cominus iaculo non potest interficere, eminus sagittis feriat. Venator est poenitens, cui loquitur Pater in historia praesentis dominicae: 'Tolle arma tua, pharetram et arcum, et affer mihi de venatione tua, ut comedam et benedicat tibi anima mea'. Arma filii poenitentis sunt pharetra et arcus; sagittae in pharetra sunt punctiones et dolores contritionis in corde, de quibus dicit Iob: Sagittae Domini militant in me, quarum indignatio ebibit spiritum meum. 'Domini sagittae sunt cordis compunctiones, quae misericorditer vulnerant cor peccatoris', ut, contra se ipsum de peccato indignans, superbiae spiritum humiliet. Et hoc est quod subiungitur: Quarum indignatio ebibit, 'idest consumit, spiritum meum, idest superbiam meam'. In arcu notatur confessio. Unde Dominus in Genesi: Ponam, inquit, arcum meum in nubibus caeli, et erit signum foederis inter me et terram; inter Deum et terram, idest peccatorem, cui dictum est: 'Terra es et in terram ibis', ponitur arcus confessionis, quae est signum foederis, pacis et reconciliationis. Et vide quam proprie arcus confessionem significet.

12 – Nota quod in arcu sunt quattuor, duo scilicet cornua flexibilia, medium durum et inflexibile; habet etiam chordam mollem, per quam ipsa cornua flectuntur. Similiter in confessione debent esse quattuor. Duo cornua confessionis sunt dolor de peccatis praeteritis et timor de poenis aeternis; medium durum et inflexibile est firmum propositum, quod debet habere poenitens, ne ultra revertatur ad vomitum; chorda mollis est spes veniae, quae vere illa duo cornua, doloris et timoris, a sua rigiditate flectit. Ex tali ergo arcu emittuntur sagittae potentis acutae. Item, venator, idest poenitens, debet habere cornu sonorum, canem et iaculum. In cornu, clamor nudae accusationis; in cane, latratus conscientiae mordacis; in iaculo vindicta propriae animadversionis vel satisfactionis notantur. Debet enim peccator cum arcu confessionis habere cornu nudae accusationis et canem conscientiae mordacis, ne aliquid de peccato et circumstantia peccati intactum

permittat. Debet etiam habere iaculum animadversionis, indignationis et satisfactionis, ut seipsum feriat, sibi ipsi indignetur, pro peccatis suis satisfaciat, "ut quot habuit in se oblectamenta, tot de se inveniat holocausta". Haec est bona venatio, de qua dicit Pater filio: Affer mihi de venatione tua, ut comedam et benedicat tibi anima mea. De hac ergo venatione dicitur in praesenti evangelio: Egressus Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Sequitur secundum.

II – De mulieris Chananaeae petitione pro filia a daemonio vexata, seu de oratione animae poenitentis

13 – Ecce mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit dicens: Miserere mei, fili David; filia mea male a daemonio vexatur. Nota quod mulier Chananaea tunc exit, tunc pro filia fundit preces, cum Iesus in partes Tyri et Sidonis secedit; quia cum peccator de mundi et suae carnis insatiabilis voragine egreditur, et in partes Tyri, idest angustiae, quam habet in contritione, et Sidonis, idest venationis, quam debet facere in confessione, secedit, tunc mulier Chananaea, idest peccatrix anima, iniquitatem suam quam prius recognoscens, incipit clamare dicens: Miserere mei, Domine, fili David. Haec debet esse propria oratio animae poenitentis, quae, exemplo David, qui post adulterium et homicidium veram egit poenitentiam, ad poenitentiam convertitur. Dicit ergo: Miserere mei, Domine, fili David, ac si diceret: O Domine, ideo de familia et tribu David accepisti carnem, ut peccatoribus conversis, qui exemplo David de misericordia tua sperant et poenitentiam agunt, remissionis gratiam infundas et manum misericordiae porrigas. Miserere ergo mei, fili David.

14 – Qui non respondit ei verbum. O divini consilii arcanum! O aeternae sapientiae inscrutabile profundum! 'Verbum, quod in principio erat apud Patrem, per quod facta sunt omnia', non respondet mulieri Chananaeae, poenitenti animae, verbum! Verbum, quod 'linguas infantium facit disertas', quod 'dat os et sapientiam', non respondet verbum! O Patris Verbum, omnia creans et recreans, omnia gubernans et sustentans, mihi miserae mulieri, mihi poenitenti unicum saltem responde verbum. Et probo auctoritate tui prophetae Isaiae, quia debes respondere. Sic enim Pater de te peccatoribus per ipsum promittit, dicens: Verbum, inquit, meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud. Et quid Pater voluit? Utique, ut poenitentem susciperes, verbum misericordiae responderes. Nonne tu dixisti: Cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me? Miserere ergo mei, fili David; responde verbum, o Patris Verbum. Item, probo auctoritate tui prophetae Zachariae, quia debes misereri et respondere. Sic enim de te prophetavit: In die, inquit, illa erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris et menstruatae. O fons pietatis et misericordiae, qui natus fuisti de terra benedicta, Virgine scilicet Maria, quae fuit de domo David et familia, ablue sordes peccatoris et menstruatae. Miserere ergo mei, fili David, filia mea male a daemonio vexatur. Quare Verbum non respondit verbum ? Certe, ut ad maiorem compunctionem, maioris doloris stimulum excitet poenitentis animum. Unde de ipso sponsa loquitur in Canticis: Quaesivi et non inveni illum; vocavi et non respondit mihi.

15 – Sed mulier ista Chananaea quo dolore doleat, apertius videamus. Filia, inquit, mea

male a daemonio vexatur. De qua vexatione habes concordantiam in historia praesentis dominicae, ubi dicitur: Egressa est Dina filia Liae, ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei, princeps terrae illius, adamavit et rapuit; et dormivit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum ea. Ecce quomodo filia mea male a daemonio vexatur. "Lia interpretatur laboriosa"; "Dina, causa vel iudicium". Lia est anima poenitentis, quae, poenitentiae operibus insistens, laborat, dicens cum Propheta: Laboravi in gemitu meo etc. Haec est mulier Chananaea, 'quae interpretatur negotiatrix'. Negotiatio animae poenitentis est mundum contemnere, carnem affligere, 'peccata praeterita deflere et iterum flenda non committere'. Huius Chananaeae, sive Liae, filia est mens vel ipsius hominis conscientia, quae bene dicitur Dina idest causa vel iudicium, quia causam peccatorum suorum debet ventilare vel proponere coram iudice, idest sacerdote, et iudicium sententiamque ab ipso datam libentissime sustinere. Et attende quod in hoc loco mentem vel hominis conscientiam nihil aliud intelligo quam ipsius poenitentis animam. Diversae enim personae multoties in sacra pagina unum et idem repraesentant, utpote in isto loco mulier Chananaea et eius filia unius poenitentis animam moraliter significant.

16 – De hac dicitur: Egressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius. Mulieres regionis temporalium pulchritudinem, abundantiam, vanitatem et voluptatem huius mundi significant, quae ideo dicuntur 'mulieres, quia molliunt et effeminant mentes hominum'. Unde dicitur in tertio libro Regum, quod 'mulieres averterunt cor Salomonis'. Pulchritudo enim et abundantia temporalis infatuat cor sapientis. Ad has mulieres videndas infelix anima tunc egreditur, cum temporalium abundantia [et] pulchritudine delectatur; et sic infelici evenit quod sequitur: Quam cum vidisset Sichem, filius Hemor Hevaei, princeps terrae illius, adamavit etc. "Sichem, labor", "Hemor, asinus"; "Hevaeus, ferus vel pessimus" interpretatur. "Sichem est diabolus", qui semper laborat, ut inique agat: Circuivi, inquit, terram et perambulavi eam. Hic dicitur filius Hemor Hevaei, quia stoliditate et ferocitate superbiae de angelo diabolus, de filio excelsae gloriae factus est filius mortis aeternae. Hic dicitur princeps terrae, idest illorum qui terrena sapiunt '. Princeps, inquit Dominus, huius mundi eicietur foras. Iste dum infelicem animam, quae causam et iudicium suum deberet pro peccatis suis portare, per temporalium vanitates evagari conspicit, facit ei quod sequitur: Adamavit et rapuit et dormivit cum illa, vi opprimens virginem, et conglutinata est anima eius cum ea. Nota verba: Diabolus animam adamat, cum ei peccatum suggerit; rapit, cum ipsa suggestioni mente consentit; dormit cum illa et virginitate privat, cum praemeditatam malitiam foras in opus producit. Anima eius conglutinatur cum ea, cum, malae consuetudinis glutino, captiva et ligata tenetur. Ecce quam male filia mea a daemonio vexatur. Miserere ergo mei, fili David, quia filia mea male a daemonio, a Sichem filio Hemor Hevaei, vexatur. Et Dominus misertus, "cuius misericordiae non est numerus", filiam, quae a daemonio vexabatur, mirabiliter liberavit.

III – De liberatione filiae mulieris Chananaeae

17 – Unde sequitur, in eadem Genesis historia: Arreptis duo Iacob filii, Simeon et Levi fratres Dinae, gladiis, sunt ingressi urbem confidenter; interfectisque omnibus masculis, Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem, sororem suam.

“Simeon interpretatur audiens tristitiam” et significat cordis contritionem; “Levi interpretatur additio” et significat oris confessionem, quae debet addi cordis contritioni. Hi duo filii Iacob, idest viri poenitentis, et fratres Dinae, idest ipsius animae, debent arripere gladios divini amoris et timoris et interficere diabolum et ipsius superbiam et omnia quae ad ipsum pertinent, idest peccatum et circumstantiam peccati; et sic sororem suam, animam, in domo diaboli captivam et malae consuetudinis catena ligatam, poterunt liberare. Rogemus ergo, carissimi, Dominum Iesum Christum, quatenus per suam sanctam misericordiam nobis concedat de mundi vanitate egredi et in partes Tyri et Sidonis, contritionis et confessionis sic ingredi, ut filia nostra, anima nostra, a diabolo et ipsius tentatione valeat liberari et in regni caelestis beatitudine collocari; ipso praestante, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Omnis homo dicat: Amen

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA

Themata sermonis

Evangelium in tertia dominica Quadragesimae: Erat Iesus eiciens daemonium, quod in quinque clausulis dividitur. In primis sermo de utilitate praedicationis, ibi: Quandocumque spiritus Domini malus. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo ad poenitentes vel claustrales, ibi: Ioseph missus de valle Hebron, et de natura avis calandrii. Item sermo de caecitate peccatoris, ibi: Confestim igitur ut pervenit Ioseph, et de cygni proprietate. Item sermo de Passione Christi, ibi: Estote imitatores Dei. DE SECUNDA CLAUSULA. In primis sermo ad praedicatorem, ibi: Sedit in forti arcus eius. Item sermo de diaboli armatura et ipsius pugna, ibi: Egressus est vir spurius, et de tela araneae et ipsius proprietate. Item sermo de Christi armatura et ipsius victoria, ibi: Indutus est iustitia ut lorica. DE TERTIA CLAUSULA. In primis sermo contra superbos, ibi: Vidi arietem cornibus, et de dispositione cornuum in animalibus et eorum significatione. Item sermo de humilitate, ibi: Si autem fortior illo. Item sermo ad religiosos, quomodo vitam pristinam debeant immutare, ibi: In die illa erunt quinque civitates. DE QUARTA CLAUSULA. In primis sermo de mentis solitudine et contemplationis dulcedine, ibi: Quasi hortus voluptatis. Item sermo de hospitio diaboli, ibi: Sub umbra dormit. Item sermo ad poenitentes vel religiosos, ibi: In terra deserta, et de natura apum. Item sermo de triplici scopa et eius significatione, ibi: Revertar in domum meam. Item sermo contra tepidos, ibi: Amalecitae impetum fecerunt. Item sermo ad poenitentes et de natura apum, ibi: Invenit vacantem et ornatam, et ibi: Nigra sum sed formosa. DE QUINTA CLAUSULA. [Sermo alter in laudem beatae Mariae Virginis]. Item sermo de beatitudine beatae Mariae et ipsius virginitate, ibi: Beatus venter, et ibi: Venter tuus acervus tritici. Item sermo in ipsius Filii Nativitate, ibi: Cerva carissima, et de proprietate cervae et palmae. Item sermo in quolibet festo ipsius Virginis, ibi: Videbam coram me vitem.

Exordium. De utilitate praedicationis

1 – In illo tempore: Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum; et cum eiecisset daemonium locutus est mutus, et admiratae sunt turbae ‘. Legitur in primo libro Regum:

Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, tollebat David citharam et percutiebat manu sua; et refocillabatur et levius habebat: recedebat autem ab eo spiritus malus. Spiritus Domini malus est diabolus, 'qui dicitur Domini, quia ab ipso creatus; malus, quia propria malitia' de lucifero in tenebriferum, de angelo in diabolum conversus; unde et diabolus, "idest deorsum fluens", appellatur. Hic Saul – "qui interpretatur abutens" –, idest peccatorem, cui, ut dicit Iob, dedit Deus locum poenitentiae, et ipse abutitur eo in superbiam, arripit, cum de peccato in peccatum impellit. Sed David, idest praedicator, citharam, idest praedicationis melodiam, debet tollere et manu suae operationis percutere; et sic dulcedo citharae, idest virtus praedicationis dominicae, peccatoris furorem mitigabit et ab ipso daemonium effugabit, de quo dicitur in hodierno evangelio: Erat Iesus eiciens daemonium etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio sunt quattuor particulae, super quarum qualibet, ad honorem Dei et maiorem utilitatem audientium, sermonem brevem volumus componere. Prima particula est: Erat Iesus eiciens daemonium. Secunda: Cum fortis armatus. Tertia: Cum immundus spiritus exierit ab homine. Quarta: Extollens vocem quaedam mulier de turba etc. Similiter et historia Genesis, quae legitur et cantatur in praesenti dominica, in quattuor partibus dividitur. Prima pars agit de Ioseph venditione. Secunda de ipsius incarceratione et somniorum pincernae et pistoris interpretatione. Tertia de septem vaccis et septem spicis et septem annorum fame. Quarta de totius Aegypti per ipsius Ioseph industriam liberatione. In nomine ergo Iesu Christi de prima particula huius evangelii dicamus.

I – De Ioseph venditione

3 – Erat Iesus eiciens daemonium. Nota quod 'in uno homine Dominus Iesus quattuor miracula est operatus: caecum illuminavit, hunc enim daemoniacum Matthaeus [et] caecum esse memorat, mutum loqui et surdum fecit audire et ipsum a daemonio liberavit'. Qualiter Dominus ista quattuor in sancta Ecclesia spiritualiter in peccatoribus quotidie operetur, et quodlibet istorum quid moraliter significet videamus. Erat Iesus eiciens daemonium etc. Attende diligenter quod sicut iste daemoniacus in tribus sensibus principalibus et ceteris nobilioribus amisit virtutem naturalem, scilicet videndi, loquendi et audiendi, sic peccator, qui a diabolo per mortale peccatum possidetur, in tribus suae animae sensibus, ceteris principalioribus, nobilioribus, videndi, loquendi et audiendi virtutem amittit spiritualem. Et nota quod in visu cognitio, in lingua confessio, in aure obedientia designatur. Ille clare videt qui malitiam suam recognoscit; ille recte loquitur qui malitiam cognitam nude et aperte confitetur; ille acute audit qui voci sui confessoris voluntarie obedit. De his tribus habes concordantiam in prima parte historiae praesentis dominicae, ubi dicitur quod 'Ioseph, missus de valle Hebron, venit in Sichem et de Sichem in Dothain'. 'Ioseph accrescens', "Hebron visio", 'Sichem labor', "Dothain defectus" interpretatur. Ioseph est poenitens, qui tantum accrescit in conspectu Dei, quantum decrescit in conspectu suo. Unde Sauli, in primo libro Regum, dicit Dominus: 'Cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel'. In valle Hebron, idest visionis, peccati cognitio; in Sichem, confessionis labor; in Dothain propriae voluntatis defectio designatur. Poenitens ergo, missus de valle Hebron, venit in Sichem. Vallis Hebron, quae interpretatur visio, est peccati cognitio. Unde Ieremias: Vide vias

tuas in convalle. In convalle, idest duplici humilitate, interiori scilicet et exteriori, vide, idest cognosce, vias tuas, idest peccata tua, quibus quasi quibusdam viis tendis in infernum, de quibus Propheta: Cogitavi, inquit, vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua. Et iterum Ieremias: Scito et vide, idest cognosce, quia malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Itemque: Leva oculos tuos in directum et vide ubi nunc prostrata sis. Et nota quod dicit: in directum. Heu! quam pauci sunt hodie qui in directum oculos levant; omnes fere in obliquum, quasi strabi, aspiciunt. Ille procul dubio in directum oculos levat qui iniquitatem suam, prout commisit, cognoscit, et, sicut se habuit, ad punctum, ad unguem directe confitetur. Leva ergo oculos tuos in directum, non in obliquum: non verecunderis, non timeas; haec enim duo solent impedire directionem oculorum. 'Fertur esse quamdam avem, quae si recto et directo intuitu oculorum infirmi faciem aspexerit, infirmus omnino liberabitur; si vero ab ipsius infirmi facie avis oculorum suorum intuitum averterit, vel in obliquam partem aspexerit, signum est mortis'. Sic peccator, si oculos suos in directum levaverit et peccata sua viderit et cognoverit, crede mihi, quia vita vivet et non morietur. Si vero in obliquum aspexerit, vel simulatorie, vel palliate peccata sua confessus fuerit, signum et indicium est aeternae damnationis. Leva ergo oculos tuos in directum, et vide, idest cognosce, ubi, idest in quanta miseria, nunc, quae antea eras domina gentium, idest vitiorum, princeps provinciarum, idest quinque sensuum, prostrata sis, quia facta es sub tributo diaboli et peccati.

4 – Bonum est ergo, fratres carissimi, habitare in valle Hebron, videre et cognoscere prius culpam et iniquitatem nostram, et postea venire in Sichem, qui interpretatur labor, idest in confessionem, quae vere est labor et dolor. Unde Michaeas propheta: Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens. O filia, idest, o anima, quae es et debes esse filia Sion, "idest caelestis Ierusalem", dole in contritione, et satage, idest satis age, quasi parturiens in confessione. Et bene dicitur: quasi parturiens. Sicut enim parturiens laborat et dolet, sic peccator laborare et dolere debet in confessione, ut sit sicut cerva, quae cum dolore et labore parturit. Unde dicit Iob: Cervae incurvantur ad fetum et pariunt, et rugitus emittunt. Cervae sunt poenitentes, qui coram sacerdote debent se incurvare et humiliare et peccata sua parere et rugitus amarissimos emittere. Sed, heu! heu! quanti sunt hodie, qui non sicut cervae, sed sicut equae pariunt. Dicitur in NATURALIBUS, quod equae non dolent cum pariunt et propter fumum luminis extincti aborsum faciunt'. Sic quidam peccatores, qui, cum peccata sua confitentur, sine labore et dolore ipsa parturiunt; sed mulier cum parit tristitiam habet, dicit Dominus; et quando in talibus extinctum est lumen gratiae, fumante concupiscentia, aborsum faciunt, idest peccatum pariunt. Unde Iacobus: Concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem. Audi quomodo ille sanctus Iob, "qui interpretatur dolens", de valle Hebron venerat in Sichem, cum dicebat: Ego non parcam ori meo; loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae. Ecce brevis et perutilis forma confessionis. Ille ori suo non parcit, qui nude et aperte peccatum et circumstantias peccati confitetur; in tribulatione spiritus sui loquitur, qui corde contrito et spiritu contribulato seipsum accusat, sibi ipsi imputat, sese iudicat; cum amaritudine animae suae confabulatur, qui nihil sibi reservat, sed iterum atque iterum dolorem innovat; se totum arbitrio sacerdotis exponens, dicit cum Saulo: Domine, Domine, quid me vis facere? Unde et bene subiungitur: Et de Sichem venit in Dothain, qui interpretatur defectus.

Poenitens enim a seipso debet deficere et praeceptis sui confessoris, sui maioris, voluntarie obedire, dicens cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Ecce iam aperte habes quid videre, quid loqui, quid audire debeat poenitens. Sed, quia omne quod dicitur melius per sui contrarium cognoscitur, ideo de oppositis his tribus quae diximus videamus.

5 – Erat Iesus eiciens daemonium etc. Istud daemonium est illa fera pessima, de qua dicitur in historia praesentis dominicae: Fera, inquit Iacob, pessima comedit eum; bestia devoravit Ioseph. Et qualiter haec bestia devorat Ioseph videamus. Dictum est superius, quod daemonium daemoniaco illi tria mala intulerat: lumen abstulit, voce et auditu privavit. Sic peccatori, in peccato mortali existenti, lumen aufert, ne peccata sua cognoscat; voce privat, ne ipsa in confessione aperiat; 'aurem obturat, ne vocem incantantis sapienter audiat'. De his tribus habes concordantiam in eadem historia Genesis, in qua subiungitur: Confestim igitur, ut pervenit Ioseph ad fratres, nudaverunt eum tunica talari et polymita; miseruntque in cisternam, quae non habebat aquam. Et extrahentes eum de cisterna vendiderunt Ismaelitis negotiatoribus, qui duxerunt eum in Aegyptum. Nota ista tria verba: nudaverunt tunica, miserunt in cisternam et vendiderunt. In tunica talari et polymita designatur peccati notitia. Unde dicitur in evangelio Ioannis circa finem, quod Petrus succinxit se tunica, erat enim nudus, et misit se in mare. Vere Petrus tunc nudus fuit quando 'ad vocem ancillae Christum negavit', sed tunica se succinxit, cum trinae negationis culpam cognovit. Et tunc vere fuit Petrus, "idest agnoscens", et sic se misit in mare, idest amaritudinem lacrimarum. Unde Lucas: Recordatus, inquit, Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet ter me negabis; et egressus foras flevit amare. Sic peccator tunica debet se succingere, idest iniquitatem suam cognoscere, et in mare, idest contritionis amaritudinem, se mittere. Sed multi sunt hodie qui tunica se succingunt, culpam suam cognoscunt, sed in mare se mittere nolunt, quia poenitentiam pro peccatis suis agere renuunt. Et nota quod haec tunica dicitur talaris et polymita. Animae nostrae tunica, quae est peccati notitia, debet esse talaris, idest finalis. Cum enim per totam vitam nostram peccata nostra debeamus quotidie cognoscere et cognita deflere, in fine tamen vitae nostrae potius, diligentius et devotius ipsa debemus cognoscere, et omnia tam particulariter quam universaliter confiteri. Tunc enim debemus facere 'sicut facit cygnus, qui, quando moritur, cantando moritur; et hoc dicunt contingere propter quamdam plumam, quam habet in gutture; sed tamen cantus ille dolorosus est ei'. Cygnus albus est peccator conversus, super nivem dealbatus. Hic in articulo suae mortis devote debet cantare, idest peccata sua in amaritudine animae suae recogitare. Pluma in cygni gutture est peccati notitia et confessio in ore iusti, ex quo debet procedere cantus dolorosus, quia tunc valde fructuosus. Et sic haec tunica talaris erit polymita, 'idest varietate virtutum decorata'; omnis enim laus in fine canitur. Sed, heu! heu! hac pretiosissima tunica daemones denudant Ioseph, cum infelicis animae oculos excaecant et ei suae iniquitatis notitiam auferunt, ne nuditatis suae verecundiam et ignominiam videat et cognoscat. Sequitur secundum: Miseruntque eum in cisternam veterem, quae non habebat aquam. Cisterna vetus sine aqua est mens peccatoris 'dierum malorum inveterata', in qua non est aqua confessionis, nec lacrima compunctionis. In cisterna obstinationis a daemonibus peccator recluditur, ne egredi valeat in lucem confessionis. Unde dicitur in quarto libro Regum, quod 'Nabuchodonosor oculos Sedeciae effodit, vinxitque eum catenis, et duxit in

Babylonem'. Sic diabolus prius eruit oculos peccatori, ne iniquitatem suam cognoscat, et postea ligat catenis malae consuetudinis et ponit in carcerem obstinationis, ne exire valeat in lucem confessionis. Sequitur tertium: Vendiderunt eum Ismaelitis negotiatoribus, qui duxerunt eum in Aegyptum. Peccator venditur et in Aegyptum ducitur, cum Ecclesiae praedicationi se subtrahit et consiliis bonorum non acquiescit et, vocem sapienter incantantis ne audiat, aurem claudit. Vere iste est daemoniacus a diabolo possessus, quia non videt suae iniquitatis culpam, non loquitur in confessione, non audit vitae aeternae doctrinam. Sed quid fecit pius et benignus Iesus?

6 – Dicat Lucas: Erat, inquit, Iesus eiciens daemonium etc. Iesus a peccatoribus eicit daemonium, cum suae dilectionis imprimit titulum et suae Passionis in ipsorum cordibus ponit signaculum. Unde dicit beatus Paulus in hodierna epistola: Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. In hac auctoritate duo notantur: Christi dilectio et passio; quae duo extricant daemonium. Propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam in odorem suavitatis. Odor huius 'sacrificii vespertini, idest Passionis Iesu Christi', omne eicit daemonium. Unde dicitur in libro Tobiae quod Tobias protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones vivos. Tunc Raphael angelus apprehendit daemonium, et religavit eum in deserto superioris Aegypti. In iecore, quo amamus, Christi dilectio, in carbonibus vivis eiusdem Passio designatur. Ponamus ergo partem iecoris, etsi non totum iecur, super carbones vivos; recogitemus qualiter Filius Dei, amor noster et, ut ita dicam, iecur nostrum, sola dilectione pro nobis super carbones vivos, idest crucem et clavos acutissimos, fuit assatus in odorem suavitatis. Credite mihi, o fratres, quia iste odor suavitatis, ista memoria dominicae Passionis omne eicit daemonium. Et si hoc fecerimus, tunc Raphael, "qui interpretatur medicina", idest ipse Iesus Christus, qui est medicina nostra et magni consilii angelus, apprehendet diabolum et religabit eum in deserto superioris Aegypti, ne amplius nobis valeat nocere. Bene ergo dicitur: Erat Iesus eiciens daemonium, et cum eiecisset daemonium, homo ille vidit, locutus fuit et audivit, et admiratae sunt turbae. Nec mirum, quia cessante causa cessat effectus. Eiecto daemonio mortalis peccati a corde peccatoris, statim incipit videre, idest cognoscere, loqui, idest confiteri, audire, idest obedire. Unde dicit Apostolus in fine hodiernae epistolae: Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate. Nota ista tria verba: in omni bonitate, ecce peccati notitia, sine qua nullus ad bonitatem poterit pervenire, de qua ille bonus poenitens dicebat: 'Iniquitatem meam ego agnosco'. Et iustitia, ecce peccati confessio. Quae tanta iustitia quam seipsum accusare? Iustus, inquit Salomon, in principio accusator est sui. Et veritate, ecce obedientia, quae est praeceptis veritatis, idest Iesu Christi et ipsius vicarii, voluntarie obedire. Referamus ergo gratias Iesu Christo, Dei Filio, qui daemonium eiecit, caecum illuminavit, mutum loqui et surdum audire fecit. Et ipsum Christum unanimiter mentis devotione omnes deprecemur et humiliter postulemus, quatenus a cuiuslibet christiani mente mortale peccatum eiciat et Dei gratiam infundat, ut iniquitatem suam cognoscat et ipsam in confessione aperiat et sui confessoris consiliis et mandatis fideliter obediat. Quod nobis et vobis praestare dignetur ipse Iesus Christus, cui est honor, maiestas et imperium, laus et gloria per aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen.

II – De Ioseph carceratione, seu de diabolo hominem captivante

7 – Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet; si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius aufert, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet. Dicitur in benedictione Ioseph, circa finem Genesis: Sedit in forti arcus eius. "Ioseph interpretatur augmentum" et significat praedicatorem, qui Ecclesiam sua praedicatione debet quotidie augmentare, ut dicere possit cum eodem Ioseph: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. In terra paupertatis, idest in exilio huius miserae peregrinationis, Deus praedicatorem crescere facit, cum per ipsum numerum fidelium ad ipsius meritum augmentat. 'Huius arcus est praedicatio; sicut enim in arcu sunt duo, lignum scilicet et chorda, sic in praedicatione debet esse lignum veteris et chorda novi Testamenti. De hoc arcu dicit Iob: Arcus meus in manu mea instaurabitur. Arcus in manu instauratur, cum praedicatio opere adiuvatur'. 'Fructuose, inquit beatus BERNARDUS, praedicare Deum non sufficit, qui linguae sono testimonio operis non praeludit'. Hic arcus debet sedere in forti non in debili, non in praedicatore sed in Christo, ut ipsi totum attribuat, sine quo nihil boni potest facere. Qui vere fuit fortis, quia diabolum fortem alligavit. Unde dicitur in praesenti evangelio: Cum fortis armatus custodit atrium suum etc. Istam sancti evangelii secundam particulam primo allegorice deinde moraliter exponamus.

8 – "Fortis armatus est diabolus". Unde de ipso et eius armatura dicitur in libro Regum: Egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudine sex cubitorum et palmo. Et cassis aerea super caput eius, et lorica hamata induebatur; et ocreas aereas habebat in cruribus, et clypeus aereus tegebat humeros eius. Hastile autem hastae eius erat quasi liciatorium texentium. "Goliath interpretatur transmigrans vel transfigurans", et "significat diabolum", qui de virtutibus ad vitia, de gaudio transmigravit ad poenam; qui se quotidie 'in angelum lucis transfigurat, ut hominem decipiat. Et est de Geth, "quod interpretatur torcular"; diabolus enim homines in pressuris tribulationum premit, sicut uva premitur in torculari, ut boni, quasi vinum, in aeternae vitae cellaria reponantur, mali vero, tamquam acini, in sterquilinium aeternae damnationis proiciantur. Hic egreditur de castris Philisthinorum, 'qui interpretantur potione cadentes, et significant peccatores, qui, amore mundi inebriati, a gratia Dei cadunt in culpam' et a culpa postea ruunt in gehennam. In istorum castris moratur diabolus; hospitium enim diaboli est cor hominis pravi. Unde dicit GLOSSA, super illud Habacuc: Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiae: "Qui divitiis laborant et honoribus, fiunt hospitium daemonum, qui debuerant esse Dei templum". Goliath spurius fuit. 'Spurius dicitur ille qui partim nobilis partim est ignobilis'. Sic diabolus nobilis est creatione ignobilis quoad vitia. Hic dicitur fuisse altitudine sex cubitorum et palmo. Legitur in Ezechiele quod 'vir ille, cuius erat species quasi species aeris, habebat calamum mensurae in manu, quo mensuravit templum, et calamus ille erat sex cubitorum et palmo'. Ecce, qualis fuit mensura templi talis et mensura Goliae. Mensura templi consistit in diversitate graduum in Ecclesia, et diabolus contra hos habet mensuram suam. 'Per sex cubitos intelliguntur opera misericordiae, scilicet opera vitae activae, per palmum contemplativa, quae vix praegustatur in hac vita, et ita bene palmus'. Et diabolus extendit se contra activos et contemplativos. Sequitur: Et cassis aerea super caput eius.

Nota quod omnia arma Goliae aerea fuerunt. Sic et arma diaboli. Arma diaboli sunt illi qui defendunt diabolum, ne in malis interficiatur. Aerea sunt, quia fortes ad defendendum partes eius. Unde in Iob: Ossa eius velut fistulae aeris. Ossa carnem sustentant. 'Ossa diaboli sunt illi qui alios in malum supportant; hi sunt velut fistulae aeris, quia sonum habent tantum et non sensum, sicut fistulae. Verba dicunt, sed nulla bona faciunt, et sicut aes ad tactum resonat, sic isti ad ictum increpationis remurmurant'. Et lorica hamata induebatur, ita quod macula maculae consita erat. Lorica diaboli sunt mali, inseparabiliter ei connexi. Unde Iob: Corpus eius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus. Una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas; una alteri adhaerebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. Squamae diaboli, idest defensores eius, se premunt, quia unus defendit alium. "Magna enim inter molles concordia". 'Ita enim sunt compacti et connexi, quod nec spiraculum divinae gratiae nec praedicationis dominicae per eos potest incedere'. Et sicut complices sunt hic in malo, ita communiter aeterno participabunt supplicio. Et ocreas aereas habebat in cruribus. Ocreae sunt excusationes luxuriae. Luxuriosus enim, quasi quibusdam ocreis, femora protegit, dum luxuriae culpam, ad maiorem suae damnationis cumulum, defendit. Unde Iob: Protegunt umbrae umbram eius. 'Umbrae, idest luxuriosi nigri et obscuri, protegunt umbram, idest defendunt suam luxuriam; eius, idest diaboli, sub qua dormit et requiescit'. Et clypeus aereus tegebat humeros eius. 'Clypeus diaboli sunt illi qui sagittas praedicationis a se repellunt', de quibus dicit Dominus Ezechieli: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, gentes apostatrices, quae recesserunt a me. Loqueris ad eos verba mea, si forte audiant et quiescant, quoniam irritatores sunt. Sed nolunt audire te, quia nolunt audire me.

9 – Hastile autem hastae eius erat quasi liciatorium texentium. Hastilis adiutorio fit tela. Haec est iniqua tentatio, cuius adminiculo diabolus telam texit iniquitatis. Diabolus enim texit telam sicut aranea, de qua dicitur sic in libro NATURALIUM: "Aranea prius extendit fila texturae et ponit ipsam in terminis; deinde texit in medio inter istas extremitates et imponit texturam sufficientem et praeparat locum convenientem venationi; et ipsa venit ad medium, quasi speculator alicuius bestiolae. Et si aliqua musca vel aliquid tale ceciderit, subito movetur aranea et exibit de loco suo et incipiet ligare eam et involvere illam textura, quousque perveniat quod captum est ad indebilitatem. Deinde fert ipsam ad locum, in quo deponit quod deprehendit. Et cum patitur famem suget eius humiditatem; et vita eius non est nisi in illa humiditate". Sic diabolus, cum hominem vult capere, prius extendit quaedam fila subtilium cogitationum, et ipsa ponit in terminis, idest sensibus corporis, per quos subtiliter potest cognoscere cui vitio sit magis homo applicabilis. Deinde texit in medio, idest in corde, et ibi imponit texturam sufficientem, idest tentationem maiorem, et in ipso praeparat locum convenientem venationi. Et ipse venit ad medium, quasi speculator alicuius bestiolae. Diabolus enim in toto corpore hominis nullum membrum ita conveniens ad venandum, ad speculandum, ad decipiendum invenit sicut cor hominis, quoniam ex ipso vita procedit. Et si aliquam muscam, idest aliquem carnalem, qui vere musca dicendus est, viderit cadere in texturam suae suggestionis, per consensum cordis, statim incipit eum ligare tentationibus diversis et involvere tenebris, quousque perveniat ad indebilitatem, idest effeminationem mentis; et sic fert ipsam muscam, idest ipsum peccatorem, ad locum in quo deponit quod deprehendit. Locus proprius diaboli est perpetratio malae operationis, in quo deponit quod textura subtilis suggestionis deprehendit, et ita sugit humiditatem eius, idest

compunctionem animae, quam dum anima habet, diabolus ei non potest nocere. Bene ergo dicitur: hastile autem hastae eius erat quasi liciatorium texentium. 10 – Ecce habes quibus armis armatur diabolus, de quo dicitur: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. 'Atrium diaboli ante adventum Christi erat totus mundus', 'non creatione sed primi parentis praevaricatione, ob cuius inobedientiam in eius posteritate, Dei permissione, habuit potestatem'. Et sic omnia in pace possidebat, quia non Moyses, non Elias vel Ieremias, vel aliquis ex patribus Veteris Testamenti eum ab atrio expellere potuerunt. Venit ergo a regalibus sedibus, idest a sinu Patris, durus debellator, ut dicitur in libro Sapientiae, et in mediam exterminii terram, quam diabolus exterminaverat, iunctis duobus pedibus divinitatis et humanitatis, prosiliit; et sic liberavit eos qui timore mortis, ut dicit Apostolus ad Hebraeos, per totam vitam "subditi", obnoxii erant servituti. Unde sequitur: Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius aufert, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet. 'Fortior est Iesus Christus', de cuius armatura dicit Isaias: Indutus est iustitia ut lorica et galea salutis in capite eius; indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. Lorica Iesu Christi fuit iustitia, qua diabolum iuste expulit ab atrio, quod in pace possidebat; 'quia diabolus manum extendit in Christum, in quo nihil habebat, iuste meruit amittere Adam cum sua posteritate, in quo aliquid habere videbatur'. 'Privilegio enim meretur privari, qui privilegio sibi concesso abutitur'. Et galea salutis in capite eius. Caput est Divinitas. Caput, inquit Apostolus, Iesu Christi Deus. Galea est Humanitas. Caput ergo latens sub galea est Divinitas latens sub Humanitate, 'quae operata est salutem in medio terrae'. Indutus est etiam vestimentis ultionis et opertus quasi pallio zeli. Ad hoc Iesus Christus vestimenta nostrae humanitatis accepit, ut de inimico diabolo ultionem acciperet et suam sponsam, scilicet animam nostram, de eius manibus liberaret. Bene ergo dicitur: Si fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius aufert. Arma diaboli erant illi de quibus superius dictum est. Quae omnia Christus ei abstulit, cum de filiis irae fecit filios gratiae. Sicut 'David Goliam in funda et lapide deiecit', sic Christus in funda Humanitatis et lapide Passionis diabolum devicit. Unde David: Apprehende arma et scutum et exurge in adiutorium mihi. Apprehende arma, o Fili Dei, idest membra humana, et scutum, idest crucem, ut sic armatus fortem diabolum devincas, qui humanum genus vinctum in carcere detinebat.

11 – Hic est noster Ioseph, qui in cruce, quasi in quodam carcere, manibus et pedibus alligatus, inter duos latrones fuit clavis confixus. Sicut enim 'ille Ioseph, filius Iacob, nefario meretricis noluit consentire stupro, sed, relicto in manibus eius pallio, aufugit, per quod eum tenere voluit, et ideo apud virum Putiphar, quod ei illudere voluisset, accusavit; qui iratus eum in carcerem misit, in quo pincerna et pistor regis Aegypti vincti tenebantur. Quibus, iuxta somniorum congruam interpretationem, certum et verum rei venturae dedit praesagium: pincernae scilicet quod de carcere egrederetur in regis palatium, et pistori quod de carcere extractus suspenderetur in patibulo'. 'Sic Iesus Christus, Dei Filius, quia meretrici, idest Synagogae Iudaeorum, perfidae consentire noluit, quae eum per pallium legalium observationum et traditionum seniorum, quibus se quasi quodam pallio palliabant, ut iusti hominibus apparerent, tenere voluit. Sed ipse, pallio dimisso, idest ritu legalis observantiae relicto, aufugit, tamquam dominus, non servus, legis'. Synagoga, videns se contemptam, eum apud Putiphar accusavit. "Putiphar interpretatur os inclinans ad dissecandum", et significat Pilatum, qui os declinavit ad

dissecandum, idest flagellandum Iesum: ‘Flagellatum, inquit, vobis tradam eum’. Apud hunc Synagoga meretrix accusavit nostrum Ioseph, dicens: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dari Caesari. Commovit populum, docens per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc. Pilatus autem, verbis meretricis consentiens, ‘adiudicavit fieri petitionem eius et tradidit Iesum, ut crucifigeretur’. Qui in cruce, clavis affixus, inter duos latrones, sicut Ioseph inter pincernam et pistorem, fuit alligatus. Ille latro, immo, ut verius dicam, sanctus confessor, qui, Petro negante, Christum confessus est, vere pincerna fuit: vino enim compunctionis fuit inebriatus, et poculum aureum fidei, spei et caritatis porrexit Domino, dicens: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Et ideo audire meruit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ille vero latro perfidus, qui Christum blasphemavit, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos’, pistor fuit, qui, arte pistoria, non dico farina sed furfure malae voluntatis et aqua infidelitatis, panem fecit et in clibano desperationis decoxit, et sic de cruce, quasi de carcere, ad patibulum aeternae damnationis pervenire meruit.

12 – Sequitur: Et spolia eius destribuet. ‘Spolia diaboli erant animae’ iustorum, quae, propter inobedientiam primi parentis, in tenebris detinebantur. Haec spolia Christus distribuit, cum infernum spoliavit et unicuique animae in caelesti regno gloriam contulit. Vel, spolia fuerunt apostoli ceterique discipuli Iesu Christi, de quibus dicit Pater ad Filium in Isaia: Accelera, spolia detrahe, festina praedari. O Fili, accelera ad Incarnationem; spolia detrahe in praedicatione; ‘festina praedari diabolum’ in tua Passione. “Haec spolia Christus distribuit, cum alios apostolos, alios evangelistas, alios Ecclesiae dedit doctores”. Unde Propheta: Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia. O fideles dilecti, ‘dilecti, idest Iesu Christi, rex, idest Pater, qui est rex caelestium virtutum’, dabit dilecto Filio suo, de quo dixit: Hic est filius meus dilectus, dividere spolia, ‘idest apostolos, evangelistas, doctores’; speciei, idest ad speciositatem domus, ‘idest Ecclesiae, ut ipsam faciant speciosam’. Cuius speciositatis ille nos faciat participes, qui diabolum devicit et eius arma abstulit, Iesus Christus, qui est benedictus, super omnia Deus, in saecula saeculorum. Amen.

III – De spiritu superbiae

13 – Cum fortis armatus custodit atrium suum. Fortis armatus est spiritus superbiae, cuius arma sunt cornua excelsa, quibus ventilat et impugnat totum mundum. Unde Daniel: Vidi, inquit, arietem cornibus ventilantem contra occidentem et contra aquilonem et contra meridiem, et omnes bestiae non poterant resistere ei, neque liberari de manibus eius; fecitque secundum voluntatem suam et magnificatus est. Aries iste spiritum superbiae significat, qui cornibus elationis ventilat contra occidentem, aquilonem et meridiem. In occidente pauperes et minores, in quibus deficit calor virtutis et potentiae; in aquilone aequales – ‘Ponam, inquit diabolus in Isaia, sedem meam ad aquilonem, et ero similis, idest aequalis, Altissimo’ –; in meridie maiores, in quibus fervet calor dignitatis et potentiae, intelliguntur. Aries ergo cornutus, idest cornutae superbiae spiritus, ventilat contra occidentem, idest conculcat pauperes et minores; et contra aquilonem, quia contemnit aequales; et contra meridiem, quia subsannat et deridet maiores. Et omnes, inquit, bestiae non poterant resistere ei nec liberari de manibus eius. O cornuta superbia, quis de manibus tuis poterit liberari, cum Luciferum – ‘signaculum

similitudinis, cuius operimentum fuit, ut dicit Ezechiel, omnis lapis pretiosus' – in tantae elationis altitudinem elevasti? Caelestis es natione et ideo mentes caelestium inhabitare consuevisti, latens sub cinere et cilicio. Ab istius bestiae cornibus David propheta salvari exorabat, cum dicebat: Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. 'In unicorni superbia singularis intelligitur, quia superbus singulariter vult praeminere'. Unde: "Omnisque potestas impatiens consortis erit". Et David detestatur superbiam, dicens: Domine Deus meus, si feci istud. Et attende quia 'ad maiorem ipsius superbiae detestationem noluit eam proprio nomine nominare'. Ante omnia Deus superbiam detestatur. Unde Petrus: Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Et de unicorni dicitur in Iob: Numquid volet rhinoceros, 'vel monoceros, idest unicornis', servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum? Quasi diceret: Tuum non. Quia superbus non potest considerare praesepe Domini, scilicet quod positus sit in praesepi pro nobis.

14 – Notandum autem quod 'quaedam animalia habent cornua recurvata ad posterius', per quae significatur superbia aliquorum, quae confringitur per eorum luxuriam, ut qui in cogitatione elati sunt per carnis luxuriam consternantur. Unde Osee: Respondebit arrogantia Israel in faciem eius. 'Solet enim contingere, ut qui occultam superbiam non cognoscit, eandem per luxuriae vitium cognitam erubescit'. 'Sunt et quaedam animalia, quae habent cornua declinantia in anterius, ut unicornes', per quae significatur superbia hypocritarum, qui simulatione religionis palliant superbiam suam, de quibus dicit Ecclesiasticus: Est qui nequiter humiliat se, et interiora eius plena sunt dolo; et beatus GREGORIUS: "Pretiosa res humilitas, qua superbia palliari appetit, ne vilescat". Item, 'quaedam animalia habent cornua recurvata ad seipsa, ut vacca agrestis', per quae significatur superbia aliquorum, quae in seipsa confringitur. Unde dicit Isaias: Confringet Dominus exercituum lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. Laguncula est mens peccatoris superbi, lutea et fragilis, aqua impleta elationis, quam Dominus tunc confringit, cum terrorem extremi iudicii ipsius superbi menti incutit. In quo iudicio excelsi statura, qui modo videntur stare securi illius sententiae: 'Ite, maledicti, in ignem aeternum', succidentur, et sublimes, qui modo 'extento collo et nutibus oculorum vadunt, et composito gradu incedunt', 'humiliabuntur usque ad infernum, et usque ad profundum laci' in quo non est aqua refrigerii. Item, 'quaedam animalia habent cornua sursum erecta, ut cervus', quae significant superbiam aliquorum, quae ex sola religione oritur; et haec est periculosissima, de qua dicit Isaias religiosis, quibus maxime congruit praetendere insigne humilitatis, loquens sub typo vallis visionis: Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti et tu in tecta? Quasi diceret: Tolerabile est si sublimia appetant saeculares, sed quid vobis religiosis, qui multa videtis, visum est, ut et vos sublimia petatis?

15 – Dicamus ergo: Cum fortis armatus custodit atrium suum. Atrium cornutae superbiae est cor superbi. in quo superbia speciale elegit hospitium. Sicut enim 'in corde principium est venarum et prima virtus creans sanguinem', sic a cordis superbia procedit omne malum. Unde: Initium omnis peccati superbia. Haec atrium cordis custodit, ne aliquis ex eius adversariis ex adverso ascendat et pacem eius conturbet, de qua dicit Dominus in Luca: Et nunc in hac die tua quae ad pacem tibi; et Propheta: Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Sequitur: Si autem fortior illo superveniens vicerit eum etc. Fortior est humilitas, de cuius fortitudine dicit David ad Saul, in primo libro Regum: Leonem et

ursum interfeci ego servus tuus. “David interpretatur manu fortis”, et significat humilem, qui quanto magis humiliatur, tanto magis fortis efficitur. Est enim humilis sicut quidam vermis, ‘qui dicitur intestinum terrae’, qui contrahit se, ut magis se extendat; sic humilis se contrahit et abbreviat, ut fortius ad capienda bona caelestia se extendat. de quo dicit Ecclesiasticus: Erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput eius a tribulatione; et mirati sunt in eo multi. Hic humilis et fortis David dicit: Ego servus tuus. O margarita fulgens! O narde redolens! O humilitas, cynnamomum aromatizans! Ego, inquit, servus tuus. Humilis servum se reputat, servum se nominat, omnium pedibus se subicit, seipsum abicit, minus de se sentit quam in se sit. Unde GREGORIUS: “Specimen electorum est minus de se sentire quam sunt”. Iste humilis servus interficit leonem superbiae et ursum luxuriae. Et nota quod prius leonem et postea ursum se dicit interfecisse, quia nemo luxuriam in seipso potest mortificare, nisi prius spiritum superbiae de cordis sui atrio laboravit expellere. Unde dicitur: Si fortior illo superveniens vicerit illum, universa arma eius aufert in quibus confidebat. Arma, vel vasa, ut dicit Matthaeus, spiritus superbiae, sunt quinque sensus corporis, quibus quasi quibusdam armis ceteros impugnat, et in quibus quasi quibusdam vasis venenum elationis mortiferum portat et aliis propinat. Supervenit ergo humilitas a Iesu Christo, ‘qui est Deus benedictus super omnia’, qui dicit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et intrat in domum fortis, idest atrium cordis, in quo habitat superbia, et ipsam devincit et foras expellit; theriaca enim humilitatis expellit venenum elationis, qua expulsa, omnia arma eius, in quibus confidebat, humilitas aufert, ut de cetero nihil elatum, nihil altum, nihil vitiosum appareat in sensibus corporis, sed humilitatis insignia ubique repraesentent.

16 – Haec est mutatio dexterae Excelsi, de qua dicit Isaias: In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan: civitas solis vocabitur una. “Aegyptus interpretatur tenebrae vel moeror”, et significat corpus hominis, quod est terra tenebrarum et moeroris: tenebrarum, quia caligine ignorantiae et malitiae obscurata; moeroris, quia doloris et tristitiae plena. In hac terra Aegypti sunt “quinque civitates, idest quinque corporis sensus. Ex his quinque civitas solis vocatur una. Civitas solis sunt oculi”. Sicut enim sol totum mundum, sic ‘oculi illuminant totum corpus’. In die ergo illa, quando fortior humilitas superveniens cor hominis intraverit et spiritum superbiae devicerit et caecitatem mentis expulerit, tunc “quinque civitates in terra Aegypti, quae prius loquebantur lingua aegyptiaca, idest carnali concupiscentia, loquentur lingua Chanaan, quae interpretatur commutata, quia de vitiis ad virtutes, de superbia ad humilitatem commutabuntur”. Tunc enim apparebit in oculis humilitas et simplicitas; in ore resonabit veritas et benignitas; ab auribus removebitur omnis detractio et adulatio; in manibus puritas et pietas; in pedibus invenietur maturitas. Rogemus ergo, fratres carissimi, Iesum Christum, qui superbiam diaboli humilitate sua devicit, quatenus det nobis superbiae et elationis cornua cordis humilitate confringere, et in sensibus nostri corporis titulum humilitatis ubique praetendere, ut ad ipsius gloriam mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

IV – De septem vaccis et septem spicis et septem annorum fame

17 – Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quaerens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit,

invenit scopis mundatam et ornatam. Et tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et sunt novissima hominis illius peiora prioribus. Dicit propheta Ioel: Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti. Terra, 'quae dicitur a tero teris', est mens hominis, pro peccatis contrita. Haec dum est coram eo, idest Deo, est quasi hortus voluptatis. Quae tanta voluptas, quae tanta iucunditas esse potest menti hominis quam esse coram eo, cum quo et in quo omne quod est vere est, sine quo omne quod esse videtur nihil est et omne quod abundat inopia est? Mens hominis tunc est coram eo, quando nihil boni a se, in se et per se existimat se habere, sed totum ipsi attribuit, qui est totum bonum, summum bonum, a quo, quasi a centro, omnes lineae gratiarum directo tramite ad circumferentiam protenduntur. Haec terra, dum est coram eo, vere est hortus voluptatis, quia in ipsa est "rosa caritatis, viola humilitatis, lilium castitatis". De hoc horto dicit sponsa in Canticis: Descendit dilectus meus in hortum suum ad areolam aromatum. Hortus dilecti est mens poenitentis, in qua est areola aromatum. Areola, diminutivum ab area, significat mentis humilitatem, quae est procreatrix aromatum, 'idest virtutum'. In hunc hortum descendit, in hac areola requiescit dilectus. Unde ipse dicit in Isaia: Ad quem respiciam, nisi ad "humilem" et quietum vel pauperculum spiritu, et trementem sermones meos? Bene ergo dicitur: Quasi hortus voluptatis terra coram eo. Sequitur: Et post eum solitudo deserti. Cum mens hominis stat coram facie Dei, eius beatitudinem contemplando, eius dulcedinem degustando, tunc vere est hortus voluptatis. Sed cum infelix coram eo non vult stare, sed post eum, idest posteriora eius vult aspicere, hortus voluptatis efficitur solitudo deserti. Posteriora Domini sunt ista temporalia, de quibus dicit Dominus ad Moysen in Exodo: Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. Posteriora tantum Domini videt et non faciem, quia in his transitoriis, in his temporalibus delectatur. Unde dixit Agar in Genesi: Vidi posteriora videntis me. 'Agar interpretatur festum suscitans', et significat carnalium voluptatem, quae in commessationibus et ebrietatibus quasi quodam festo gloriatur. Haec videt posteriora Domini, quia in his visibilibus, quae carnaliter videt, delectatur. Unde GREGORIUS: 'Carnalium mens bona pensare non valet, nisi quae carnaliter videt'. Bene ergo dicitur: Et post eum solitudo deserti. In solitudine sterilitas mentis, in deserto malitia diaboli designatur. Diabolus enim mentem, in qua habitat, desertam et sterilem a bono opere facit. Ecce habes in auctoritate Ioelis concordantiam huius sancti evangelii. Cum enim dicit Ioel: Quasi hortus voluptatis terra coram eo, concordat cum prima clausula evangelii: Cum immundus spiritus exierit ab homine. Cum vero adiungit: Et post eum solitudo deserti, concordat cum ultima clausula: Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se etc. Dicamus ergo: Cum immundus spiritus exierit ab homine etc. Nota quod in hoc evangelio quattuor valde notabilia notantur: diaboli scilicet egressio, ipsius contra iustos tentatio, animae negligentis tepida conversatio et cum septem spiritibus immundi spiritus reversio. Primum, cum dicitur: Cum immundus spiritus; secundum, cum subiungitur: ambulat per loca inaquosa; tertium, cum additur: et cum venerit invenit scopis mundatam; quartum, cum subinfertur: Tunc vadit et assumit septem alios spiritus etc.

18 – Dicamus ergo: Cum Immundus spiritus. Nota quod 'diabolus dicitur immundus spiritus'. 'Spiritus, ut dicit GREGORIUS, nomen est naturae, quem Deus mundum, purum et bonum creavit, sed suae superbiae immunditia immundus effectus est, a caelestis gloriae munditia cecidit', qui tamquam porcus immundus, 'in peccatorum

immunditia hospitium elegit et ibi requiescit'. Unde de eo dicit Iob: Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Nota hic tria vitia. In umbra, quae est frigida et obscura, designatur superbia, quae divini amoris calorem et veri luminis aufert claritatem. In calamo, quae est canna, quae a vento circumfertur, exterius pulchra, intus vacua, cuius fructus est lanugo, avarus intelligitur, qui a vento cupiditatis circumcirca agitatur, in exterioribus gloriatur, in interioribus gratia privatur, cuius divitiae, ad malum suum congregatae, tamquam lanugo a turbine mortis dispergentur. 'In locis humentibus luxuriosi designantur', qui luxuriae et gulae volutabro volutantur. Ecce in quali hospitio dormit ille porcus, requiescit ille immundus spiritus, de quo dicitur: Cum immundus spiritus exierit ab homine. Immundus spiritus tunc ab homine exit, cum homo iniquitatis suae immunditiam cognoscit. Unde dicitur in secundo libro Paralipomenon, quod principes et exercitus regis Assyriorum ceperunt Manassen et, vinctum catenis atque compedibus, duxerunt eum in Babylonem. Qui, postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum; deprecatusque est Deum et obsecravit intente. Et exaudivit orationem eius, reduxitque eum Hierusalem in regnum suum; et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. 'Manasses interpretatur oblitus, et significat peccatorem, qui Dei et eius praeceptorum prosperis succedentibus obliviscitur'. Unde dicitur in Genesi quod succedentibus prosperis, praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Interpres noster est Iesus Christus, qui nobis vitam aeternam interpretatur, cuius obliviscimur, cum prosperis transitoriis sublevamur. Temporalia enim faciunt Deum in oblivionem venire. Manasses ergo, idest peccator, Dei oblitus, ab Assyriis, 'qui interpretantur dirigentes, idest daemonibus', qui tentationis sagittam ab arcu malitiae dirigunt, ut animam interficiant, capitur in consensu mentis et catenis malae operationis atque compedibus malae consuetudinis vincitur, et sic in Babylonem, 'idest excaecatae mentis confusionem', ducitur. Sed quia maior est Dei misericordia quam quaevis peccatoris malitia, ideo peccator debet facere sicut fecit Manasses, de quo subditur: Oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde; deprecatusque est eum, et obsecravit intente. Sic peccator ista quattuor debet opponere quattuor supradictis. Debet orare Dominum, ut eum de manu daemonum liberet, agere poenitentiam, ut catenas malae operationis dissolvat; debet ipsum deprecari, ut compedes malae consuetudinis confringat, et obsecrare intente, ut de excaecatae mentis confusione eripiat. Et Deus misericors, cuius misericordiae non est numerus, faciet quod sequitur: Exaudivit orationem eius, reduxitque eum Hierusalem in regnum suum; et Manasses cognovit quod Dominus ipse esset Deus. Peccatoris contriti et humiliati Deus orationem exaudit, et eum Hierusalem in regnum suum reducit. 'Quae est ista Hierusalem nisi gratiae infusio, peccatorum remissio, Dei et peccatoris reconciliatio, in qua est pacis visio', in qua regnat qui 'de carcere et catenis, ut dicitur in Ecclesiaste, egressus est ad regnum?' Et in hoc potest cognoscere quod Dominus ipse est Deus, qui eum liberavit et ab eo immundum spiritum exire fecit, de quo dicitur: Cum immundus spiritus exierit ab homine.

19 – Sequitur secundum: Ambulat per loca inaquosa quaerens requiem. Diaboli ambulatio nihil aliud est quam ipsius tentatio. Unde respondet in Iob: Circuivi terram, et perambulavi eam. 'Diabolus primo terram, idest mentem hominis, circuit, idest subtiliter disquirit cui vitio sit magis applicabilis, et postea eum perambulat, quia, secundum quod viderit, quemlibet tentat'. Ambulat ergo per loca inaquosa. 'Loca inaquosa – idest arida,

ut dicit Matthaeus – sunt sancti ab humore gulae et luxuriae exsiccati'. Unde unus illorum dicit in Psalmo: In terra deserta, invia et inaquosa; sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam. Nota hic tres virtutes, quae homines sanctificant et ad contemplandum Deum mentem illuminant. In terra deserta paupertas, in invia castitas, in inaquosa abstinentia designatur. Terra ergo est corpus vel mens viri iusti, quae est quasi hortus voluptatis coram Deo, cui dicit: O Deus, Deus meus, in terra, idest in corpore vel mente mea, deserta paupertate, invia castitate – invia, idest sine via illa, de qua dicit Salomon: Mulier fornicaria quasi stercus in via, et Isaias: Posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus – et inaquosa, idest sicca cibi et potus abstinentia; sic in sancto, 'idest sancta conversatione', apparui tibi, 'ut tu, qui sedes super Cherubim, appareres mihi'. Unde addit: ut viderem, idest contemplari possem, virtutem tuam et gloriam tuam, 'idest Iesum Christum', Filium tuum. De quo dicit Apostolus: 'Qui est Dei virtus et Dei sapientia'; et 'gloria patris, dicit Salomon, est filius sapiens'. Haec est via virtutem et gloriam Dei contemplandi. Qui per hanc non incedit caecus est et quasi manu palpans parietem. Dicatur ergo: Ambulat per loca inaquosa. 'Diabolus enim tentat sanctos et iustos'. Unde Iob de eo dicit: Habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. 'Iordanis interpretatur humilis descensus', vel rivus iudicii, et significat sanctos viros, qui, si in aliquo offenderint, statim humiliati a seipsis descendunt et rivo compunctionis et confessionis se iudicant. Diabolus ergo, ambulans per loca inaquosa, habet fiduciam quod tales influant in os eius. In istis requiem quaerit. Sed ipsi, ut dicit Iob, parati sunt suscitare Leviathan. Illi Leviathan, 'idest diabolum', suscitant, qui eum in sui cordis hospitio requiescere per mentis consensum non permittunt. Sancti enim debent facere sicut faciunt apes, 'quae, ut fertur, sedent inspicientes super foramina alvearium, et si forte intrabit per illa foramina aliquid extraneum, ipsum inter se manere non patiuntur, sed eum tamdiu insequuntur, quousque extra alvearia propellunt'. "Apes dictae, quod pedibus se alligent, vel quod sine pedibus nascantur". Unde derivatur ab a, quod est sine, et pes; significat viros iustos, qui pedibus, idest caritatis affectibus, se alligant, qui non ex natura, de qua dicit Apostolus: 'Omnes nati sumus filii irae', sed ex sola gratia illis sunt dati. Horum alvearia sunt corpora, quorum foramina sunt quinque sensus, et, spiritualiter, oculi, super quos debent sedere et diligenter attendere, ne aliquid extraneum, ne aliquid diabolicum ingrediatur. Et si forte aliqua diaboli suggestio, vel carnis delectatio, per ista foramina intraverit, nullo modo, nullo pacto, ipsam patiantur intra se manere, quia mora trahit periculum, 'et, ut quidam dicunt, morosa cogitatio est mortale peccatum; cum enim ratio discernit quod cogitatio tendit ad illicitum, et ipsam prout potest non refrenat, haec morosa dicitur esse cogitatio'. Sed apes statim debent insurgere et aculeis contritionis et orationis ipsam debent insequi et extra suorum corporum alvearia propellere. Bene ergo dicitur quod iusti parati sunt suscitare Leviathan, ne in eis requiem inveniat.

20 – Sequitur tertium: Et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi; et cum venerit invenit scopis mundatam et ornatam. Matthaeus dicit: Invenit vacantem scopis mundatam et ornatam. Nota quod 'triplex est scopa, scilicet contritionis, confessionis et satisfactionis'. De scopa contritionis dicit Propheta: Scopebam spiritum meum. Ille spiritum suum scopat qui sordes immundae cogitationis et pulverem mundanae vanitatis a facie suae animae scopa contritionis emundat. De scopa confessionis et satisfactionis dicit Dominus in Isaia, ubi loquitur de Babylonia: Scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus Deus exercituum. Babylonem Dominus scopat, cum

animam, peccatis confusam, confessione a peccatis emundat. In scopa terit, cum satisfactionis flagellis percutit. His tribus scopis domus, idest anima hominis, mundatur. De qua munditia dicit Dominus in Isaia: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, scopa contritionis; quiescite agere perverse, emundati scopa confessionis; discite bene facere, scopa satisfactionis castigati. Sed quia ex bonis operibus solet oriri securitas vana et otiositas, quae est animae inimica, ideo adiungitur: Invenit vacantem et ornatam. "Omnium, inquit beatus BERNARDUS, tentationum et cogitationum malarum et inutilium sentina otium est". Unde dicitur in primo libro Regum quod Amalecitae impetum fecerunt a parte australi in Siceleg, et percusserunt Siceleg, et succenderunt eam igni; et captivas duxerunt mulieres ex ea, a minimo usque ad maximum. 'Amalecitae interpretantur lingentes sanguinem, et significant daemones', qui sanguinem animarum, idest compuctionem lacrimarum, lingere et devorare cupiunt. Isti a parte australi Siceleg invadunt. Auster est ventus tepidus, de quo dicit Iob: Considerate semitas Theman, itinera Saba. "Theman interpretatur auster" tepidus. Hic est fluxa et otiosa vivendi conversatio, per quam tentat diabolus. Nam cum immundus spiritus domum invenit remissam et otio vacantem, intrat ibi. Unde quia 'David, ut dicitur in secundo libro Regum, in Hierusalem mansit', et ad bellum non processit, marcens otio punitur vitio. "Saba interpretatur rete" vel captiva, et significat obligationem culpae, quae se bene tepiditati et otiositati coniungit. Nam qui non districto iudicio sed dissolutis et remissis gressibus vadit et fluxis actibus implicatur, ad ea quae Dei sunt impeditur. Siceleg ergo, "quae interpretatur adductio vocis defecatae", idest anima, quae non balbutiendo sed recte loquendo debet annuntiare peccatum suum, a parte australi, idest a tepiditate et otiositate suae vitae, a malignis spiritibus capitur et igne iniquitatis succenditur, et quidquid virtutis intus est a minimo usque ad magnum captivatur. Bene ergo dicitur: Invenit vacantem et ornatam.

21 – Dicitur in NATURALIBUS quod 'apes parvae sunt maioris laboris et habent alas subtiles, et color earum est niger et sunt quasi combustae. Et apes ornatae sunt de numero illarum quae nihil faciunt'. Apes parvae sunt viri poenitentes, in oculis suis parvuli. Hi sunt magni laboris, semper enim aliquid operis faciunt, ne eorum domum diabolus inveniat vacantem et otiosam; habent etiam alas subtiles, quae sunt contemptus mundi et amor caelestis regni, quibus, a terrenis elevati, in aera se librant, Dei gloriam subtilius contemplantes. Sunt etiam nigri coloris et quasi combustae. Unde in Canticis loquitur anima poenitentis: Nigra sum sed formosa, filiae Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. O Filiae Ierusalem, idest virtutes angelicae, vel fideles animae, nigra sum cinere et cilicio, ieiuniis et vigiliis exterius, sed formosa mentis puritate, fidei integritate interius. Nigra sum sicut tabernacula Cedar, "qui interpretatur moeror", habito enim in tabernaculis, quae de loco ad locum transferuntur et a quibus milites impugnant et impugnantur, quia 'non habeo hic manentem civitatem, sed venturam inquiro', et dum pugno impugnor; et in his omnibus non est mihi nisi moeror et dolor. Sed formosa sum sicut pelles Salomonis, quae fuerunt hyacinthinae et rubricatae. 'In pellibus hyacinthinis puritas mentis et contemplatio gloriae caelestis; in rubricatis fidei integritas et martyrii vel afflictionis asperitas designatur'. Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Sol eclipsim, idest defectum, patiens omnia decolorat. Sic verus sol Iesus Christus, 'qui cognovit occasum suum', eclipsim mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes

vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. Et ideo dicit anima poenitentis: Nigra sum, fusca sum, quia decoloravit me sol. Dum enim oculo fidei Deum meum, sponsum meum, Iesum meum, in cruce pendentem, clavis confixum, felle et aceto potatum, corona spinea coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa transitoria in pallorem vertitur et a me nihilum reputatur. Tales sunt apes parvae nigrae et combustae. Sed apes ornatae sunt religiosi tepidi et fatui, qui in ornatu sui habitus gloriantur, qui vitae suae phylacteria praetendunt et sanctitatis suae fimbrias magnificant; quorum domus ornata est exterius, sed interius plena omni spurcitia et ossibus mortuorum; et ideo eveniet eis quod sequitur: Tunc vadit et assumit septem alios spiritus etc.

22 – Ecce quartum. Nota quod isti septem spiritus sunt illae septem vaccae, de quibus dicitur, in historia Ioseph in Genesi, 'quod erant deformes confectaeque macie, quae devoraverunt septem alias, quarum mira species et habitudo corporum erat'. Item, isti septem spiritus sunt 'septem spicae, percussae uredine, devorantes aliarum septem plenitudinem et formositatem'. Et sunt septem anni nimiae sterilitatis, cuius magnitudo septem annorum abundantiam consumpsit. 'Septem boves pulchrae et crassae nimis, et septem spicae plenae et formosae, et septem anni fertilitatis magnae septem significant Sancti Spiritus dona', de quibus Isaias: Requiescet, inquit, super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini. Haec dona dicuntur boves pulchrae et crassae, propter morum pulchritudinem et virtutum fecunditatem, quae illi super quem requiescunt conferunt; spicae plenae et formosae propter fidei Iesu Christi, qui fuit granum frumenti, plenitudinem, et geminae dilectionis Dei et proximi maturitatem. Dicuntur etiam haec septem Spiritus dona septem anni fertilitatis magnae, quia in huius peregrinationis septenario mentem, super quam requiescunt, dono septiformis gratiae, abundantia fertilitatis magnae abundare faciunt. Sed, heu! heu! septem vaccae deformes et macilentae, septem spicae percussae uredine, septem anni sterilitatis nimiae, septem spiritus immundo spiritu nequiores domum vacantem et ornatam intrant et septem Spiritus dona devorant, et sic fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Et ideo dicuntur nequiores ab effectu, quia nequiorem hominem reddunt quam prius fuerat. Et nota quod isti septem spiritus nequiores dicuntur vaccae deformes et macilentae propter imaginis et similitudinis Dei deformationem et caritatis, quae est pinguedo animae, defectionem; spicae percussae uredine, quae est foetor rei adustae, propter criminum foetorem; anni sterilitatis nimiae propter boni operis sterilitatem, quae mala omnia miserae menti inferunt, quam miserabiliter detinent occupatam. Bene ergo dicitur: Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut a cordibus fidelium tuae virtutis potentia immundus spiritus exeat, et ipsos loca arida et inaquosa efficiat, et ipsorum conscientiam mundam in tuo sancto servitio ferventem faciat, et septiformis gratiae spiritu repleat. Quod nobis praestare dignetur, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA

IN LAUDEM BEATAE MARIAE VIRGINIS

1 – In illo tempore: Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti etc. Sponsus sponsae loquitur in Canticis: Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis. Vox dulcis est laus gloriosae Virginis, quae dulcissime sonat in auribus Sponsi, idest Iesu Christi, eiusdem Virginis Filii. Extollamus ergo vocem universi et singuli ad laudem beatae Mariae, et dicamus eius Filio: Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti.

2 – "Beatus dicitur bene auctus". "Beatus est ille qui habet omne quod vult et nihil mali vult". "Beatus est cui omnia optata succedunt". Beatus ergo venter gloriosae Virginis, qui omne bonum, summum bonum, angelorum beatitudinem, peccatorum reconciliationem novem mensibus portare meruit. Unde AUGUSTINUS: "Reconciliati sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum deitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit". Beatus ergo venter gloriosae Virginis, de qua dicit beatus AUGUSTINUS, in libro De natura et gratia: "Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiae sit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere et parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum. Hac igitur Virgine excepta, si omnes sancti et sanctae congregari possent et quaereretur ab eis an peccatum haberent, quid responderent, nisi quod Ioannes ait? Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est". "Illa autem gloriosa Virgo singulari gratia praeventa est atque repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit universitatis Dominum".

3 – Beatus ergo venter, de quo in suae Matris laudem Filius dicit in Canticis: Venter tuus acervus tritici vallatus liliis. Venter gloriosae Virginis fuit sicut acervus tritici: acervus, quia in eo coacervatae fuerunt omnes praerogativae meritorum et praemiorum, tritici, quia in eo, quasi in cellario, 'industria veri Ioseph, repositum fuit triticum, ne tota Aegyptus fame periret'. "Triticum dictum, quod purissimum horreo condatur, vel quia granum eius commolitur et teritur"; album interius, rubicundum exterius, 'Iesum Christum significat', qui in cellario beati ventris gloriosae Virginis novem mensibus fuit reconditus, qui in mola crucis pro nobis fuit attritus: candidus innocentia vitae, rubicundus sanguinis effusione. Hic beatus venter fuit vallatus liliis. 'Lilium dictum, quasi lacteum', beatae Mariae Virginis, propter sui candorem, virginitatem significat. Cuius uterus fuit vallatus, 'idest valle humilitatis munitus', liliis utriusque virginitatis, interioris scilicet et exterioris. Unde AUGUSTINUS: "Deus unigenitus, dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine, et, cum nasceretur, integritatem virginitatis servavit in Matre". Beatus ergo venter qui te portavit. Vere beatus, qui te Deum et Dei Filium, angelorum Dominum, caeli et terrae Creatorem, mundi Redemptorem portavit. Portavit Patrem Filia; portavit Filium Virgo paupercula. O Cherubim! o Seraphim! o Angeli et Archangeli! demisso vultu, inclinato capite,

reverenter adorate templum Filii Dei, sacrarium Spiritus Sancti, beatum ventrem vallatum liliis, dicentes: Beatus venter qui te portavit. O terreni Adae filii, quibus ista gratia, ista specialis praerogativa est concessa, fide devoti, mente compuncti, terra prostrati, veri 'Salomonis thronum eburneum, excelsum et elevatum', nostri 'Isaiae solium' adorate, dicentes: Beatus venter qui te portavit.

4 – Sequitur: Et ubera quae suxisti. De quibus dicit Salomon in Parabolis: Cerva carissima et hinnulus gratissimus: ubera eius inebrient te in omni tempore et in amore eius delectare iugiter. Nota quod 'cerva, ut dicitur in NATURALIBUS, parit in via trita, sciens quia lupus viam tritam evitat propter homines'. Cerva carissima est beata Maria, quae in via trita, idest in diversorio, hinnulum gratissimum, quia gratis et grato tempore nobis datum, parvulum Filium peperit. Unde Lucas: Peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit, "ut stolam immortalitatis reciperemus", et reclinavit eum in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio. Ibi dicit GLOSSA: "In diversorio eget loco, ut nos plures in caelis habeamus mansiones". Huius cervae, toti mundo carissimae, ubera inebrient te, o christiane, omni tempore, 'ut omnium temporalium oblitus, tamquam. ebrius, ad ea quae ante te sunt te extendas'. Sed valde mirandum est, cum dixit: inebrient, cum in uberibus non sit vinum, quod inebriat, sed lac iucundissimum. Audi quare. Ipsam Sponsus eius Filius, laudans in Canticis dicit: Quam pulchra es, quam decora, carissima, in deliciis! Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris. Quam pulchra es mente, quam decora corpore, mater mea, sponsa mea, cerva carissima, in deliciis, idest vitae aeternae praemiis.

5 – Statura tua assimilata est palmae. Nota quod "palma inferius a corticibus est aspera, superius visu et fructu pulchra", 'et, ut dicit ISIDORUS, facit fructum centenaria'. Sic beata Maria in hoc mundo fuit cortice paupertatis aspera, sed in caelo pulchra et gloriosa, quia angelorum regina; et fructum centesimum, qui datur virginibus, Virgo virginum super omnes virgines, meruit adipisci. Bene ergo dicitur: Statura tua assimilata est palmae et ubera tua botris. Botrus est genus fructus, multum in unum conglobati velut uvarum, quae nascuntur in vite. De qua in historia Ioseph, in Genesi, dicit pincerna regis: Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere. In hac auctoritate sunt septem: vitis, tres propagines, gemmae, flores et uvae. Qualiter ista septem beatae Mariae egregie conveniant videamus. "Vitis dicta, quod vim habeat citius radicandi, vel quod invicem se innectit", est beata Maria, quae prae ceteris citius et altius in Dei amore fuit radicata, et viti verae, suo scilicet Filio, qui dixit: Ego sum vitis vera, inseparabiliter se innexuit, "et de se ipsamet in Ecclesiastico dixit: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Partus beatae Virginis non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quaeris quomodo Virgo genuit Salvatorem. Sicut flos vitis odorem. Incorruptum invenies vitis florem cum dedit odorem, sic inviolatum crede Virginis pudorem, eo quod edidit Salvatorem. Quid aliud est flos virginitatis, quam suavitas odoris?" 'Tres propagines huius vitis fuerunt angelica salutatio, Spiritus Sancti superventio, Filii Dei inenarrabilis conceptio'. Ex his tribus propaginibus propaginata proles fidelium quotidie per totum mundum fide propagatur, idest multiplicatur. Gemmae in vite sunt humilitas et virginitas beatae Mariae; flores, fecunditas sine corruptione, partus sine dolore; tres botri uvarum in vite, paupertas, patientia, abstinentia in beata Virgine. Hae sunt uvae maturae, ex quibus

profluit vinum maturum et odoriferum, quod inebriat et inebriando sobrias reddit mentes fidelium. Bene ergo dicitur: Ubera eius inebrient te omni tempore, et in amore eius delectare iugiter, quatenus ipsius amore falsam mundi delectationem despicere, tuae carnis concupiscentiam valeas conculcare.

6 – Confuge ad ipsam, o peccator, quia ipsa est civitas refugii. Sicut enim quondam Dominus, ut dicitur in libro Numeri, 'separavit civitates refugii, ad quas confugeret qui nolens homicidium perpetraret'; sic nunc misericordia Domini refugium misericordiae nomen Mariae providit etiam voluntariis homicidis. Turris fortissima nomen Dominae, ad ipsam confugiet peccator et salvabitur. Nomen dulce, nomen confortans peccatorem et beatae spei. 'Domina, nomen tuum in desiderio animae'. Et nomen, inquit Lucas, Virginis Maria. Oleum effusum nomen tuum. 'Nomen Mariae in corde iubilus, in ore mel, in aure melos'. Egregie ergo in laude eiusdem Virginis dicitur: Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti. Nota quod sugere dicitur sumendo agere. Dum enim Christus lac sumebat, salutem nostram agebat. Nostra salus fuit eius Passio; Passionem sustinuit in corpore quod nutritum fuit Virginis lacte. Unde dicit in Canticis: Bibi vinum meum cum lacte meo. Quare non dixisti, Domine Iesu: Bibi acetum cum lacte meo? Virgineis enim uberibus lactatus, felle et aceto fuit potatus. Dulcedo lactis conversa fuit in amaritudinem fellis, ut eius amaritudo nobis aeternam dulcedinem propinaret. Ubera suxit qui in monte Calvariae in ubere lanceari voluit, ut parvuli pro lacte sanguinem sugerent. De quibus Iob: Pulli aquilae lambunt sanguinem.

7 – Sequitur: At ille dixit: Quinimmo etc. Ibi dicit GLOSSA: "Quasi, non solum laudanda est Maria quia Verbum Dei in utero portavit, sed etiam beata est quia praecepta Dei servavit in opere". Rogamus ergo, Domina nostra, spes nostra, ut nobis huius maris tempestate concussis, tu, stella maris, irradies, ad portum dirigas, exitum nostrum tuae praesentiae tutela munias, ut a carcere securi exire et ad gaudium infinibile laeti mereamur pervenire. Ipso praestante, quem beato ventre portasti, uberibus sacratissimis lactasti; cui est honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA

Themata sermonis

Evangelium. in quarta dominica Quadragesimae: "De quinque panibus". In primis sermo ad praedicatorem, ibi: Mitte panem tuum. Item sermo ad exprobrationem peccati, ibi: Iudas per puerum Odollamitem, et quinquepartito pane et eius significatione. Item sermo de quinque cubitis myrrhae, ibi: "De quinque panibus" et de quinque fratribus Iudae et eorum significatione. Item sermo de maledicto quaternario et quinquepartito conventu et eorum significatione, ibi: Per tria movetur terra.

Exordium. Sermo ad praedicatorem

1 – "De quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum". Praedicatoribus loquitur Salomon in Ecclesiaste: Mitte panem tuum super transeuntes

aquas, et post multa tempora invenies illum. ‘Aquae transeuntes sunt populi in morte defluentes’. Unde dicit mulier Thecuites, in secundo libro Regum: ‘Omnes labimur sicut aqua’. Dicit Isaias: Populus iste abiecit aquas Siloe, quae vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin et “Phacee” filium Romeliae. ‘Siloe interpretatur missus. Aquae ergo Siloe sunt doctrina Iesu Christi’, missi a Patre. Hanc aquam abiciunt qui terrenis desideriis effluunt et assumunt Rasin, idest spiritum superbiae, et Phacee, idest immunditiam luxuriae, et ideo labuntur tamquam aqua in profundum gehennae. Super ergo aquas transeuntes, o praedicator, mitte panem tuum, panem praedicationis, de quo dicitur: Non in solo pane etc., et Isaias: Panis ei, idest iusto, datus est; et post multa tempora, idest in die iudicii, invenies illum, idest retributionem pro illo. In nomine Domini mittam panem super aquas, de quinque panibus et duobus piscibus sermonem sub compendio caritati vestrae componendo.

De quinque panibus et duobus plscibus

2 – Dicamus ergo: “De quinque panibus et duobus etc.” “Quinque panes sunt quinque libri Moysi”, in quibus quinque animae refectiones inveniuntur. Primus panis est peccati exprobratio in contritione; secundus, peccati denudatio in confessione; tertius, sui ipsius vilitas et humiliatio in satisfactione; quartus, zelus animarum in praedicatione; quintus, caelestis patriae dulcedo in contemplatione. De primo pane habes in primo libro, scilicet Genesi, quod ‘Iudas per puerum Odollamitem misit haedum Thamar’. ‘Iudas interpretatur confitens et significat poenitentem’, qui debet mittere haedum, “idest peccati exprobrationem”, Thamar, “quae interpretatur amara, commutata, palma”. ‘Haec est anima poenitens’, in cuius triplici interpretatione triplex status poenitentium designatur: amara dicitur quoad statum incipientium, commutata proficientium, palma perfectorum. “Odollamites interpretatur testimonium in aqua” et significat compunctionem lacrimarum, quibus poenitens testificatur se peccatum exprobrare et de cetero non committere. Et sic ‘de hac Thamar, ut dicit Matthaeus, poterit gignere Iudas Phares et Zaram’. “Phares interpretatur divisio, Zaram oriens”. Prius enim a peccato se dividere et postmodum debet poenitens boni operis illuminationi intendere: Declina, inquit Propheta, a malo: ecce Phares; et fac bonum: ecce Zaram. De secundo pane habes in secundo libro Moysi, scilicet Exodo, ubi dicitur, quod Moyses percussum Aegyptium abscondit sub sabulo. ‘Moyses interpretatur aquaticus’, et significat poenitentem, aquis compunctionis fluidum. Hic debet percutere Aegyptium, idest mortale peccatum, in contritione, et abscondere sub sabulo in confessione. Dicit enim AUGUSTINUS: Si tu discooperis, Deus cooperit; si tu tegis, Deus detegit’. Ille ergo Aegyptium abscondit qui peccatum suum detegit; abscondit, inquam, Deo et detegit sacerdoti. Unde dicitur in Genesi quod ‘Rachel abscondit idola Laban’. ‘Rachel interpretatur ovis. Haec est anima poenitens, quae idola, idest peccata mortalia, Laban, idest diaboli, debet abscondere. Beati, inquit Propheta, quorum tecta sunt peccata’. De tertio pane habes in tertio libro Moysi, scilicet Levitico, ubi praecipitur sacerdotibus ‘vesiculam gutturis et plumas proicere in locum cinerum ad orientalem plagam’. In vesicula gutturis notatur ardor et sitis avaritiae, de qua Iob: Exardescet contra eum, idest avarum, sitis. “In pluma, levitas superbiae” : penna, inquit Iob, struthionis, “idest hypocritae”, similis est pennis herodii et accipitris, ‘idest viri contemplativi’. ‘Haec in loco cinerum proiciuntur, cum verbum primae maledictionis, Cinis es et in cinerem reverteris, corde compuncto cogitamus. Australis

plaga est vita aeterna, a qua per primos parentes decidimus'. Humiliatur ergo poenitens in satisfactione et vesiculam avaritiae et plumam superbiae a se proicit, cum eulogium primae maledictionis ad memoriam reducit et se proiectum a facie oculorum Dei quotidie ingemiscit. De quarto pane habes in quarto libro, scilicet Numeri ubi dicitur quod 'Phinees, arrepto pugione, confodit duos fornicantes in locis genitalibus'. 'Phinees est praedicator, qui, arrepto pugione, idest verbo praedicationis, fornicatores in locis genitalibus debet confodere, ut, denudata et quasi in faciem obiecta eorum turpitudine, de commisso scelere erubescant'. Revelabo, inquit Dominus per Prophetam, pudenda tua in faciem tuam. Imple, inquit David, facies eorum ignominia etc. De quinto pane habes in quinto libro, scilicet Deuteronomio, ubi dicitur quod 'ascendit Moyses de campestribus Moab in montem Abarim, et ibi mortuus est coram Deo'. Moyses, idest poenitens, de campestribus Moab, "qui interpretatur ex patre", idest conversatione carnalium, qui sunt ex patre diabolo, debet ascendere in montem Abarim, "qui interpretatur transitio", idest excellentiam contemplationis, ut transeat de hoc mundo ad Patrem. Isti sunt quinque panes de quibus dicitur: "De quinque panibus et duobus piscibus etc."

3 – Isti sunt quinque cubiti myrrhae, de qua dicit SOLINUS quod 'in Arabia est arbor, quae dicitur myrrha, quinque cubitis a terra elevata'. "Arabia interpretatur sacra", et significat sanctam Ecclesiam, in qua est myrrha poenitentiae, quae quinque cubitis, qui sunt quinque panes evangelici, elevat hominem a terrenis. Isti sunt quinque fratres Iudae, de quibus dicitur a Iacob in Genesi: Iuda, laudabunt te fratres tui; qui sunt: Ruben, Simeon, Levi, Issachar, Zabulon. 'Ruben, videns; Simeon, auditio; Levi, additus; Issachar, merces; Zabulon habitaculum fortitudinis interpretatur'. Habeat ergo Iudas fratrem suum Ruben, ut videat in contritione illis septem oculis, de quibus dicit Zacharias: 'In lapide uno, idest in poenitente, qui debet esse lapis per constantiam et unus per fidei unitatem, erant septem oculi'. Quorum primo debet videre praeterita, ut defleat; secundo futura, ut caveat; tertio prospera, ne elevent; quarto adversa, ne deprimant; quinto superiora, ut sapiant; sexto inferiora, ut desipiant; septimo interiora, ut sibi in Deo placeant. Habeat ergo secundum fratrem Simeonem in confessione, ut ipsius vocem Dominus audiat, sicut dicit Moyses in Deuteronomio: Audi, Domine, vocem Iudae; et de qua in Canticis: Sonet vox tua in auribus meis; vox tua dulcis. His duobus, scilicet contritioni et confessioni, tertius frater Levi superadditur in satisfactione, 'ut mensura poenae respondeat culpae': Facite, inquit, fructus dignos poenitentiae. In Sina enim, "quod interpretatur mensura", data fuit lex. Lex gratiae illi datur, cuius poenitentia culpae commensuratur. Habeat etiam quartum fratrem Issachar, ut, zelo animarum fervens, aeternae beatitudinis mercedem accipiat; sed truncus inutilis terram occupans, et idiota fatuus locum Ecclesiae impediens, non mercedem vitae aeternae sed acerbitatem mortis aeternae. Habeat nihilominus, obsecro, quintum fratrem Zabulon, ut, 'in habitaculo contemplationis cum simplici Iacob inhabitans', gustum caelestis dulcedinis suscipere mereatur. Isti sunt quinque panes, de quibus dicitur: "De quinque panibus et duobus piscibus etc."

4 – Duo pisces sunt intellectus et memoria, quibus debent condiri quinque libri Moysi, ut quod legis intelligas, et quod intelligis memoriae thesauro reponas. Vel, duo pisces, qui ad mensam regis de profunditate maris asportantur, sunt Moyses et Petrus: 'Moyses ab aqua, de qua assumptus est, sic denominatus', et Petrus piscator, in apostolatu sublimatus.

Illi Synagoga, huic Ecclesia est commissa. Istae sunt Sara et Agar, de quibus habuistis in epistola hodierna: Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit etc. 'Ancilla Agar, quae interpretatur solemnis, significat Synagogam, quae in legis observantiis, quasi quibusdam solemniis, gloriabatur. Sara, quae interpretatur carbo, significat sanctam Ecclesiam', in die Pentecostes Sancti Spiritus igne ignitam. Filius illius, idest populus Iudaeorum, impugnat filium istius, 'idest populum credentium'. Vel aliter. Sara, "quae interpretatur princeps", est superior pars rationis, quae debet principari, tamquam domina, ancillae, idest sensualitati, quam significat Agar, 'quae interpretatur vultur'. Sensualitas enim, tamquam vultur, carnalium desideriorum cadavera sequitur. Filius huius, idest motus carnis, persequitur filium istius, idest motum rationis – et hoc est quod dicit Apostolus: 'Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem' –, ut ipsam eiciat cum filio suo. Unde dicitur: Eice ancillam, et filium eius. Caro enim, bonis naturae gravida et temporalibus opulenta, insurgit in dominam, et evenit illud quod dicit Salomon in Parabolis: Per tria movetur terra, et quartum sustinere non potest: per servum cum regnaverit, per stultum cum saturatus fuerit cibo, per mulierem odiosam cum assumpta fuerit in matrimonium, et per ancillam cum fuerit heres dominae suae. Servus regnans est corpus recalcitrans. Stultus cibo satiatus est animus deliciis inebriatus. Mulier odiosa est prava operatio; quae tunc assumitur in matrimonium, cum peccator in malae consuetudinis incidit vinculum. Et sic ancilla Agar, idest sensualitas, fit heres dominae suae, idest rationis. Sed, ut infelix istud dominium dissolvatur, "de quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum".

5 – De hoc habes concordantiam in introitu missae: "Laetare, Ierusalem, et conventum facite etc." Nota quod, secundum numerum quinque millia hominum, quinque sunt conventus: primus celebratus fuit in caelo; secundus, in paradiso; tertius, in monte Oliveti; quartus, in Ierusalem; quintus, apud Corinthum. In primo conventu nata fuit discordia. Primus enim angelus, primo albus, sed postea factus niger monachus, quia, primo lucifer et postea tenebrifer, discordiae zizaniam inter fratrum agmina seminavit. In choro enim concordiae non ab inferiori sed a superiori incepit cantare antiphonam superbiae: 'Ascendam, inquit, in caelum, idest ad aequalitatem Patris, et ero similis Altissimo', idest Filio. Et, dum sic alte cantaret et cordis venae intumescerent, irrecuperabiliter cecidit, cuius superbiam firmamentum sustinere non potuit. Item, in secundo paradisi conventu nata fuit inobedientia, propter quam primi parentes proiecti sunt in huius exilii miseriam. In tertio, simonia, 'quae est emere vel vendere spirituale vel adnexum spirituali'. Quid ergo spiritualius, quid sanctius Christo, quem Iudam vendendo simoniae periculum credimus incurrisse, et ideo 'laqueo suspensum crepuisse?' Sic omnis simoniacus, nisi resignaverit et vere poenituerit, laqueo aeternae damnationis suspensus, medius crepabit. In quarto conventu paupertas defecit, 'cum Ananias et Saphira, de pretio agri venditi, proprium sibi subtraxerunt, Spiritui Sancto mentientes, et ideo manifestae ultionis confestim sententiam pertulerunt'. Sic proprio renuntiantes et sanctae paupertatis sigillo se consignantes, si Iericho destructam voluerint reaedificare, maledictionis improperium aeternaliter sustinebunt. In quinto defecit castitas; sicut legitur in epistola ad Corinthios, quod 'Paulus excommunicationis sententia fornicatorem illum, qui uxorem patris acceperat, in interitum carnis ferire non dubitavit'. Vos autem, qui estis membra Ecclesiae, cives Ierusalem caelestis, facite quinquepartitum conventum, exclusa discordiae zizania, inobedientiae vesania, simoniae concupiscentia, avaritiae lepra,

luxuriae immunditia, ut inter quinque millia quinque panibus et duobus piscibus satiati, tamquam millenarii perfectione perfecti, computari mereamini. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA V IN QUADRAGESIMA

Themata sermonis

Evangelium in quinta dominica Quadragesimae: Quis ex vobis arguet me de peccato? quod dividitur in septem clausulis. In primis sermo ad praedicatores vel praelatos, ibi: Confortamini, filii Beniamin.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de Christi Passione, ibi: Christus assistens. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo ad illos qui audiunt et contra illos qui nolunt audire verbum Domini, ibi: Surge et descende, et ibi: Cui loquitur? et ibi: Ecce ego adducam. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de Christi circa nos custodia et de ipsius patientia inter Iudaeorum blasphemias, ibi: Quid tu vides Ieremia? et ibi: Vae mihi, mater mea. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo de gloria et ruina primi parentis, ibi: Olivam uberem. Item sermo de viri iusti mortificatione, ibi: Fuerunt dies vitae. DE QUINTA CLAUSULA. Sermo de Christi glorificatione, ibi: Est Pater qui glorificat. DE SEXTA CLAUSULA. Sermo in Nativitate Domini, ibi: In die illa fons de domo Domini egredietur. Item sermo de quattuor dotibus glorificati corporis, ibi: In die tertio suscitabit nos, et de proprietate vulturis et gruis. DE SEPTIMA CLAUSULA. Sermo contra ingratos, ibi: Numquid solitudo factus sum Israeli?

Exordium. Sermo ad praedicatores vel praelatos

1 – Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Praedicatoribus loquitur Ieremias: Confortamini, filii Beniamin, in medio Ierusalem; et in Thecua clangite bucina, et in Bethacarem levate vexillum. Beniamin filius dexterae, “Ierusalem visio pacis”, “Thecua tuba”, ‘Bethacarem domus sterilis’ interpretatur. Confortamini ergo, et nolite timere, o praedicatores, filii Beniamin, idest dexterae, ‘idest vitae aeternae”, de qua dicitur in Parabolis: Longitudo dierum in dextera eius. Confortamini, inquam, in medio Ierusalem, ‘idest Ecclesiae militantis, in qua est visio pacis, idest reconciliatio peccatoris’. Et bene dicit: in medio. Medium Ecclesiae est caritas, quae se extendit ad amicum et inimicum; ad quod medium tenendum praedicator debet confortare fideles Ecclesiae. Et in Thecua, idest in illis qui, ‘cum aliquid faciunt, tamquam hypocritae, tuba canunt ante se’ – ‘qui complacent sibi, ut dicitur in libro Sapientiae, in turbis nationum’ –, clangite bucina praedicationis, ut, cum audierint bucinam, dicant: Vae nobis, quia peccavimus, Domine. Et in Bethacarem, idest domo sterili, illorum scilicet qui sunt aridi ab humore gratiae, steriles a bono opere – quorum ‘terra, idest mens, non suscipit guttam sanguinis a corpore Christi decurrentis’ –, levate vexillum crucis; praedicate Passionem Filii Dei, quia tempus adest Passionis; annuntiate mortuis, ut resurgant in mortem Iesu Christi, qui dicit turbis Iudaeorum, in hodierno evangelio: Quis ex vobis arguet me de peccato? etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio septem notantur. Primum, Iesu Christi innocentia, cum dicit: Quis ex vobis arguet. Secundum, verbi ipsius diligens audientia, cum addit: Qui est ex Deo verba Dei audit, etc. Tertium, Iudaeorum blasphemia, ibi: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et daemonium habes? etc. Quartum, servanti ipsius verbum, vitae aeternae gloria, ibi: Amen, amen dico vobis, si quis servaverit sermonem meum, mortem non gustabit in aeternum, etc. Quintum, Patris glorificatio, ibi; Est Pater meus qui glorificat me, etc. Sextum, Abrahae exultatio, ibi: Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, etc. Septimum, ipsorum Iudaeorum voluntaria lapidatio et Iesu Christi absconsio, ibi: Tulerunt lapides, ut iacerent in eum etc. Nota etiam quod in hac dominica et in sequenti legitur Ieremias et cantantur responsoria: "Isti sunt dies", cum ceteris, in quibus subticetur "Gloria Patri".

I – De Iesu Christi innocentia

3 – Dicat ergo Agnus innocens, 'qui abstulit peccatum mundi', qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore eius, qui peccatum multorum, ut dicit Isaias, tulit, et pro transgressoribus rogavit: Quis ex vobis arguet, 'idest accusabit vel convincet', me de peccato? Certe nullus. Quomodo quis illum de peccato arguere poterat, qui peccata relaxare et vitam aeternam dare venerat? Unde Apostolus, in hodierna epistola ad Hebraeos, Christus, inquit, assistens pontifex futurorum bonorum, etc. Assistens idem est quod adiuvans vel obediens. Christus fuit assistens, 'idest nos adiuvans'. Unde Propheta: Adiuvit pauperem de inopia. Humanum genus pauper erat, quia 'spoliatum gratuitis, vulneratum in naturalibus'; quod erat sine ope alicuius adiuvantis. Venit Christus; ei astitit; eum adiuvit, cum peccata ipsius relaxavit. Fuit etiam assistens, idest obediens, Deo Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua 'non sanguinem hircorum aut vitulorum, sed proprium sanguinem in humani generis reconciliatione Deo Patri obtulit, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi'. Hic dicitur pontifex futurorum bonorum. 'Pontifex dictus, pontem faciens', "quasi via sequentium". Duae ripae erant hinc et inde, mortalitatis scilicet et immortalitatis, inter quas fluebat fluvius immeabilis, iniquitatum scilicet et miseriarum nostrarum, de quibus dicit Isaias: Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Venit ergo Christus, assistens pontifex, seipsum pontem fecit a ripa nostrae mortalitatis usque ad ripam suae immortalitatis, ut per ipsum, tamquam lignum transversum, transiremus ad futura bona possidenda. Et ideo dicitur pontifex futurorum bonorum, non praesentium, quae suis amicis non promisit; immo dixit: In mundo pressuram habebitis. Christus ergo assistens, ut peccata nostra relaxaret, pontifex futurorum bonorum, ut aeterna bona nobis daret. Quis ergo eum arguere potest de peccato? "Peccatum quid est nisi praevaricatio legis divinae, et caelestium inobedientia mandatorum?" Quis ergo eum arguere potest de peccato, 'cuius in lege Domini fuit voluntas', qui non tantum Patri caelesti, sed etiam pauperculae matri obedivit? Quis ergo ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Ideo veritati non credebant, 'quia filii diaboli erant', qui mendax est et pater eius, "idest ipsius mendacii, quod invenit".

II – De Christi verbo audiendo

4 – Sequitur secundum. Qui est ex Deo, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. ‘Deus hebraice, latine dicitur timor’. Ille est ex Deo qui Deum timet; et qui Deum timet, verba eius audit. Unde dicit Dominus per Ieremiam: Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Ille surgit qui, timore correptus, poenitet se fecisse quod fecit; et in domum figuli descendit, cum se lutum esse cognovit, timens ‘ne tamquam vas figuli confringat eum Dominus’; et sic ibi audit verba Domini, quia est ex Deo, quia Deum timet. Dicit HIERONYMUS: “Magnum signum praedestinationis est libenter audire verba Dei, et de patria caelesti audire rumores, tamquam aliquis qui libenter audit rumores de patria terrena”. Et contrarium signum est obstinationis. Unde subditur: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis; quasi dicat: Ideo verba eius non auditis, quia ipsum non timetis. Unde Ieremias: Cui loquar, et quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisae aures eorum, et audire non possunt; ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud. Et iterum dicit: Haec dicit Dominus: Putrescere faciam superbiam Iuda, idest clericorum, et superbiam Ierusalem, idest religiosorum, multam; populum istum pessimum, scilicet laicorum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui. De quibus iterum dicit: Magnificati sunt et ditati; incrassati sunt et impinguati: et praeterierunt sermones meos pessime. Causam viduae non iudicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea? Itemque: Ecce ego adducam malum super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, et legem meam proiecerunt. Ut quid mihi thus de Saba affertis et calamum suave olentem de terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta, et victimae vestrae non placuerunt mihi, dicit Dominus. ‘Saba interpretatur rete, vel captiva. In thure oratio’; in calamo criminis vel laudis confessio designatur. Qui verba Dei non audit et legem eius, quae est caritas, quia ‘plenitudo legis dilectio!, proicit, hic frustra thus orationis de Saba, idest mundi vanitate, qua irretitus et captivus tenetur, et calamum confessionis suave olentem – supple: si in caritate fiat – de terra longinqua, idest mentis immunditia, quae hominem separat a Deo, Domino affert. Holocautomata vestra, idest abstinentiae vestrae, mihi non sunt accepta; et victimae, idest eleemosynae, vestrae non placuerunt mihi, dicit Dominus, eo quod caritatem proiecistis. Quid plura? Omnia opera nostra quoad vitam aeternam sunt inutilia, nisi balsamo caritatis condiantur.

III – De Iudaeorum in Christum blasphemia

5 – Sequitur tertium. Responderunt Iudaei et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et daemonium habes? Respondit Iesus: Ego daemonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem gloriam meam non quaero; est qui quaerat et iudicet. ‘Samaritani, ab Assyriis translati, ex parte Israelitarum et ex parte Gentilium ritum tenuerunt’; ‘quibus Iudaei non coutebantur’, eo quod ipsos immundos reputabant. Unde quem blasphemare volebant samaritanum vocabant. ‘Samaritani interpretantur custodes, eo quod a Babyloniis in custodiam Iudaeorum sunt collocati’. Dicunt ergo: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu? “Hoc non negando recipit, quia custos” est, ‘qui non dormit neque dormitat qui custodit Israel’, ‘et vigilat super gregem suum’. Unde dicit Dominus ad Ieremiam: Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Virgam vigilantem, ‘vel, secundum aliam translationem, nuceam vel amygdalinam’,

ego video. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti. Et ego vigilabo super verbo meo, ut faciam illud. ‘Virga, a virtute vel viriditate vel quod regat sic dicta’, ‘significat Iesum Christum’, ‘qui est Dei virtus’, ‘qui secus decursus aquarum, idest abundantiam gratiarum, plantatus’, ‘viridis, idest ab omni peccato immunis’, permansit; qui de se ipso in Luca dicit: Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Cui dixit Pater: Reges eos in virga ferrea, “idest in inflexibili iustitia”. Haec virga vigilavit super verbo suo, ut faceret illud, quia quod verbo praedicavit facto ostendit. Super verbo suo vigilat, qui quod verbo praedicat opere exercet.

6 – Vel, Christus dicitur virga vigilans pro eo quod, sicut fur de nocte vigilans, cum virga, in qua est uncinus, res de domo dormientium extrahendo furatur, sic ‘Christus, cum virga suae Humanitatis et uncino sanctae Crucis, animas diabolo est furatus’. Unde dixit: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, uncino sanctae Crucis. ‘Dies etiam Domini tamquam fur in nocte veniet’. Et in Apocalypsi dicit: Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur. Item, Christus dicitur virga nucea vel amygdalina. Nota quod ‘in nuce vel amygdalo nucleus est dulcis, testa solida, cortex amarus’. ‘In nucleo dulci, Christi divinitas; in testa solida, eius anima; in cortice amaro, ipsius caro, quae amaritudinem sustinuit Passionis’. Hic vigilavit super verbo Patris, quod dicitur suum, quia unum cum Patre, ut faceret illud. Unde dicit: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Non ergo ego daemonium habeo, qui Patris mandatum facio. Falso ergo blasphemant falsi Iudaei: Daemonium habes. De quorum blasphemia, in ipsius persona, dicit Ieremias: Vae mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixae, virum discordiae in universa terra? Non foeneravi, nec foeneravit mihi quisquam; omnes maledicunt mihi, dicit Dominus. Nota quod duplex est vae: culpae et poenae. Vae poenae habuit Christus, sed non culpae. Vae ergo mihi, mater mea, quare me ad tantam poenam genuisti virum rixae et virum discordiae? “Rixa est quae inter multos committitur”. Inde “rixosus, a rictu canino sic dictus, quod ad contradicendum semper est paratus”. Discordia dicta, quasi diversa corda. Discordare est diversum cor habere. Sic inter Iudaeos propter verba Christi rixa erat, qui semper erant parati quasi canes ad latrandum et ad contradicendum, et diversum cor habebant. ‘Quidam enim dicebant: Bonus est; alii vero: Non, sed seducit turbas’. Non foeneravi, nec foeneravit mihi quisquam. “Foenerator dicitur et qui dat mutuum et qui accipit”. ‘Christus ergo non foeneravit, quia non invenit de Iudaeis cui suae doctrinae pecuniam accomodaret; et ei non foeneravit quisquam, quia nummum doctrinae noluerunt bono opere multiplicare’. Immo omnes maledicebant mihi, dicentes: Samaritanus es, et daemonium habes. Respondit Iesus: Ego daemonium non habeo. “Falsum negat, sed ut patiens convicium non reddit. Sed honorifico, inquit, Patrem meum, honorem debitum exhibendo”, “omnia ei attribuendo”, et vos inhonorastis me. Unde in persona ipsius dicit Ieremias in Threnis: Factus sum in derisum populo meo tota die”; et iterum: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. “Ego autem gloriam meam non quaero, ut homines, qui illatis contumeliis aliquid reddunt, sed Patri reservat. Unde subdit: Est qui quaerat et iudicet”. Unde dicit in Ieremia: Tu autem, Domine Sabaoth, qui iudicas iuste et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis. Et nota quod “duplex est iudicium: unum damnationis, de quo dicitur: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio; alterum discretionis, de quo dicit Filius in introitu missae hodiernae: Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta etc. Secundum hoc dicitur: Est Pater qui quaerat gloriam meam, et discernat a

gloria vestra, quia vos secundum saeculum gloriamini, ego non, sed ea gloria, quam habui apud Patrem antequam mundus esset, quae est ab humana inflatione discreta"

7 – MORALITER. Daemonium habes. "Daemonium, a graecis dictum, quasi daimonion, idest peritum et rerum scium". Daimon graece dicitur valde sciens. Quando ergo aliquis adulando vel applaudendo dicit tibi: Peritus es et multa scis, tunc dicit tibi: Daemonium habes. Et tu statim debes cum Christo respondere: Ego daemonium non habeo. A me ipso nihil scio, nihil boni habeo, sed honorifico Patrem meum. Ipsi totum attribuo, ipsi gratias ago, a quo est omnis sapientia, omnis peritia et scientia. Ego gloriam meam non quaero, dicens cum beato BERNARDO: 'Verbum vanaegloriae, noli me tangere; illi enim soli gloria debetur, cui dicitur: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto'. Item dicit: "Non quaerit angelus ab angelo gloriam in caelo. Et homo ab homine laudari cupit in terra?".

IV – De gloria aeterna servanti Christi verbum

8 – Sequitur quartum. Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum. Dixerunt ergo Iudaei: Nunc cognovimus quia daemonium habes. Abraham mortuus est et prophetae; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit mortem non gustabit in aeternum? Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetae mortui sunt; quem te ipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. 'Amen, idest vere, fideliter vel fiat, quod est hebraeum sicut alleluia. Et sicut in caelo a Ioanne in Apocalypsi 'Amen et alleluia sunt audita', ita in terris cunctis gentibus pronuntiare haec duo verba ab apostolis sunt tradita'. Amen, amen dico vobis. Si quis sermonem meum servaverit mortem non gustabit in aeternum. Mors est dicta a morsu primi hominis, quia vetitae arboris pomum mordens mortem incurrit. Qui si sermonem Domini – Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas – servavisset, mortem in aeternum non gustasset. Sed quia non servavit, mortem gustavit et cum omni posteritate sua periit. Unde Ieremias: Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum; ad vocem loquelae grandis ignis exarsit in ea, et combusta sunt fruteta eius. Humana natura ante peccatum fuit oliva in creatione, in agro damasceno creata, sed, in paradiso voluptatis, ut ita dicam, plantata, uber, idest fertilis, in gratuitis, pulchra in naturalibus, fructifera in aeternae beatitudinis fruitione, speciosa in sui puritate. Sed, heu! ad vocem loquelae grandis, idest diabolicae suggestionis, grandia promittentis – Eritis sicut dii –, ignis vanaegloriae et avaritiae exarsit in ea, et sic combusta sunt fruteta eius, idest omnis posteritas ipsius. O filii Adae, nolite imitari patres vestros, qui Domini sermonem non servaverunt et ideo perierunt, sed servate et vos: Amen, amen dico vobis quod si sermonem meum servaveritis, mortem non gustabitis in aeternum. "Gustare in hoc loco idem est quod experiri".

9 – Sequitur: Dixerunt ergo Iudaei: Nunc cognovimus quia daemonium habes. O insanae mentis vesania! O daemoniacae gentis perfidia! Non sufficit vobis semel, tam horribili tam innominabili convicio, innocentem, ab omni vitio immunem, blasphemare, nisi secundo repeteritis: Nunc cognovimus quia daemonium habes. O caeci, si cognovissetis, non eum daemonium habere, sed Dominum Dei Filium credidissetis! Abraham mortuus est, "non illa morte quam Dominus dixit", sed morte corporali, de qua dicitur in Genesi:

Fuerunt dies vitae Abrahae centum septuaginta quinque anni, et deficiens mortuus est in senectute bona, provectaeque aetatis et plenus dierum. Congregatusque ad populum suum, et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui, in spelunca duplici.

10 – MORALITER. Abraham significat virum iustum, cuius vita debet constare ex centum septuaginta quinque annis. 'In centenario numero, qui perfectus est, omnis perfectio viri iusti'; 'in septuagenario, qui constat ex septem et decem, septiformis gratiae infusio et decalogi adimpletio'; 'in quinario quinque sensuum munda conversatio designatur'. Vita ergo viri iusti debet esse perfecta septiformis gratiae infusione et decalogi adimpletione et quinque sensuum munda conversatione. Et sic deficiet ab amore mundano et mortuus erit peccato, plenus non vacuus dierum, congregatus ad populum suum. De quo dicit Dominus in Isaia: Secundum dies ligni, "idest Iesu Christi", erunt dies populi mei, 'quia ipse in aeternum et populus eius vivet et regnabit cum eo in sempiternum'. Unde in evangelio: Ego vivo et vos vivetis. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui, in spelunca duplici. "Isaac interpretatur gaudium", "Ismael auditio Dei". Gaudium de spe caelestium et auditio divinorum praeceptorum sepeliunt virum iustum "in spelunca duplici vitae activae et contemplativae", 'ut, in abscondito faciei Domini, absconditus a conturbatione hominum, a contradictione linguarum protegatur'. De quarum contradictione adhuc subditur: "Quem te ipsum facis? Secundum illos se faciebat Filium Dei, aequalem sibi quasi non esset. Sed non faciebat, immo vere erat. Unde Apostolus: Non rapinam arbitratus est faciens se aequalem Deo. Ideo, non quis es? sed teipsum quem facis? Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Contra hoc quod dicunt: Quem te facis? refert gloriam suam ad Patrem, de quo est quod Deus est".

V – De Christo a Patre glorificando

11 – Sequitur quintum. Est Pater qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum. Ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo. Nota quod 'Pater clarificavit Filium suum in Nativitate, cum nasci fecit ex Virgine; in Iordanis flumine et in monte', cum dixit: Hic est filius meus dilectus; clarificavit etiam in resuscitatione Lazari et in Resurrectione et Ascensione. Unde dixit in Ioanne: Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo dicens: Et clarificavi "in resurrectione Lazari", et iterum clarificabo "in resurrectione et ascensione". Est ergo Pater qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est. 'Hic habes aperte testimonium contra haereticos, qui legem Moysi a Deo tenebrarum dicunt esse datam. Sed Deus Iudaeorum, qui dedit legem Moysi, est Pater Iesu Christi, ergo Pater Iesu Christi dedit legem Moysi'. "Et non cognovistis eum spiritualiter, dum pro terrenis servitis". Ego autem novi eum, quia unum cum ipso. Et si dixero quia nescio eum, "cum sciam", ero similis vobis mendax, "qui dicitis scire, cum nescitis". Sed scio eum et sermonem eius servo. "Sermonem Patris ut Filius loquebatur; et ipse erat verbum Patris, qui hominibus loquebatur". Servat seipsum, idest divinitatem in se.

VI – De Abraham exultatione

12 – Sequitur sextum. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit et

gavisus est. Dixerunt ergo Iudaei: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Nota ista tria verba: exultavit, vidit et gavisus est. Nota etiam quod triplex est dies Domini: Nativitatis, Passionis et Resurrectionis. De primo dicit Ioel: In die illa fons de domo David egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. In die Nativitatis fons, idest Christus, de domo David, idest de utero beatae Virginis, egredietur et irrigabit torrentem spinarum, idest refrigerabit abundantiam miseriarum nostrarum, quibus quotidie pungimur et vulneramur. De secundo dicit Isaias: Meditatus est in spiritu suo duro per diem aestus. 'In die Passionis, in qua sustinuit Dominus aestum' laboris et doloris, in spiritu suo duro, dum penderet in cruce, meditatus fuit qualiter diabolum damnaret et humanum genus de eius manu eriperet. De tertio dicit Osee: In die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius; sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum. In die tertia Christus "resurgens a mortuis suscitavit nos secum", 'idest conformi resurrectione', quia sicut ipse resurrexit et nos credimus resurrecturos 'in generali resurrectione". Et tunc vivemus, sciemus sequemurque, ut cognoscamus. In his quattuor verbis quattuor glorificati corporis dotes intelligimus: vivemus, ecce immortalitas; sciemus, ecce subtilitas; sequemur, ecce agilitas; ut cognoscamus Dominum, ecce claritas. Abraham ergo, idest vir iustus, exultat in die Nativitatis de Verbo Incarnato; videt oculo fidei ipsum pendentem in crucis patibulo, cum quo immortalis gaudebit in caelesti regno. Dixerunt ergo Iudaei ad eum, "solam in eo aetatem carnis pensantes, non divinam naturam" considerantes: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Cum Dominus trigesimum primum vel forte secundum ageret annum, propter nimium laborem, praedicationis instantiam, maioris aetatis esse videbatur. Dicit ergo eis Iesus: Antequam Abraham fieret ego sum. "Non dixit esset, sed fieret, quia creatura; non dixit factus, sed sum, quia creator".

VII – De Iesu absconsione a Iudaeis volentibus illum lapidare

13 – Sequitur septimum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se et exivit de templo. Iudaei ad lapides concurrunt, 'ut lapidem angularem lapidarent, qui duos parietes, iudaicum scilicet et gentilem populum, ex adverso venientes, in seipso copulavit'. Iudaei, paternae malitiae imitatores, Dominum prophetarum lapidare voluerunt, quorum patres 'Ieremiam in Aegypto lapidaverunt'. Unde de eis dicit Dominus in Matthaeo: Filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

14 – MORALITER. Falsi christiani, filii alieni, idest diaboli, qui mentiti sunt Domino, pactum Baptismi violando, duris peccatorum suorum lapidibus, patrem et dominum suum Iesum Christum, "a quo denominati sunt christiani", quantum in ipsis est quotidie lapidant; et ipsum, idest fidem ipsius, interficere conantur. Isti tales sunt sicut filii vulturis, qui patrem suum permittunt fame mori. Non sunt sicut filii gruis, qui se morti pro patre opponunt, quando falco insequitur patrem; 'quem senio confectum pascunt', quia tunc venari non potest. Pater noster, tamquam pauper esuriens, pulsat ad ostium, ut ei aperiamus et ei, si non cenam, saltem parvam buccellam demus. Ego, inquit in Apocalypsi, sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi intrabo ad illum et cenabo cum illo, et ipse mecum. Sed nos degeneres, tamquam filii vulturis, patrem nostrum

permittimus fame mori. Unde ipse conqueritur de nobis per Ieremiam: Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare dixit populus meus: Recessimus et non veniemus ultra ad te? Numquid obliviscitur virgo ornamenti sui, et sponsa fasciae pectoralis suae? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. Dominus non est solitudo aut terra serotina, quae nullum aut parvum fructum faciunt, sed est paradisus Domini et terra benedictionis, in quo quidquid seminaverimus centuplum accipiemus. Quare ergo miseri recedimus ab ipso et ipsius obliviscimur tam longo tempore? Sed anima, Christi sponsa, virgo fide et caritate, non potest oblivisci ornamenti sui, idest amoris divini, quo ornata incedit, et fasciae pectoralis suae, idest purae conscientiae, qua secura consistit. Simus, obsecro, fratres carissimi, tamquam filii gruis, ut, si necesse fuerit, pro patre, idest pro fide patris nostri, morti nos opponamus, et in hoc senescente iam mundo et cito casuro bonis operibus reficiamus, ne forte eveniat nobis quod subditur: Iesus autem abscondit se et exivit de templo. Et propter hoc ab hac praesenti dominica, quae in Passione Domini intitulatur, Gloria Patri in responsoriis dimittitur, nec tamen omnino subticetur, eo quod nondum traditus fuerat Dominus in manus lanistarum. Rogemus ergo et lacrimabiliter postulemus Dominum Iesum Christum, ut faciem suam ne a nobis abscondat, et ne de templo cordis nostri exeat, et in suo iudicio de peccato ne nos arguat, sed gratiam, ut verbum ipsius diligenter audiamus, infundat; in illata iniuria patientiam tribuat; a morte aeterna nos liberet; in suo regno glorificet, ut diem aeternitatis eius cum Abraham, Isaac et Iacob videre mereamur. Ipso praestante, cui est honor et potestas, decus et imperium in aeterna saecula. Dicat omnis Ecclesia: Amen.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

Themata sermonis

Evangelium in ramis palmarum: Cum appropinquasset Iesus, quod dividitur in quattuor clausulis. In primis sermo ad animam peccatoris de Christi Passione, ibi: Ascende in Galaad. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo in laudem beatae Virginis, ibi: Cum appropinquasset, et de struthione et ipsius significatione. Item sermo moralis ad peccatores conversos, ibi: Iesus ante sex dies Paschae. Item sermo de triplici lumine montis Oliveti et eius significatione. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra religiosos et clericos, qui in asina et pullo designantur, ibi: Tunc misit duos discipulos. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de Christi humilitate, paupertate et passione, ibi: Dicite filiae Sion. Item sermo contra superbos praelatos, ibi: Disperdam quadrigam ex Ephraim. Item sermo ad episcopum, ibi: Rex sedens super asinam. [DE QUARTA CLAUSULA]. Sermo ad imitandum exempla sanctorum, ibi: Sumetis vobis fructus arboris.

Exordium. Sermo de Christi Passione

1 – In illo tempore: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis et venisset Bethfage ad montem Oliveti etc. Loquitur Ieremias animae peccatrici: Ascende in Galaad et tolle resinam, virgo filia Aegypti. ‘Filia Aegypti est anima voluptatibus huius mundi obtenebrata’. “Aegyptus enim interpretatur tenebrae”. Unde Ieremias: Quomodo obtexit,

idest obtegi permisit, caligine in furore suo Dominus filiam Sion, idest animam, quae debet esse filia Sion! 'Haec dicitur virgo propter boni operis sterilitatem. Unde iterum Ieremias in Threnis: Calcavit Dominus torcular, idest poenam aeternam, virgini filiae Sion', quia prole boni operis sterilis permansit. Huic dicitur: Ascende pedibus amoris, passibus devotionis, in Galaad, "quod interpretatur acervus testimonii" ', idest in crucem Iesu Christi, in qua sunt coacervata plurima nostrae Redemptionis testimonia, clavi scilicet et lancea, fel et acetum et corona spinea; et exinde tolle resinam. 'Resina est lacrima emanans ab arbore. Resina omnium praestantissima est therebintina'. Haec est gutta pretiosissimi sanguinis, quae ab arbore, 'plantata in paradiso voluptatis', secus decursus aquarum, defluxit in reconciliationem humani generis. Tolle tibi ergo, o anima, resinam et inunge tua vulnera, quia 'haec est omnium medicaminum praestantissima et efficacissima ad vulnera sananda, ad remissionem conferendam et ad gratiam infundendam'. Ascende ergo in Galaad, ascende cum Iesu Ierosolymam, quia et ipse 'ascendit ad diem festum hunc'. Unde dicitur in hodierno evangelio: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio quattuor notantur. Primum, Iesu Christi Ierosolymis appropinquatio, cum praemittitur: Cum appropinquasset etc. Secundum, duorum discipulorum in castellum missio, cum adiungitur: Tunc misit duos discipulos suos etc. Tertium, regis mansueti, pauperis et humilis, super asinam et pullum eius sessio, ibi: Dicite filiae Sion etc. Quartum, turbae devotio et ipsius acclamatio, Osanna filio David etc., ibi: Turba autem plurima etc.

I – De Iesu Christi Ierosolymis appropinquatione

3 – Dicamus ergo: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis etc. Nota quod hanc viam Dominus fecit, cum Ierosolymis venit: primo Bethaniam, de Bethania in Bethphage, de Bethphage ad montem Oliveti, et a monte Oliveti venit Ierosolymam. Quid ista primo allegorice significent et postea moraliter videamus. Bethania, "quae interpretatur domus obedientiae", vel domus doni Dei, aut domus gratificata Domino, significat beatam Mariam, quae voci Angeli obedivit, et ideo caeleste donum, Dei Filium, suscipere meruit, et sic super omnes Domino grata facta fuit. Unde de ea dicitur in Parabolis: Multae filiae congregaverunt divitias, tu autem supergressa es universas. Nullius sancti anima tantas divitias virtutum congregavit sicut sancta Maria, quae, propter insigne humilitatis, florem illaesum virginitatis Dei Filium, qui est super omnia Deus benedictus, meruit concipere et parturire. Qui de hac Bethania venit in Bethphage, "quae interpretatur domus buccae". Haec fuit ipsius praedicatio. Ad hoc enim primo venit in Bethaniam, idest accepit ex Virgine carnem, ut postea veniret ad praedicationem. Unde ipse dicit in Marco: Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi praedicem: ad hoc enim veni. Et de Bethphage venit "ad montem Oliveti, idest misericordiae. Eleos enim misericordia interpretatur". Mons Oliveti excellentiam significat miraculorum, quae misericors et benignus caecis, leprosis, daemoniacis et mortuis misericorditer conferebat. Unde ipsi dicunt in Isaia: Tu, Domine, pater noster, redemptor noster: a saeculo nomen tuum. Pater noster 'creatione', redemptor noster miraculorum operatione, a saeculo nomen tuum, qui es Deus benedictus in saecula. Et de monte Oliveti venit Ierosolymam, negotium nostrae salutis, pro quo venerat, completurus, humanum genus, per quinque fere millia annorum inferni carcere captivum,

suo sanguine de manu diaboli redempturus. Christus enim sic nos liberavit sicut quaedam avis, quae struthio dicitur, filium suum liberavit. ‘Fertur quod sapientissimus rex Salomon, quamdam avem, scilicet struthionem habuit, cuius filium in vase vitreo reclusit, quem mater dolens videbat et habere non poterat; tandem prae nimia filii dilectione abiit in desertum, in quo vermem invenit; inventum detulit, delatum super vas vitreum rupit; cuius sanguinis virtus vitrum confregit, et sic struthio filium liberavit’. Quid avis, quid filius, quid vas vitreum et desertum, quid vermis et sanguis significent videamus. Ista avis significat divinitatem; filius, Adam et eius posteritatem; vas vitreum, carcerem infernalem; desertum, uterum virginalem; vermis, Christi humanitatem; “sanguis, eiusdem Passionem”. Deus ergo, ut humanum genus de carcere inferni, de manu diaboli liberaret, venit in desertum, “idest Virginis uterum”, ex qua accepit vermem, ‘idest humanitatem’. Unde ipse dicit: Ego sum vermis et non homo “tantum, quia Deus” et homo. Hunc vermem in crucis patibulo rupit, ex cuius latere sanguis exivit, cuius virtus portas inferni confregit et humanum genus de manu diaboli liberavit.

4 – Quid moraliter Bethania, Bethphage, mons Oliveti, Ierosolyma significent videamus. Dicit Ioannes in evangelio: Iesus autem ante sex dies Paschae, idest in sabbato, quod est ante dominicam palmarum, venit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Iesus. Fecerunt autem ei cenam ibi, et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum Iesu. Maria ergo accepit libram nardis pistici pretiosi, et unxit pedes Iesu. Matthaeus vero et Marcus dicunt quod ‘effudit super caput eius recumbentis’. “Bethania interpretatur domus afflictionis”. Haec est contritio cordis, de qua Propheta: Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. In hac domo resuscitatur Lazarus, “qui interpretatur adiutus”. In domo enim contritionis peccator resuscitatur, cum divina gratia adiuvatur, unde dicit cum Propheta: In ipso speravit cor meum et adiutus sum. Cum cor sperat, gratia adiuvat. Tunc cor de indulgentia sperat, cum ipsum dolor contritionis pro peccato cruciat. Sequitur: Fecerunt autem ei cenam, et Martha ministrabat. Duae sorores peccatoris, a peccati morte resuscitati, Martha scilicet, “quae provocans vel irritans”, et Maria, “quae interpretatur stella maris”, sunt timor poenae et amor gloriae. Timor poenae provocat peccatorem ad planctum et irritat quasi canem ad investigandum, ad confitendum peccatum et circumstantias peccati. Amor gloriae illuminat, timor satagit, amor inungit. Martha, inquit, ministrabat. Timor quid ministrat? Certe panem doloris, vinum compunctionis. Haec est cena Iesu, de qua dicit Matthaeus: Cenantibus autem eis, accepit Iesus panem; et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum Iesu. “Ut non phantasma sed ut vera eius resurrectio probaretur, comedit et bibit”. Quanta gratia! Peccator, qui prius occubuit, modo discumbit, cum Iesu et eius discipulis epulatur, ‘qui prius ventrem, idest mentem, de siliquis porcorum, idest immunditiis daemonum, implere cupiebat, et nemo illi dabat’. Sequitur: Maria ergo accepit libram nardi pistici pretiosi. “Libra duodecim unciis perficitur, et inde habetur perfecti ponderis genus, quia tot constat unciis quot mensibus annus. Dicta autem libra, quod sit libera et cuncta intra se pondera sint reclusa”. ‘Nardum pisticum, idest fidele et sine impostura, graecum est, pistis enim, graece, fides dicitur’. Libra, duodecim unciis constans, est fides duodecim apostolorum, perfecta et libera. Maria ergo, idest amor gloriae caelestis, libra nardi pistici, idest fide apostolorum duodecim, inungit caput Divinitatis et pedes Humanitatis, Christum Deum et hominem,

natum et passum, confitendo. ‘Et ita domus, “idest conscientia” poenitentis, repletur ex odore unguenti’, dicens cum sponsa in Canticis: O Domine Iesu, fune tui amoris ‘trahe me post te, ut curram in odorem unguentorum tuorum’, ut de Bethania veniam in Bethphage.

– ‘Bethphage interpretatur domus buccae, et significat confessionem’, in qua debemus esse velut mansionarii, non ‘tamquam hospites unius noctis praetereuntis’, ne nobis veniat quod dicit Ieremias: Haec dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et “ideo” non placuit; nunc recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum. Et de Bethphage venit ad montem Oliveti. Nota quod ‘mons Oliveti dicebatur mons trium luminum, quia illuminabatur a sole, a seipso, a templo. A sole, quia, ad orientem positus, solis radios suscipiebat; a seipso propter abundantiam olei, quam habebat; a templo propter luminaria, quae nocte in ipso ardebant et sic montem illuminabant’. Mons Oliveti est excellentia satisfactionis, ad quam debet venire poenitens de domo confessionis. Et bene satisfactio dicitur mons trium luminum. Homo enim, existens in poenitentiae satisfactione, illuminatur a sole iustitiae Iesu Christo, qui dicit: Ego sum lux mundi; a se ipso, quia debet habere abundantiam olei, idest misericordiae, in se et in proximo. Unde Iob: Visitans speciem tuam non peccabis. Quidam sanctus ait: Numquam melius anima videbit per veritatem speciem suam supra se, quam si caro se inclinet per caritatem ad speciem suam infra se. Illuminatur etiam a templo, idest fidelium conventu, quibus dicit Apostolus: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et de monte Oliveti venit Ierosolymam. Haec enim tria, cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio, perducunt ad lumen, Ierusalem caelestem, in aeternam beatitudinem. Bene ergo dicitur: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis etc.

II – De duorum discipulorum in castellum missione

6 – Sequitur secundum. Tunc misit duos discipulos suos dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est; et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite et adducite mihi. Quid duo discipuli, quid castellum, quid asina et eius pullus moraliter significent videamus. ‘Discipulus dictus, quod disciplinam discit’. Castellum est ubi est murus in circuitu et turris in medio. Asinus vel asina dicta, quasi alta sinens; ‘pullus quasi pollutus, quia recens est’. Duo ergo discipuli viri iusti, qui disciplinam pacis discunt, sunt mundi despectio et cordis humiliatio. Isti duo discipuli sunt Moyses et Aaron, qui Hebraeos educunt de Aegypto, duo vectes arcam testimonii portantes, duo cherubim propitiatorium versis vultibus prospicientes. Per Moysen, qui, ut dicit Apostolus ad Hebraeos, ‘maiores divitias existimavit thesauro Aegyptiorum improperium Iesu Christi’, mundi despectio figuratur. Per Aaron, qui, ut dicitur in libro Numeri, ‘ignem extinxit et iram Dei, ne in populum desaeviret, sedavit’, cordis humilitas designatur, quae extinguit ignem diabolicae suggestionis, et sedat iram divinae animadversionis. Isti duo discipuli, tamquam vectes inflexibiles, portant arcam testamenti, ‘idest doctrinam Iesu Christi’, vel obedientiam praelati; prospiciunt in propitiatorium, idest ipsum Iesum Christum, qui est ‘propitiatio pro peccatis nostris’; prospiciunt, inquam, in praesepio reclinatum, in cruce suspensum, in monumento sepultum. Hos duos discipulos mittit vir iustus, dicens: Ite in castellum quod contra vos est. Castellum, ut diximus, constat ex muro et turre: in muro temporalium abundantia, in turre diaboli superbia designatur. Sicut enim in muro lapis

lapidi superponitur et caemento conglutinatur, sic in abundantia temporalium pecunia pecuniae additur, ‘domus domui coniungitur, ager agro copulatur’, et caemento cupiditatis tenaciter colligatur. De hoc muro dicit Isaias: Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris. Ieremias fere haec eadem verba ponit: Cor meum, inquit, ad Moab quasi tibia sonabit, et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum. ‘In ventre, mens’; in cithara, vel tibia, praedicationis melodia designatur. Corde enim vel mente compuncta et praedicationis melodia Isaias et Ieremias, idest quilibet praedicator, debet sonare ad Moab, “qui interpretatur ex patre”, idest peccatorem, qui est ex patre diabolo, qui aedificat murum cocti et fictilis lateris, idest abundantiam temporalium: cocti, quia igne cupiditatis indurata, fictilis, quia cito casura. “Item, in turre notatur diaboli superbia. Haec est turris Babel, idest confusionis”, turris Siloe, ‘quae, ut dicitur in Luca, corruens decem et octo homines interfecit’. Contra hoc castellum mittit vir iustus duos discipulos suos, mundi scilicet contemptum, ut abundantiae transitoriae murum diruat, et cordis humilitatem, ut turrim superbiae deiciat.

7 – Et bene dicit: quod est contra vos; abundantia enim temporalis paupertati, superbia humilitati semper est contraria. In hoc castello asina alligata et pullus cum ea invenitur. Asina, alta sinens et per plana incedens, est vita clericorum et religiosorum, quae, relicta altitudine contemplationis, ‘tamquam pigra et stolida incedit per plana carnalis voluptatis’. Heu! quot delectationum vinculis, quot peccatorum funiculis haec asina alligata tenetur! Et pullum, inquit, cum ea. Huius asinae pullus est clericus et religiosus, ‘qui bene dicitur pullus, quia multis vitiis pollutus’. Hic invenitur cum asina, ipsius ubera, gulae scilicet et luxuriae, a posterioribus lactando. Unde de eis conqueritur Dominus per Ieremiam: Saturavi eos et moecati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Unde dicitur in eodem, quoniam ‘lumbare ipsius Ieremiae computruit in flumine Euphrate, ita ut nulli usui aptum esset’. ‘Lumbare enim castitatis’ clericorum et religiosorum in flumine Euphrate, “qui interpretatur frugifer”, idest abundantia temporalium – ex adipe enim procedit iniquitas –, ita computrescit, quod nulli usui apti sunt, nisi ut proiciantur in sterquilinium inferni. Solvite, inquit, et adducite mihi. O Domine Iesu, quid est quod dicis? Quis est qui vincula clericorum et falsorum religiosorum, divitias et honores et voluptates, quibus alligati tenentur, potest solvere et eorum superbiam edomare et ad te adducere? Omnes, inquit Ieremias, sunt quasi equus impetu vadens; et iterum dicit: Factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis ‘a similitudine et imagine qua feci eos; vel dissimilis a similitudine et imagine, quia non uno sed diversis vitiis sunt polluti. Unde subdit: Propheta et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum. Facti sunt mihi omnes quasi Sodoma et Gomorra. Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego cibabo eos absynthio, idest amaritudine mortis aeternae, et potabo eos felle, idest amaritudine remordentis conscientiae. A prophetis enim Ierusalem, idest clericis et religiosis, egressa est pollutio super terram. Solvite, inquit, et adducite mihi. Contemptus mundi et humilitas animi omnia vincula solvunt, et asinam et pullum Domino adducunt.

III – De Iesu Christi regis super asinam et pullum eius sessione

8 – Sequitur tertium. Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, “scilicet Zachariam”: Dicite filiae Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, et sedens super asinam et pullum filium subiugalis. Haec est littera in Zacharia: Exulta

satis, filia Sion; iubila, filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Ierusalem; et dissipabitur arcus belli. "Sion et Ierusalem, eadem civitas, quia Sion turris est in Ierusalem", caelestem Ierusalem significat, in qua est speculatio aeternitatis et visio continuae pacis. Filia huius est sancta Ecclesia, cui, "o praedicatores", dicite: Exulta satis opere, iubila mente. 'Iubilus enim cum tanta laetitia corde concipitur quanta sermonis efficacia non expletur'. Ecce Rex tuus, de quo Ieremias: Non est similis tui, Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Qui, ut dicitur in Apocalypsi, habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et dominus dominantium. Vestimentum eius panni sunt; femur est caro eius. In Nazareth enim carne coronatus est, tamquam diademate; in Bethleem pannis involutus est, tamquam purpura. Haec fuerunt prima insignia regni eius. In utroque saevierunt Iudaei, tamquam regno eum privare volentes; per ipsos enim in Passione et vestimentis suis spoliatus est et caro eius clavis affixa. Verum ibi magis consummatum est regnum eius; nam, post coronam et purpuram, non deerat ei nisi sceptrum; et hoc accepit, cum baiulans sibi crucem, ut dicit Ioannes, exivit in Calvariae locum; et Isaias: Factus est principatus super humerum eius; et Apostolus ad Hebraeos: Vidimus Iesum, per passionem mortis, gloria et honore coronatum.

9 – Ecce ergo rex tuus, tibi, idest ad utilitatem tuam, venit mansuetus, "ut ametur, non ut per potentiam timeatur", sedens super asinam. Zacharias dicit: Iustus et salvator, ipse pauper, ascendens super asinam. Propriae regis virtutes sunt duae: iustitia et pietas. Sic rex tuus iustus est, quoad iustitiam, reddens unicuique secundum opera sua; mansuetus et redemptor, quoad pietatem; ipse pauper, unde Apostolus in hodierna epistola: Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quia Adam in paradiso noluit servire Domino, Dominus formam servi accepit, ut serviret servo, ut de cetero servus non erubesceret servire Domino. In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Unde Baruch: Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. 'Ut est expressivum veritatis, non similitudinis'. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. De qua dicit AUGUSTINUS: "Redemptor noster captivatori nostro tetendit muscipulam crucem suam; posuit ibi escam sanguinem suum. Ille autem sanguinem fudit non debitoris, per quod recessit a debitoribus". Et beatus BERNARDUS dicit de Christo: "Tanti habuit obedientiam, ut vitam quam ipsam perdere maluerit, factus obediens Patri usque ad mortem", mortem autem crucis. 'Qui non habuit ubi caput reclinaret', nisi ubi, inclinato capite, tradidit spiritum.

10 – Ipse ergo pauper. Unde Ieremias: Expectatio lsrael, salvator eius in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quia futurus es velut vir vagus, et fortis qui non potest salvare. Deus noster, Dei Filius, quem expectabamus, advenit, et in tempore tribulationis, idest daemoniacae persecutionis, nos salvavit, et tamquam colonus, advena et peregrinus terram nostram excoluit, et aqua suae praedicationis rigavit. Qui fuit tamquam viator levis, idest a peccato immunis, explicans vias suas, "quia exultavit ut gigas ad currendam viam"; declinans caput in cruce, cum dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, ad manendum in sepulcro tribus diebus et tribus noctibus. Hic dicitur velut vir vagus secundum Iudaeorum aestimationem, qui ipsum vagum et instabilem reputabant. Unde,

cum diceret in Ioanne: Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, multi ex ipsis dicebant: Daemonium habet, et insanit; quid eum auditis? Propter formam servi, quam acceperat, impotens eis videbatur ad salvandum. Sed ipse fuit fortis vir, qui, manibus clavis confixis, diabolum superavit. Ecce ergo rex tuus tibi venit mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subiugatis, idest ipsius asinae sub iugo edomitae. Oh! utinam tantum regem, tantum sessorem clerici et religiosi vellent suscipere et tamquam mansueta animalia eum suaviter portare, ut cum ipso in Ierusalem supernam mererentur introire. Sed, quia sunt filii Belial, "idest absque iugo", qui ambulaverunt, ut dicit Ieremias, post vanitatem et vani facti sunt; et non dixerunt: Ubi est Dominus? qui confregerunt iugum et ruperunt vincula et dixerunt: Non serviemus, ideo de eis subdit Dominus in Zacharia: Disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli. Quadriga, quae quattuor rotis volvitur, est abundantia clericorum, quae consistit in quattuor, in latitudine scilicet possessionum, in multiplicatione praebendarum et reddituum, in lautitia ciborum et lascivia vestium. Hanc quadrigam Dominus disperget, 'et ascensorem eius proiciet in mare' infernale, et disperget equum, idest superbiam spumantem et effrenem religiosorum, qui, sub habitu religionis, sub praetextu sanctitatis, magnos se putant. Sed 'magnus et potens Dominus, qui humilia respicit, et magna deponit', istum equum proiciet de Ierusalem caelesti, in quam 'nullus intrabit, nisi qui se humiliaverit sicut parvulus', qui se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis.

11 – MORALITER. Rex sedens super asinam et pullum eius est iustus, carnem suam reprimens et appetitum eius refrenans. Unde Ieremias: Virgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium. 'In tympano, quod est pellis mortua in ligno extensa, carnis mortificatio; in choro, ubi voces consonant, unitatis concordia designatur'. Anima ergo tympanis ornatur et in choro ludentium egreditur, cum carnis mortificatione et unitatis concordia decoratur. In tympano, inquit Propheta, et choro laudate Deum. Aliter, rex sedens super asinam est episcopus, regens plebem sibi commissam, de quo dicit Salomon in Ecclesiaste: Beata terra, "idest Ecclesia", cuius rex nobilis est, et cuius principes, "idest praelati", vescuntur in tempore suo, ad reficiendum et non ad luxuriam. "Tantum comedunt ut vivant, non vivunt ut comedant"; vel vescuntur in tempore suo, quia non quaerunt hic remunerationem sed in futuro. Iste rex debet esse, ut supra dictum est, mansuetus, iustus, salvator et pauper. Mansuetus, circa subditos; iustus, circa superbos, infundens vinum et oleum; salvator, circa pauperes; pauper, inter divitias. Vel, mansuetus in illata iniuria; iustus in reddenda unicuique sua iustitia; salvator in praedicatione et oratione; pauper cordis humilitate et sui ipsius despectione. Beata asina, beata Ecclesia, quae talem habet sessorem. Sed episcopus nostri temporis est sicut 'Balaam, sedens super asinam, quae angelum videbat, quem Balaam videre non poterat'. 'Balaam interpretatur praecipitans fraternitatem, vel turbans gentem, vel devorans populum'. Hic est inutilis truncus, episcopus infamatus, qui malo suo exemplo praecipitat fraternitatem fidelium in peccatum, et postmodum in infernum; sua insipientia, quia idiota, turbat gentem; sua avaritia devorat populum. Iste talis, sedens super asinam, non dico videt angelum, sed videt diabolum, qui eum nititur praecipitare in infernum. Sed plebs simplex, dum recte credit, dum bene agit, videt angelum magni consilii, diligit et cognoscit Filium Dei.

IV – De turbae ad Christum devotione et acclamatione

12 – Sequitur quartum. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in terra; alii vero caedebant ramos de arboribus et sternebant in via; turbae quae praecedebant et quae sequebantur clamabant dicentes: Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini. Nota ista tria: straverunt vestimenta sua, caedebant ramos, clamabant: Hosanna! 'Vesstimenta sunt nostri corporis membra', quibus vestitur anima, de quibus dicit SaIomon: Omni tempore sint vestimenta tua candida. Haec debemus in via sternere, idest pro nomine Iesu morti et passioni exponere, ut ipsa gloriosa et immortalia in generali resurrectione mereamur recipere, quando 'hoc mortale induet immortalitatem et corruptibile hoc incorruptionem'. 'Rami sunt sanctorum patrum exempla', de quibus dicit Dominus in Levitico: Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimae spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et laetabimini coram Deo vestro. Arbor pulcherrima est gloriosa Virgo Maria cuius fructus fuerunt humilitas et paupertas. Palmae fuerunt apostoli, qui de hoc mundo palmam victoriae apportaverunt. "Spatulae sunt fructus palmarum antequam aperiantur", per quas intelligimus fidem, spem et caritatem apostolorum. Lignum densarum frondium est crux Iesu Christi, qui densas fidei frondes per totum mundum expandit. Rami huius ligni fuerunt quattuor cornua crucis, quae fuerunt in manibus Christi. In his quattuor cornibus fuerunt quattuor lapides pretiosi, qui sunt misericordia, obedientia, patientia et perseverantia. In superiori cornu fuit misericordia, in dextero obedientia, in sinistro patientia, in inferiori perseverantia. Salices de torrente, quae in viriditate permanent, omnes sanctos significant, qui in torrente istius fluxibilis mortalitatis virides in bono opere perseveraverunt. Sumamus ergo nobis fructus arboris pulcherrimae, idest paupertatem et humilitatem Virginis Mariae, spatulasque palmarum, idest fidem, spem, caritatem apostolorum, et ramos ligni densarum frondium, idest misericordiam, obedientiam, patientiam et perseverantiam Passionis Iesu Christi, et salices de torrente, idest virentia opera omnium sanctorum; et laetemur coram Domino Deo nostro, Iesu Christo, dicentes cum turbis et Hebraeorum pueris: Hosanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. "Hosanna interpretatur salus, vel salva, obsecro". Hosanna ergo, idest salus est filio David vel a filio David vel filio, idest per filium. Benedictus, "idest immunis a peccato", et ideo singulariter benedictus es, o tu Christe, qui venis in nomine Domini, 'idest in honorem Dei Patris', vel qui venis, idest qui venturus es; nam, "qui primum in forma servi apparuisti, tandem in gloria Domini apparebis". Hosanna in excelsis, idest salva in excelsis, quasi diceret: 'Qui salvasti redimendo in terris, salva, obsecramus, collocando nos in caelis'. Obsecramus ergo, benedicte Iesu, ut Ierusalem appropinquare nos facias per timorem et amorem tuum; de castello huius peregrinationis ad te nos reducas; super animas nostras tu, rex noster, requiescas: ut cum pueris, quos de hoc mundo elegisti, scilicet apostolis, in sancta civitate, aeterna beatitudine, te benedicere, te laudare et glorificare mereamur. Te praestante, cui est honor et gloria per aeterna saecula. Amen. Dicat omnis fidelis anima: Amen.

IN PASCHA DOMINI

Themata sermonis

Evangelium in Pascha Domini: Maria Magdalene, quod dividitur in quattuor clausulis. In primis sermo ad praedicatorem, qualiter debet conficere ex speciebus virtutum animae electuarium, ibi: Unguentarius faciet pigmenta. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de humilitate, ibi: Maria Magdalene. Item sermo de mundi contemptu et qualiter quilibet debet recipere Corpus Christi, ibi: Expurgate vetus fermentum. Item sermo de pace, ibi: In tribus placitum est spiritui meo, et de natura apum. Item sermo ad religiosos, ibi: Sume tibi aromata. Item sermo moralis de tranquillitate cordis, ibi: Et valde mane. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo ad volentes intrare religionem, ibi: Quis revolvet nobis. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo ad contemplativos, ibi: Et introeuntes. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo de decem apparitionibus Domini et earum significatione, ibi: Iesum quaeritis. Item sermo de resurrectione generali et quattuor dotibus corporis glorificati, quae in quattuor fluminibus designantur paradisi, ibi: Erit lux lunae sicut lux solis. Item sermo ad praedicatorem vel Ecclesiae praelatum, ibi: Tolle virgam. Item sermo ad poenitentes, ibi: Saga cilicina, et ibi: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza. Item sermo de misericordia circa pauperes, ibi: Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis.

Exordium. Sermo ad praedicatorem

1 – In illo tempore: Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum etc. Dicit Ecclesiasticus: Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis. “Pigmenta dicta, quod in pila et pilo agantur, quasi piligmenta”. Pigmenta sunt illae species, de quibus dicit anima poenitens in eodem Ecclesiastico: Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris; et quasi storax et galbanus et ungula et gutta. Hae species, ut ibi dici. GLOSSA, “sunt pigmenta pretiosa apud medicos, et significant virtutum species, quas ad curationem hominum adhibent veri vel spirituales medici”. ‘In myrrha poenitentia designatur’, quae vera esse non potest nisi ei istae quattuor species commisceantur, storax scilicet et galbanus et ungula et gutta. “Storax gutta est arboris profluens, odoris iucundissimi, et quasi mellosum liquorem emittens”; “galbanus est species quae odore suo fugat serpentes”; “ungula est quae in Exodo onycha dicitur, graece enim onyx, latine ungula, quia humano ungui assimilatur; gutta est quaedam species, quae quaslibet duritias curat et tumores sedat”. In storace ergo lacrimarum compunctio, quae in conspectu Dei redolent, et animae poenitentis ‘super mel et favum sunt dulciores’; in galbano, confessio, quae serpentes, idest daemones, fugat; in gutta, satisfactionis humilitas, quae duritiam mentis curat et superbiam corporis sedat, designatur. Sed, quia non omnis qui inceperit, sed ‘qui perseveraverit beatus erit’, ideo his debet adiungi ungula, quae est extrema pars corporis, idest perseverantia finalis. Haec ergo unguenta ‘pigmentarius, idest praedicator’, in pila, idest corde peccatoris, debet contundere, vel agere, pilo praedicationis, et balsamum non mixtum commiscere divinae miserationis, ut suavius sapiant palato animae poenitentis. Sequitur: Et unctiones conficiet sanitatis. Unctio, quae docet hominem de omnibus quae ei sunt necessaria, conficitur ex duobus, vino scilicet et oleo: vino, quod fluxit ex vite vera, crucis torculari compressa, et oleo, quo in die Pentecostes inuncta fuit primitiva Ecclesia, hoc est ‘sanguine Iesu Christi et gratia Spiritus Sancti’. Ex his duobus unguentarius debet unctiones conficere, ut membra Iesu Christi, quae sunt fideles Ecclesiae, cum tribus

mulieribus valeat inungere, de quibus dicitur in hodierno evangelio: Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio quattuor notantur. Primum, sanctarum feminarum devotio et aromatum emptio, cum praemittitur: Maria Magdalene etc. Secundum, lapidis revolutio, cum adiungitur: Et dicebant ad invicem etc. Tertium, angeli visio, ibi: Et introeuntes in monumentum etc. Quartum, Iesu Christi Resurrectio, ibi: Qui dixit illis: Nolite expavescere etc.

I – De sanctarum mulierum devotione et aromatum emptione

3 – Dicamus ergo: Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata etc. In his tribus feminis tres animae nostrae virtutes designantur, mentis scilicet humilitas, mundi contemptibilitas, pacis iucunditas. In Magdalena, a Magdalo castello, "quod turris interpretatur", sic dicta, mentis humilitas; in Maria Iacobi, 'quae supplantatrix interpretatur', 'minoris Iacobi matre', mundi contemptibilitas; in Salome, 'quae pacifica dicitur', 'Iacobi et Ioannis evangelistae matre', pacis iucunditas figuratur. Hae vero feminae uno nomine nuncupantur, scilicet Maria, "quae illuminatrix interpretatur", quia hae tres virtutes hominis mentem illuminant, in qua habitant. De qualibet ergo aliqua disseramus. Maria Magdalene, haec est mentis humilitas, quae tamquam turris in altum se exaltat, dum se nihil reputat. Unde Iacobus: Glorietur frater humilis in exaltatione sua, quia unde humiliatur inde exaltatur. De hac turre dicitur in Genesi, quod Iacob erexit tabernaculum trans Turrem gregis. In turre humilitas, in grege pura simplicitas designatur. Iacob ergo, idest vir iustus, suae vitae tabernaculum, in quo militat, 'cuius vita militia est super terram', figit trans Turrem gregis, quia in humilitate, quae est mater purae simplicitatis, constans existit. Et nota quod dicit trans turrem et non in turre, quia vir iustus, dum hic vivit, minus de se sentit quam sit. Unde de Magdalena dicit Ioannes: Maria stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum. Et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Nota verba singula. "Monumentum dictum, quod mentem moneat, ad recordationem scilicet defuncti", nostrae mortis memoriam, nostrae sepulturae recordationem significat; quae nos monent mente dolere et operibus poenitentiae insistere. Maria ergo stabat ad monumentum, quia humilis ad memoriam suae mortis stat sollicitus, ut, 'cum venerit, ipsum inveniat vigilantem'. Et qualiter stabat? Foris, inquit, plorans: foris, non intus. Foris nihil aliud est nisi ploratus et ululatus multus; Rachel, "quae interpretatur ovis", idest anima poenitentis simplex, plorat filios suos, idest opera sua, quae peccati perpetratione fuerunt mortua, et non vult consolari, quia non sunt ita bene viva sicut erant prius antequam fuissent mortua. Heu! quam facilis est descensus, sed difficilis ascensus! "Labitur exiguo, quod longo tempore partum est". Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum. Ecce vera humilitas poenitentis. Nota ista tria verba: fleret, inclinavit, prospexit. Fleret, ecce contritio; inclinavit, ecce confessio; prospexit, ecce satisfactio, cui vere intendit, cum oculum ad monumentum suae mortis dirigit. Et vidit, inquit, duos angelos. Isti duo angeli, "qui interpretantur nuntii", significant, moraliter, nostrae vitae miserum ingressum et amarum egressum. Nos, qui sumus corpus Iesu Christi, habeamus unum ad caput et unum ad pedes, nostrae vitae miserabilem ingressum et egressum attendentes. Qui bene dicuntur angeli, quia

nobis annuntiant nostri corporis fragilitatem, huius mundi vanitatem. Isti sunt duo angeli, qui, ut dicitur in Genesi, eduxerunt Lot de Sodomis, et dixerunt ei: Salva animam tuam; noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. Quisquis enim suae vitae ingressum et egressum bene consideraret, de Sodomis, idest mundi et peccati foetore, exiret animam suam salvaret; post tergum, idest ad praeterita peccata, non rediret; et in omni circa regione non staret – circa omnem regionem stat, qui circumstantias et imaginationes peccati, post peccatum dimissum, adhuc non dimisit –, sed in monte, 'idest vitae excellentia', se salvaret. Recte ergo per Magdalenam humilitas designatur.

4 – Cui Maria Iacobi, 'quae interpretatur supplantatrix, bene associatur. Haec est mundi contemptibilitas quae omnia transitoria, tamquam lutum, pedibus conculcat et veteris conversationis fermentum expurgat. Unde dicit Apostolus in hodierna epistola: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. "Fermentum, a fervore dictum, quod plus prima hora non potest contineri, crescendo enim excedit", "graece zyma dicitur". Unde in prosa: "Zyma vetus expurgetur, ut sincere praedicetur, nova resurrectio". Fermentum est cupiditas terrenorum et concupiscentia carnalium desideriorum, quae, postquam fervere incipiunt, omnem modum excedunt; quia avarus pecunia non implebitur, nec luxuriosus carnis petulantia saturabitur. Unde Isaias: Impii, idest avari et luxuriosi, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum; et: Non est pax impiis, dicit Dominus. Fluctus "maris", ferventis et inquieti, sunt desideria hominis perversi, 'quae ipsius animam conculcant', et in 'lutum faecis et miseriae, in quo porci, idest daemones, libenter habitant', redigunt. Expurgate ergo vetus fermentum. Unde Dominus praecipit in Exodo: Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de terra Israel. Septem diebus, 'idest omni tempore vitae nostrae', quae septem diebus circumvolvitur, fermentatum, fervens mundanae et carnalis concupiscentiae, non inveniatur in domibus, idest cordibus vestris. Alioquin anima eius, quae comederit, peribit de terra Israel, idest vita aeterna, in qua 'videbimus Deum facie ad faciem'. "Expurgate ergo vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi". Unde in Exodo: Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur, et ligans in palliis, posuit super humeros suos. Et paulo post subditur: Coxeruntque farinam, quam conspersam tulerant de Aegypto, et fecerunt subcinericios panes azymos. Nota quod in hac auctoritate tria notantur: contritio, confessio et satisfactio. "Farina, dicta a farre", quod est cibus infirmorum, est poenitentia, quae est cibus peccatorum, quam debemus conspergere aqua contritionis et ligare in palliis, idest conscientiis nostris, vinculo confessionis, et portare super humeros nostros per opera satisfactionis. Hanc farinam, ne fermentetur, igne, idest amore Spiritus Sancti coquamus, et panes subcinericios, nostrae mortalitatis scilicet viaticum, 'azymos sinceritatis et veritatis', ut sincere quoad nos, vere quoad Deum et proximum viventes, faciamus.

5 – Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. "Pascha, secundum AUGUSTINUM, non a passione, sed a transitu nominatur, quod illa die transivit exterminator per Aegyptum, vel Dominus liberans populum suum. Quo nomine significabant Agnum in hac die de mundo ad Patrem transiturum. Et nota quod pascha dicitur agnus et ipsa hora

vespertina, in qua agnus occidebatur, idest quartadecima luna primi mensis; et etiam dicitur dies azymorum, qui erant a quintadecima luna usque ad vicesimamprimam diem eiusdem mensis. Sed evangelistae indifferenter ponunt et dies azymorum pro pascha et pascha pro diebus azymorum. Unde Lucas: Appropinquabat, inquit, dies festus azymorum, qui dicitur Pascha". Pascha ergo nostrum immolatus est Christus. 'Hunc ergo agnum, pro nobis in cruce assatum, Deo Patri in reconciliationem humani generis immolatum, cum lactucis agrestibus, idest cordis amaritudine, eo modo quo praeceptum est filiis Israel, in hac paschali solemnitate comedamus'. Renes, inquit Dominus, vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter; est enim Phase, idest transitus, Domini. Nota ista tria verba: renes, calceamenta et baculos. "Renes dicti, quod ab his rivi obsceni humoris nascuntur. Nam venae et medullae tenuem liquorem desudant in renibus, qui liquor, rursus a renibus resolutus, calore venereo decurrit". 'Creatio renum est calida, et multae pinguedinis sunt renes', et ideo bene dicit Dominus: Renes vestros accingetis, 'idest carnis mortificatione calorem luxuriae refrenabitis. Calceamenta sunt exempla sanctorum', quibus debemus munire pedes, idest mentis affectus, ut securi super serpentes, idest diaboli suggestiones, et scorpiones, idest mundi falsas promissiones, calcare valeamus. 'Baculi in manibus sunt verba praedicationis in operibus'. Qui ergo vult corpus Domini digne sumere, cingulo castitatis renes accingat, exemplis sanctorum mentis affectus muniat, verba in operibus teneat; et sic cum veris Israelitis verum Pascha celebret, 'ut de hoc mundo transeat ad Patrem'. De tali transitu dixit quidam philosophus: Saeculum quasi pons est; transi, ne hospiteris. Et alius: Saeculum est pons instabilis, cuius introitus est matris uterus, eiusdem mors erit exitus. Bonum est ergo cum Maria Magdalena humilitatis turrim aedificare, et cum Maria Iacobi saeculum supplantare.

6 – His duabus adiungitur tertia, scilicet Salome. 'Haec est pacis iucunditas', de qua dicit Ecclesiasticus: In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier sibi consentientes. Ex hac triplici pace Deo et angelis eius gaudium et hominibus oritur iucunditas. Ecce, inquit Propheta, quam bonum et quam iucundum etc. Dicamus ergo: Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum. Dicit Lucas, quod mulieres, quae cum ipso venerant de Galilaea, viderunt monumentum et quemadmodum positum erat corpus eius. Et revertentes paraverunt aromata et unguenta; et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. "Mandatum erat, dicit GLOSSA super Matthaeum, ut sabbati silentium a vespera usque ad vesperam servaretur; ideoque religiosae mulieres, sepulto Domino, dum licuit operari, in unguentis praeparandis occupantur, idest parasceve usque ad occasum solis. Et quia prae angustia temporis non explere potuerunt, mox, transacto sabbato, idest occidente sole, ut operandi licentia rediit, festinaverunt emere aromata, ut mane venientes ungerent corpus Iesu". Istae devotae feminae festinabant; laborabant in unguentis praeparandis, sicut laborant apes in cera et melle conficiendis. Unde de eis dicitur in NATURALIBUS, quod "operationes apum sunt appropriatae; quoniam quaedam faciunt ceram et quaedam mel, et quaedam pistant, et quaedam ferunt aquam et congregant mel, et quaedam exeunt ad operationem in principio diei, et quaedam quiescunt usquequo expergefiant ab aliqua. Deinde volant et exeunt simul ad operandum". Istam apem, quae alias dormientes evigilare facit, intelligo beatam Magdalenam, quae, quia multum diligebat, alias forte ad unguenta praeparanda

sollicitabat. ‘Beata vero Maria postquam Dominus eius Filius sepultus fuit, a monumento, ut quidam dicunt, nusquam discessit, sed continue ibidem lacrimans vigilavit, donec resurgentem prima videre meruit, et ideo in eius honore a fidelibus sabbatum celebratur’.

7 – A simili, fideles animae, humilitatis, paupertatis et pacis splendore illuminatae, emant bonae voluntatis ‘denario, imagine imperatoris insignito’, illa aromata, de quibus loquitur Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: Sume tibi aromata, primam myrrham et electam, cinnamomum, calamum, casiam et oleum de olivetis, faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum, opere unguentarii; et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, et candelabrum et utensilia eius, altaria thymiamatis et holocausti. In myrrha prima et electa, devotio mentis, quam primo nobis debemus eligere; ‘in cinnamomo, quod cinerei est coloris, memoria mortis’; in calamo, melodia confessionis; ‘in casia, quae habet esse in locis aquosis et in altum surgit, fides, quae in aquis Baptismi nutritur’ et in altum per caritatem elevatur; ‘in oleo de olivetis misericordia cordis intelligitur’. Ex his quinque debemus facere sanctum unguentum nos sanctificans, opere unguentarii, idest Spiritus Sancti, compositum. Ex hoc unguento debent inungi ista quinque, scilicet tabernaculum testimonii, idest pauperes Iesu Christi, cuius paupertatis charactere insigniti, dum sunt in hoc mundo, peregrinantur a Domino; et arca testamenti, idest illi qui in plaustro novo, idest corde et corpore, per poenitentiam innovato, deferunt arcam obedientiae; mensaque cum vasis suis, idest illi qui panes duodecim, idest doctrinam duodecim apostolorum, cum pugillo thuris, idest humilitate devotae mentis, et patena aurea, idest claritate fraternae caritatis, omnibus proponunt; et candelabrum et utensilia eius, idest omnes sancti Ecclesiae praelati, qui suae dignitatis candelabrum non sub modio, idest sub lucro temporali, abscondunt, sed in monte, idest vitae sanctae excellentia, superponunt, ‘ut omnibus, qui in domo, idest in Ecclesia, sunt, luceat’ et viam ostendat; et non tantum candelabrum sed eius utensilia, idest omnes alii in minori ordine costituti; altaria holocausti et thymiamatis. In altari holocausti, activi, qui se totos necessitati offerunt proximi; in altari thymiamatis contemplativi, qui caelestis dulcedinis suavitatem sunt experti, designantur. Ex tali ergo unguento, opere Spiritus Sancti composito, omnes isti quos diximus, qui sunt membra Iesu Christi, in cruce poenitentiae crucifixa, mundo mortua, in monumento caelestis conversationis a conturbatione hominum sepulta, debent inungi.

8 – Dicamus ergo: Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Matthaeus sic dicit: Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Lucas sic: Una autem sabbati, valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes quae paraverant aromata. Ioannes sic: Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum. “Marcus ait: Valde mane, in quo non discordat a Luca et Ioanne. Matthaeus ex prima parte noctis, idest a vespera, noctem significat, cuius fine venerunt ad monumentum. Unde sic intellige: Vespere, idest nocte quae lucescit, idest terminatur luce, quod non prima pars noctis [sed] extrema pars noctis est diluculum, quo venerunt. Vespere ergo sabbati, idest nocte diei sabbati; vespere ecquidem coeperunt venire, idest aromata praeparare, sed lucescente mane pervenerunt. Quod Matthaeus, causa brevitatis, ponit obscurius, alii apertius”. MORALITER. Et valde mane una sabbatorum etc. Mane,

idest in ortu gratiae, sine qua nox est in anima, de qua Propheta: Mane astabo tibi 'rectus et erectus, sicut me fecisti rectum et erectum'. Una sabbatorum sanctae animae veniunt ad monumentum. Aperte dicitur, quod una sabbatorum veniunt, quia, nisi a sollicitudine temporalium animus quiescat, ad Deum non appropinquat. Unde dicit Dominus in Ieremia: Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem. "Sabbatum interpretatur requies"; "Ierusalem est anima", "portae sunt quinque sensus corporis". Illi ergo pondera in die sabbati portant et per portas Ierusalem inferunt, qui, inquietudine temporalium impliciti, "pondera peccatorum", sarcinas saecularium curarum per portas quinque sensuum ad animam intromittunt, et ideo ipsam a peccatis non custodiunt. Sed fideles animae, omni strepitu muscarum Aegypti postposito, una sabbatorum veniunt ad monumentum.

II – De lapidis ab ostio monumenti revolutione

9 – Sequitur secundum. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. ALLEGORICE. "Lapidis revolutio reserationem sacramentorum Christi, quae velamine litterae legis tecta erant, insinuat. Lex enim in lapide scripta est, cuius ablato tegmine, gloria resurrectionis ostensa est, et abolitio mortis antiquae, et vita nobis speranda perpetua toto coepit orbe praedicari". MORALITER. Lapis tunc revolvitur, cum per gratiam pondus peccati tollitur. Quando autem hoc fiat, et quomodo se debeat habere homo, ut hoc fiat in eo, dicitur in Genesi: 'Mos erat ut, cunctis ovibus congregatis, evolverent lapidem de ore putei'. Si ergo vis ut evolvatur lapis peccati, qui te premit ne resurgas, congrega oves, idest innocuas cogitationes, in Christo. Unde ibi subditur: Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui; nam gregem ipsa pascebat. "Rachel, quae interpretatur ovis", oves pascit, quia homo simplex innocuas cogitationes nutrit. Item, moraliter, ad monumentum vadit, qui in aliquo monasterio vel religione poenitentiam agere proponit. Sed, considerans lapidis magnitudinem, religionis asperitatem, dicit: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Magnus est lapis, ingressus difficilis, vigiliarum instantia, ieiuniorum frequentia, ciborum parsimonia, vestis aspera, disciplina dura, paupertas voluntaria, obedientia prompta; et quis revolvet nobis hunc lapidem ab ostio monumenti ? O mentes femineae, accedite et respicite, nolite diffidere, et videbitis revolutum lapidem. Angelus, inquit Matthaeus, descendit de caelo, et revolvit lapidem, et sedebat super eum. 'Angelus est gratia Sancti Spiritus', qui lapidem ab ostio monumenti removet, fragilitatem confortat, omnem asperitatem mollificat, omnem amaritudinem sui amoris balsamo indulcat. 'Equus, inquit Propheta, idest bona voluntas, paratur ad bellum et Dominus salutem tribuit'. "Amanti enim nihil difficile".

III – De Angeli visione

10 – Sequitur tertium. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. MORALITER. 'Monumentum est vita contemplativa, in qua, sicut in monumento, homo, mundo mortuus, absconditus sepelitur'. Unde Iob: Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Vir iustus, exsumatis paleis temporalium, de mundo egrediens, in abundantia divinae gratiae, ingreditur sepulcrum vitae contemplativae, in qua sicut

acervus tritici reponitur, quia caelesti dulcedine in contemplatione eius anima reficitur. Hic, ingrediens in monumentum, videt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida. "Iuvenis dictus, quod iuvare paratus", est Dei Filius, qui tamquam iuvenis nos adiuvit et adiuvare semper est paratus. Unde bene dicitur: Sedebat in dextris. Dextera dicta, quasi dans extra. Bene nos adiuvit, cum divinitatem nobis dedit et humanitatem nostram accepit, ut, qui eramus extra, essemus intra; ut nos intraremus ille exivit, et stola candida, idest carne sine omni macula, se cooperuit. Dicit beatus BERNARDUS: "Post omnia beneficia dextrum sibi latus fodi voluit, ad ostendendum quod nonnisi de dextera in dexteram nobis voluit locum praeparare". Hunc iuvenem vir iustus, de mundo egrediens, monumentum ingrediens, debet videre, debet contemplari, eo modo quo dicit beatus BERNARDUS: Docendus est, inquit, animalis incipiens et Christi tirunculus Deo appropinquare, ut Deus appropinquet ei. Admonendus, quanta potest puritate cordis intendere in eum, cui sacrificium orationis suae offert. Quantum enim videt vel intelligit eum cui offert, tantum ei in affectu est, et ei amor ipse intellectus; quantum ipse ei in affectu, tantum sapit ei hoc ipsum si dignum Deo est quod offert, et in eo bene sibi est. Huiusmodi tamen oranti vel meditanti melius ac tutius proponitur imago dominicae Humanitatis, Nativitatis eius, Passionis, Resurrectionis, ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corpora et corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui, iuxta modum suum, pietatis intuitu inhaereat. Est quippe in forma Mediatoris in quo, sicut legitur in Iob, 'visitans homo speciem suam non peccabit'. Hoc est: cum intentionis suae intuitum in eum dirigit, humanam in Deo speciem cogitando, [a vero] nusquam recedat, et, dum per fidem Deum ab homine non dividit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscit. In quo pauperibus spiritu et simplicioribus filiis Dei tanto animo solet esse affectus dulcior, quanto naturae humanae propinquior. Postmodum vero, fide migrante in affectum, amplexantes in medio cordis sui, dulci amoris amplexu, Christum Iesum, totum hominem, propter hominem assumptum, totum Deum, propter assumentem Deum, incipiunt eum iam non secundum carnem cognoscere, quamvis eum nec Deum secundum Deum plene possunt cogitare, et, sanctificando eum in cordibus suis, offerre ei amant vota sua", et cum sanctis mulieribus aromata sua, de quibus dicitur: Et introeuntes in monumentum, viderunt iuvenem sedentem in dextris etc.

IV – De Iesu Christi Resurrectione

11 – Sequitur quartum. Qui dixit illis: Nolite expavescere; Iesum quaeritis Nazarenum, crucifixum; surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius et Petro, quia praecedet vos in Galilaeam ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. "Radix amara evanuit crucis, flos vitae cum fructibus erupit", idest, "qui iacuit in morte, surrexit in gloria". "Mane surrexit, sero sepultus est, ut adimpleretur: Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia. Sepultus ergo sexta sabbati, quae vocatur Parasceve, circa vesperam, sequenti nocte et die sabbati cum sequenti nocte in monumento positus, die tertia, idest mane prima sabbati, surrexit. Et bene una die et duabus noctibus in sepulcro iacuit, quia lucem suae simplae mortis nostrae duplae mortis tenebris adiunxit. In morte enim animae et spiritus tenebamur; unam ad nos suam, idest carnis, mortem attulit, et duas nostras solvit. Simplam suam duplae nostrae contulit, et duplam nostram moriens abstulit". Nota quod "Dominus discipulis suis decies post Resurrectionem legitur apparuisse. Quinquies ipso die Resurrectionis. Primo, Mariae Magdalenae; secundo,

mulieribus redeuntibus de monumento; tertio, Petro, secundum illud: Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni; quarto, duobus euntibus Emmaus; quinto, decem apostolis ianuis clausis, absente Thoma; sexto, octava die, quando apparuit discipulis et Thomas fuit cum illis; septimo, quando manifestavit se septem discipulis in piscatione; octavo, in monte Thabor, ubi constituerat Dominus, ut convenirent; et ita ante diem Ascensionis apparuit octies. Ipsa die Ascensionis duabus vicibus, scilicet, cum comederent undecim in cenaculo, unde Lucas: Et convescens, praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, et iterum post comestionem. Undecim discipuli et alii et beata Virgo cum aliis mulieribus venerunt ad montem Oliveti, ubi apparuit eis Dominus, et, ipsis videntibus, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum". Quid istae decem apparitiones moraliter significent, videamus.

12 – Primo apparuit Mariae Magdalenae. Animae enim poenitenti primo quam ceteris apparet gratia Domini. Unde in Exodo: Apparuit manna in solitudine minutum, et quasi pilo tonsum in similitudinem pruinae super terram. "In solitudine, idest in poenitente", apparet manna divinae gratiae, minutum in contritione, pilo tonsum in confessione, in similitudinem pruinae in satisfactione. Secundo apparuit mulieribus redeuntibus de monumento. Illis enim qui a monumento, idest suae mortis miserabili egressu, redeunt, ad considerandum suae nativitatis flebilem ingressum, apparet Dominus. Unde in Genesi: Apparuit Dominus Abrahae in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. 'Abraham est vir iustus'; 'convallis, duplex humilitas'; "Mambre interpretatur perspicuitas"; 'tabernaculum, corpus'; 'ostium, vitae ingressus et egressus'; fervor diei, compunctio animi. Dominus ergo apparet viro iusto, existenti in duplici humilitate cordis et corporis, quae perducit ad perspicuitatem gloriae caelestis, et sedenti in ostio sui tabernaculi, idest consideranti nativitatem sui corporis et mortem; et hoc totum debet considerare in fervore compunctionis. Tertio apparuit Petro. Unde Ieremias: Dominus apparuit mihi. Et in caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. Rursumque aedificabo te. Dicit Petrus: Dominus resurgens a mortuis apparuit mihi, mihi poenitenti, mihi amare lacrimanti! Et respondit Dominus: In caritate perpetua dilexi te. Unde: Conversus Dominus respexit Petrum. Ideo respexit, quia dilexit; ideo funiculo amoris attraxi te miserans. 'Non vult, inquit AUGUSTINUS, peccatoribus inferre vindictam, qui confitentibus quaerit dare veniam'. Rursumque reaedificabo te, in culmen apostolatus. Unde: Ite, dicite discipulis eius, et Petro. Ibi GREGORIUS: "Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione; nisi enim eum angelus nominatim exprimeret, qui magistrum etiam negaverat, inter discipulos venire non auderet". Quarto apparuit duobus discipulis euntibus in Emmaus. 'Emmaus interpretatur desiderium consilii', illius scilicet quod consulit Dominus, dicens: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes et da pauperibus etc. Duo discipuli duo significant praecepta caritatis, Dei scilicet et proximi. Habenti ergo caritatem et desideranti Iesu Christi paupertatem, apparet Dominus. Unde dicitur in Genesi quod 'ascendit Isaac in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus'. "Bersabee interpretatur puteus satians". Haec est caritas et humilitas, quae animam satiant, quas qui habet non sitiet in aeternum. Quinto apparuit decem discipulis in unum congregatis, ianuis clausis. Cum enim discipuli, idest affectus rationis, in uno et ad unum congregantur, et ianuae quinque sensuum a vanitate clauduntur, tunc vere menti apparet gratia Spiritus Sancti. Unde in Luca: Zacharias ingressus templum Domini, apparuit illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Cum Zacharias, "qui

interpretatur Domini memoria", idest vir iustus, qui in thesauro suae memoriae reposuit Dominum, ingreditur templum Domini, idest conscientiam suam, in qua habitat Dominus; tunc 'angelus Domini, idest gratia Spiritus Sancti', apparet illi, illum illuminans, stans a dextris altaris incensi. Altare incensi est mentis compunctio; 'dextra, pura intentio'. Gratia ergo Domini stat a dextris altaris incensi, quia illam compunctionem approbat, illud incensum laudat vel recipit, quod ex pura intentione mentis iustus emittit.

13 – Sexto apparuit octava die discipulis, quando erat Thomas cum eis, ex cuius corde omnem dubietatem abstulit. Cum enim in octava generalis resurrectionis erimus, omnis dubietatis rugam et omnis mortalitatis et infirmitatis maculam nobis auferet. Unde Isaias: Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagae eius sanaverit. Nota ista duo verba: vulnus et plaga. 'Vulnus quoad animam, plaga quoad corpus. In vulnere, animae immunda cogitatio; in plaga mors corporis designatur'. Sed in die generalis resurrectionis, quando 'sol et luna, ut dicit ISIDORUS, in Libro creaturarum, mercedem sui laboris accipient, quia sol in oriente septempliciter quam modo fulget immobilis fulgebit et ardebit, ita quod eos qui sunt in inferno cruciabit; et luna, persistens in occidente, ea claritate lucebit, qua modo sol lucet'. Tunc vere, vere alligabit Dominus vulnus animae nostrae, quia, ut dicit Propheta, 'nulla bestia, idest nulla mala cogitatio, transibit per Ierusalem'. Immo, ut dicit Ioannes in Apocalypsi, erit civitas, 'idest anima nostra', aurum mundum simile vitro mundo. Quid clarius auro? Quid mundius vitro? Et quid, obsecro, in generali resurrectione erit clarius et mundius anima hominis glorificati? Tunc percussuram plagae nostrae, qua propter inobedientiam primi parentis percussi fuimus, sanabit Dominus, 'cum mortale hoc induet immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptibilitatem'. In illa generali resurrectione 'paradisus Domini, idest gloria nostri corporis glorificati, quattuor fluminibus, Phison, Gehon, Tygri et Euphrate, rigabitur', idest quattuor dotibus, scilicet claritate, subtilitate, agilitate et immortalitate, decorabitur. "Phison, oris mutatio; Gehon, pectus; Tygris, sagitta; Euphrates, frugifer interpretatur". Per Phison resurrectionis claritas designatur, in quam a tanta foeditate, tanta obscuritate, ad instar solis immutabimur. Unde: Fulgebunt iusti sicut sol etc. Per Gehon, subtilitas; sicut enim pectus hominis non disiungitur, non laeditur, non aperitur, nec aliquem dolorem patitur, cum a corde cogitationes exeunt, sic corpus glorificatum tantae erit subtilitatis, quod nulla res erit ei impenetrabilis; et tamen infrangibilis, indissolubilis, clausa et solida remanebit, sicut de corpore Christi iam glorificato, quod 'ianuis clausis ad apostolos intravit'. Per Tygrim, agilitas, quae bene in sagittae velocitate designatur. Per Euphratem, immortalitas, in qua 'inebriabimur ab ubertate domus Dei', in qua plantati, tamquam arbor vitae in medio paradisi, fructificabimus, poma scilicet aeternae satietatis, quibus satiati non esuriemus in aeternum.

14 – Item, septimo apparuit septem discipulis in piscatione. 'Piscatio est praedicatio', in qua laborantibus apparet Dominus. Unde dicitur in libro Numeri, quod apparuit gloria Domini super Moysen et Aaron; locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et iumenta eius. Moyses in hoc loco praedicatorem significat. "Aaron interpretatur mons fortis", in

quo duo, vitae scilicet excellentia et fortitudinis constantia, designantur. Sine tali fratre numquam debet procedere Moyses, cui Dominus: Tolle, inquit, virgam praedicationis, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, sine quo populus numquam bene congregatur; "quia cuius vita despicitur, restat ut eius praedicatio contemnatur"; et loquimini ad petram, 'idest cor durum peccatoris', et illa dabit aquas compunctionis. Et bene dixit loquimini, et non loquere. Si enim tantum praedicator loquitur et vita obmutescit, aqua de petra non exit. 'Maledixit Dominus ficulneae, in qua non invenit fructus sed folia tantum': 'tales vestes habuerunt exules paradisi'. Loquatur ergo Moyses et Aaron, et exibit aqua et bibent multitudo populi et iumenta, idest tam clerici quam laici, tam spirituales quam carnales satiabuntur aqua compunctionis. Haec est illa multitudo, de qua dicit Ioannes: Miserunt rete et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.

15 – Item, octavo 'apparuit undecim discipulis in monte Galilaeae'. "Galilaea interpretatur transmigratio", et significat poenitentiam, in qua fit transmigratio, cum homo a ripa peccati mortalis, per pontem confessionis, transit ad ripam satisfactionis. In monte ergo Galilaeae, idest excellentia poenitentiae, apparet Dominus undecim discipulis, idest poenitentibus, qui bene dicuntur undecim, quia 'undecim fuerunt saga cilicina, ut dicitur in Exodo, quibus tectum tabernaculi cooperiebatur'. 'In sagis cilicinis duo notantur: asperitas poenitentiae et foetor peccati', cui se obnoxios poenitentes confitentur. Ex his sagis cooperitur tectum tabernaculi, idest Ecclesiae militantis; sustinent enim ardorem solis; 'portant pondus diei et aestus'; 'defendunt cortinas, bysso, hyacintho et purpura coccoque bis tincto contextas, idest Ecclesiae fideles', 'bysso castitatis, hyacintho contemplationis, purpura dominicae Passionis coccoque bis tincto geminae dilectionis decoratos', 'ab inundatione pluviarum, idest pravitate haereticorum, a turbine, idest diaboli suggestione, et sorde pulveris, idest mundanae vanitatis'. Undecim ergo discipulis apparuit Dominus. Unde in Genesi dicit Iacob: Deus omnipotens. apparuit mihi in Luza, quae est in terra Chanaan. "Luza interpretatur amygdalum", et significat poenitentiam, 'in qua, sicut in amygdalo, sunt tria: cortex amarus, testa solida, nucleus dulcis. In cortice amaro, amaritudo poenitentiae; in testa solida, constantia perseverantiae; in nucleo dulci spes veniae designatur'. Apparet ergo Dominus in Luza, quae est in terra Chanaan, "quae interpretatur commutatio". Illa enim est vera poenitentia, in qua homo commutatur de sinistra in dextram, et transmigrat cum undecim discipulis in montem Galilaeae, ubi apparet Dominus. Item, nono 'apparuit recumbentibus illis', ut dicit Marcus, in ipso die Ascensionis, in quo, 'convescens cum eis, ut dicit Lucas, praecepit ab Ierosolymis ne discederent'. Illis enim, qui in cenaculo suae mentis ab inquietudine saecularium recumbunt, idest quiescunt, et panem lacrimarum, in peccatorum suorum recordatione et caelestis dulcedinis degustatione, vescuntur, apparet Dominus. Unde in Genesi: Apparuit Dominus Isaac et ait: Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, et peregrinare in ea: eroque tecum et benedicam tibi. Tria Dominus praecipit viro iusto: ne in Aegyptum, idest inquietudinem saecularium, ubi conficiuntur lateres, luto luxuriae, aqua avaritiae, palea superbiae, descendat; sed in terra mentis suae quiescat; et 'omnibus diebus vitae suae, quibus nunc militat', se peregrinum reputet. Et sic Dominus erit cum eo, benedictioneque dexterae ei benedicet.

16 – Item, decimo apparuit eis, cum, ut dicit Lucas, adduxit eos foras in Bethaniam, 'in montem scilicet Oliveti', et elevatis manibus suis benedixit eis; et videntibus illis elevatus

est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. In monte Oliveti, ‘idest misericordiae’, existentibus apparet Dominus. Unde dicitur in Exodo: Apparuit Dominus Moysi, in flamma ignis de medio rubi; et videbat quod rubus arderet, et non combureretur, Moysi, idest viro misericordiae, apparet Dominus in flamma ignis, idest compassione mentis. Sed, unde egreditur ista flamma? De medio rubi, idest pauperis, spinosi, tribulati, famelici, nudi, afflicti; cuius paupertatis spinis iustus compunctus, ad compassionem inflammatur, ut ipsius misereatur; et sic poterit videre quod rubus, pauper, ardebit maiore devotione, et non comburetur paupertate. Eia ergo, fratres carissimi, qui in hac paschali Resurrectione estis congregati, obsecramus vos, ut cum sanctis feminis ematis virtutum aromata, denario bonae voluntatis, qua membra Christi, suavitate verbi et odore boni exempli, inungere possitis, ad memoriam vestrae mortis veniatis et in monumentum caelestis contemplationis introeatis, in qua magni consilii angelum, Dei Filium, ad dexteram Dei Patris residentem, videbitis. Qui in generali resurrectione, ‘cum venerit iudicare saeculum per ignem’, vobis gloriosus, non dico tantum decies, apparebit, sed semper; in aeternum et in saeculum saeculi ipsum sicuti est videbitis, cum ipso gaudebitis, cum ipso regnabitis. Quod nobis praestare dignetur qui a mortuis resurrexit, cui est honor et gloria, imperium et potestas, in caelo et in terra, in aeterna et per aeterna saecula. Dicat omnis fidelis anima, in hac paschali laetitia: Amen, Alleluia.

DOMINICA IN OCTAVA PASCHAE

Themata sermonis

Evangelium in octava Paschae: Cum esset sero die illo, quod in quinque clausulis dividitur. In primis sermo de praedicatore et quibus debet praedicare, ibi: Ego eram in civitate Ioppe. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo contra mundi prosperitatem, ibi: Diem hominis non concupivi. Item sermo ad peccatores conversos, ibi: Cum esset sero die illo, et ibi: Totus mons Sina fumabat. Item sermo de foribus, quae sunt quinque sensus corporis, ibi: Et fores essent clausae. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de triplici pace et de caritate et de natura elephantum, ibi: Venit Iesus. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de absolutione Dei et sacerdotis, et quo ordine quis resuscitatur a morte animae ad poenitentiam, ibi: Accipite Spiritum Sanctum, et ibi: Aurum et argentum. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo in Resurrectione Domini, ibi: In die illo suscitabo tabernaculum David. DE QUINTA CLAUSULA. Sermo de lacte divinae misericordiae, ibi: Quasi modo geniti infantes, et de elephantum castitate.

Exordium. De praedicatore et quibus debet praedicare

1 – In illo tempore: Cum esset sero die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum, venit Iesus et stetit in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis. In Actibus apostolorum dicit Petrus: Ego eram in civitate Ioppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam, velut linteum magnum quattuor initiis summitti de caelo; et venit usque ad me; in quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terrae, et bestias et reptilia et volatilia caeli. Audivi autem et vocem dicentem mihi: Surge, Petre, occide, et manduca. Petrus praedicatorem

significat, qui in civitate Ioppe, "quae interpretatur pulchritudo", idest in unitate Ecclesiae, in qua est pulchritudo virtutum, extra quam est lepra infidelitatis, debet esse orans. Hoc primum oportet praedicatorem facere, orationi scilicet intendere; post quam sequitur mentis excessus, idest elevatio a terrenis, in qua videt vas quoddam, velut linteum etc. 'In vase et linteo magno gratia praedicationis designatur', quae bene dicitur vas, quia vino compunctionis inebriat mentes fidelium; linteum magnum, quia extergit sudores laborum et recreat ad tolerantiam passionum; "quattuor initiis, idest evangelistarum doctrinis quattuor", summitti de caelo, quia omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est. Et venit usque ad me. In hoc specialius privilegium praedicatoris notatur, ad quem vas praedicationis specialiter de caelo mittitur. In hoc vase sunt quadrupedia terrae, idest gulosi et luxuriosi; et bestiae, 'quae dicuntur quasi vastiae', idest proditores et homicidae; et reptilia, idest avari et usurarii; et volatitia caeli, "idest superbi" et penna vanaegloriae elevati. Vas istud est 'sagena missa in mare, ex omni genere piscium congregans', de qua praedicatori dicitur: Surge, occide et manduca. Surge "ad evangelizandum"; "occide mundo; mortifica et macta, ut hostiam facias Deo, ut, eruti de vetustate, in novitatem transeant"; et manduca, "idest recipe in unitatem et congregationem corporis Ecclesiae". De cuius unitate et congregatione dicitur in hodierno evangelio: Cum esset sero die illo una sabbatorum etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio quinque notantur. Primum discipulorum congregatio, cum praemittitur: Cum esset sero etc. Secundum, trinae pacis recommendatio, cum additur: Venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis. Tertium, ligandi et solvendi apostolis data potestas, ibi: Et hoc cum dixisset insufflavit etc. Quartum, Thomae dubietas, ibi: Thomas autem unus ex duodecim etc. Quintum, Thomae confessio et nostrae fidei confirmatio, ibi: Et post dies octo. Nota quod in hac dominica dicitur epistola beati Ioannis: Omne quod natum est ex Deo vincit mundum. Et in nocte legitur, secundum consuetudinem romanae Ecclesiae, Actus apostolorum. Cuius quinque historias volumus breviter tangere et quinque supradictis sancti evangelii clausulis concordare. Prima est de congregatione apostolorum in Ierusalem, ibi: Tunc reversi sunt Ierosolymam a monte qui vocatur Oliveti. Secunda, ibi: In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum etc. Tertia, de claudo a matris utero, cui dixit Petrus: Aurum et argentum non est mihi etc. Quarta, de Sauli conversione. Quinta, de Eunucho et Cornelio centurione.

I – De discipulorum congregatione

3 – Dicamus ergo: Cum esset sero die illo etc. In hac prima clausula ista quinque sunt notanda: sero, dies illa, una sabbatorum, fores clausae et congregati discipuli propter metum Iudaeorum. 'Dies, dicta a dian, quod est claritas', mundanae vanitatis claritatem significat, de qua dicit Dominus in Ioanne: Claritatem ab hominibus non accipio; et Ieremias: Diem hominis non concupivi vel desideravi, tu scis; et in Luca: Et nunc in hac die tua, non mea, quae ad pacem tibi, non mihi; et in Actibus apostolorum: Altera die, cum venisset Agrippa, et Berenice, cum multa ambitione, "idest turba multa ambiente eos; pro ambitione in graeco, ut dicit GLOSSA, ponitur phantasia". "Agrippa, congregatio subita"; "Berenice filia eleganter commota" interpretatur. Agrippa huius saeculi divitem significat, qui divitias usuris et periuriis subito congregat: sed divitias, ut

dicit Iob, quas devoravit evomet, et de ventre eius extrahet eas Deus; Berenice, carnis luxuriam, diaboli filiam, quae in elegantia exteriori commovetur et alias facit commoveri. Agrippa ergo et Berenice, idest divites et luxuriosi, in die mundanae claritatis, procedunt cum multa ambitione, quae est phantasia eos deludens, quia videtur aliquid esse, cum nihil sit, et dum tenetur elabitur. Cum sero ergo esset die illo. Sero huius diei est poenitentia, in qua sol mundanae claritatis vertitur in tenebras, et luna concupiscentiae carnalis, in sanguinem. Unde in Actibus apostolorum dicit Petrus, ponens verba Domini, in Ioele dicentis: Dabo prodigia in caelo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem. ALLEGORICE. Dominus dedit signa in caelo et in terra, cum descendit in terram 'per sanguinem crucis; in ignem, cum misit Spiritum Sanctum in apostolos'; et sic ascendit fumus "compunctionis". Unde in Actibus: Compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus: Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi. MORALITER. In sanguine, maceratio carnis; in igne, ardor caritatis; in vapore fumi, "compunctio cordis". Haec signa dat Dominus in caelo, idest in iusto, et terra, idest peccatore.

4 – De his tribus habes concordantiam in hodierna epistola: Tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis. ALLEGORICE: "Spiritus, idest anima humana, quam Iesus Christus emisit in Passione; aqua et sanguis, quae fluxerunt de latere, quod fieri non posset si veram carnis naturam non haberet". MORALITER. 'Spiritus est caritas; aqua, compunctio; sanguis, carnis maceratio'. De his habes concordantiam in Exodo, ubi dicitur: Totus mons Sina fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus de eo quasi de fornace; eratque mons omnis terribilis. Et sonitus bucinae crescebat in maius, et prolixius tendebatur. Mons Sina est mens poenitentis, in quam, cum descendit Dominus in igne caritatis, de quo ipse, ignem, inquit, veni mittere in terram, totus mons fumat, et ascendit fumus compunctionis de eo quasi de fornace, idest ardore mentis. Et sic omnis mons est terribilis carnis maceratione, vel terribilis immundis spiritibus. Unde in Iob: Nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem. Et sonitus bucinae, idest confessionis, paulatim crescebat in maius, et prolixius tendebatur, quia poenitens, cum confitetur, prius debet incipere a cogitationibus illicitis, postea a verbis, deinde ab operibus. Sequitur: Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem. Sol in tenebras convertitur, cum claritas mundana sacco poenitentiae obtenebratur, et luna in sanguinem, cum carnis concupiscentia maceratione, vigiliis et abstinentiis castigatur. Bene ergo dicitur: Cum sero esset die illa una sabbatorum. De quo Dominus in Exodo: Memento, inquit, ut sanctifices diem sabbati.

5 – Diem sabbati sanctificat qui in quiete spiritus permanet et ab illicito opere se continet. Et fores essent clausae. Fores sunt quinque sensus corporis, quos debemus claudere seris divini amoris et timoris, ne contingat nobis quod dicit Paulus in Actibus apostolorum: Scio quod post discessum meum intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 'Paulus interpretatur humilis'. Postquam humilitas discedit a corde, lupi rapaces, idest carnalia desideria, intrant per fores quinque sensuum, gregem simplicium cogitationum devorantes. Ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum. Discipuli sunt affectus rationis, qui in unum debent congregari propter metum Iudaeorum, idest daemonum, ne eis noceant. Unde dicitur in Canticis: 'Pulchra es, et decora, filia

Ierusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata'. 'Filia Ierusalem caelestis est anima', pulchra fide et decora caritate, quae tunc erit terribilis immundis spiritibus, si affectus rationis et cogitationes mentis ita ordinaverit, sicut acies militum contra hostes pugnatura est ordinata. De hac congregatione habes concordantiam in Actibus apostolorum: Tunc, inquit Lucas, reversi sunt Ierosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est iuxta Ierusalem sabbati habens iter. Et cum introissent in cenaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Ioannes, Iacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Iacobus Alphaei et Simon Zelotes et Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, et Maria matre Iesu, et fratribus eius. Mons Oliveti "distat ab Ierusalem spatio miliarii", sabbati habens iter, "idest mille passus", extra quos in die sabbati non erat licitum Iudaeis progredi. "Cenaculum dicitur tertium tectum, ut ibi dicit GLOSSA, figura caritatis, fidei [super]aedificatae, et spei". In hoc cenaculum debemus ascendere et ibi cum discipulis manere et unanimiter in oratione et contemplatione, lacrimarum effusione perseverare, ut gratiam Sancti Spiritus mereamur suscipere. Unde Dominus in Luca: Sedete, inquit, in civitate, quoadusque induamini virtute, idest Spiritu Sancto, ex alto. Si ergo dies mundanae claritatis inclinata fuerit, et advesperaverit in sero poenitentiae, in qua quasi in sabbato homo debet quiescere a perverso opere, et fores quinque sensuum fuerint clausae, et omnes Christi discipuli, idest christiani vel affectus viri iusti, in unum fuerint congregati, faciet Dominus quod subditur.

II – De trinae pacis recommendatione

6 – Sequitur secundum. Venit Iesus, et stetit in medio discipulorum, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Nota primo quod in hoc evangelio ter dicitur Pax vobis, propter triplicem pacem, quam Christus reformavit: inter Deum et hominem, ipsum Deo Patri in sanguine suo reconciliando; inter angelum et hominem, naturam humanam assumendo et ipsam super choros angelorum elevando; inter hominem et hominem, iudaicum scilicet et gentilem populum, in se, lapide angulari, copulando. Nota etiam quod in hoc nomine Pax sunt tres litterae et una syllaba, in quo Trinitas et Unitas designatur. In P Pater; in A, prima vocali, Filius, qui est vox Patris; in X, duplici consonante, Spiritus Sanctus ab utroque procedens intelligitur. Cum ergo dixit: Pax vobis, Trinitatis et Unitatis fidem nobis commendavit. Venit ergo Iesus et stetit in medio. Proprius locus Iesu est medium, scilicet in caelo, in Virginis utero, in pecoris praesepio, in crucis patibulo. In caelo, unde in Apocalypsi: Agnus qui est in medio throni, idest in sinu Patris, reget illos, et deducet eos ad vitae fontes aquarum, idest satietatem caelestium gaudiorum. In utero Virginis, unde Isaias: Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. O beata Maria, quae es habitatio Sion, "idest Ecclesiae", quae in tui Filii Incarnatione fundavit sibi fidei habitationem, exulta corde, lauda ore, scilicet: Magnificat anima mea Dominum etc., quia magnus, parvus et humilis, sanctus et sanctificans Israel est in medio tui, idest in utero tuo. In praesepio pecoris, unde Habacuc: In medio duum animalium cognosceris; unde Isaias: Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui. In crucis patibulo, unde Ioannes: Crucifixerunt cum eo alios duos, hinc et inde, medium autem Iesum. Venit ergo Iesus et stetit in medio. Ego sum, inquit in Luca, in medio vestrum sicut qui

ministrat. Stat in medio omnis cordis. Stat in medio, ut ab ipso, tamquam a centro, omnes lineae gratiarum ad nos, qui sumus in circumferentia, qui circumvolvimur et in circuitu ambulamus, protendantur.

7 – De hoc habes concordantiam in Actibus apostolorum. In diebus illis, inquit Lucas, exurgens Petrus in medio fratrum, dixit [erat autem turba hominum simul fere centum viginti]: Viri fratres, et cetera quae sequuntur in electione Mathiae. Christus resurgens a mortuis stetit in medio discipulorum; et Petrus, "qui prius negando est lapsus", exsurrexit in medio fratrum, per hoc nobis innuens, ut de peccato exurgentes stemus in medio fratrum, quia media est caritas, tam ad amicum quam ad inimicum se extendens. Venit ergo Iesus et stetit in medio discipulorum, et dixit eis: Pax vobis. Nota quod triplex est pax: temporis, de qua dicitur in tertio libro Regum, quod 'Salomon habuit pacem in circuitu'; pectoris, de qua: In pace in idipsum dormiam et requiescam; et in Actibus apostolorum: Ecclesia per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem; et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Spiritus Sancti replebatur. "Iudaea, confessio"; "Galilaea, transmigratio"; "Samaria custos interpretatur". Ecclesia ergo, idest fidelis anima, in his tribus habet pacem, scilicet in confessione, de vitiis ad virtutes transmigratione, in divini mandati et gratiae perceptae custodia; et sic aedificatur, ambulans de virtute in virtutem in timore Domini, non servili sed filiali; et consolatione Sancti Spiritus in omni tribulatione repletur. Tertia pax est aeternitatis, de qua: Qui posuit fines tuos pacem. Primam debes habere cum proximo, secundam cum te ipso; et sic habebis, in octava resurrectionis, tertiam cum Deo in caelo. Sta ergo in medio et habebis pacem cum proximo. Si in medio non steteris, pacem habere non poteris. In circumferentiis enim non est pax neque tranquillitas, immo motus et volubilitas. Dicitur de elephantibus, quod "si quando in conflictu pugnant, non mediocrem habent curam sauciorum; nam fessos vulneratosque in medium receptant". Sic in medium caritatis recipe proximos fessos et saucios. Sicut fecit ille custos carceris, de quo dicitur in Actibus, quod 'tollens Paulum et Silam in ipsa hora noctis lavit plagas eorum, et perduxit eos in domum suam, et apposuit eis mensam, et laetatus est cum omni domo sua, credens Domino'.

8 – Stetit ergo Iesus in medio discipulorum, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset ostendit eis manus et latus. Lucas sic dicit: Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Dominus quattuor de causis, ut mihi videtur, manus, latus et pedes ostendit apostolis. Primo, ut se vere resurrexisse ostenderet et omnem dubietatem nobis auferret. Secundo, ut columba, idest Ecclesia vel fidelis anima in illius plagis, quasi quibusdam foraminibus, nidificaret, et a facie accipitris, ipsam rapere machinantis, se absconderet. Tertio, ut suae Passionis signa insignia cordibus nostris imprimeret. Quarto ostendit rogans, ut, ipsi compatientes, clavis peccatorum ne ipsum iterum crucifigamus. Ostendit ergo nobis manus et latus, dicens: Ecce manus quae vos plasmaverunt, quomodo clavis confixae fuerunt; ecce latus, ex quo vos fideles, Ecclesia mea, geniti estis, sicut Eva ex latere Adae procreata, lancea apertum fuit, ut vobis portam paradisi, Cherubim et gladio flammeo clausam, aperiret. Virtus sanguinis, a latere Christi profluentis, removit angelum et hebetavit gladium, et aqua extinxit ignem. Nolite ergo iterum me crucifigere et sanguinem Testamenti, in quo sanctificati estis, pollutum ducere, et spiritui gratiae contumeliam facere. Si haec bene attenderis et auscultaveris, o homo, pacem habebis cum

te ipso. Et ideo postquam Dominus ostendit eis manus et latus, iterum dixit: Pax vobis. "Sicut misit me Pater ad passiones, etsi amet, quasi ea caritate mitto vos ad mala, qua Pater me misit".

III – De potestate ligandi atque solvendi apostolis data

9 – Sequitur tertium. Et cum hoc dixisset insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum etc. "Insufflatio significavit Spiritum Sanctum non solius Patris esse Spiritum, sed suum". GREGORIUS: "In terra datur Spiritus, ut diligatur proximus; e caelo, ut diligatur Deus". Accipite, inquit, Spiritum Sanctum; quorum remiseritis etc., "idest quos dignos iudicaveritis remissione, duabus videlicet clavibus potestatis et discretionis", idest executione potestatis et discretionis; intellige, modo et ordine servato in potestate ligandi et solvendi. Qualiter vero sacerdos peccata dimittat et peccatorem absolvat, videamus. Mortaliter quis peccat: statim aedificat sibi ad gehennam, mortis aeternae ligatus catena; postea vero conteritur; vere contritus proponit confiteri. Statim eum Dominus absolvit a culpa et morte aeterna, quae transit per contritionem in poenam purgatoriam. Tanta etiam posset esse contritio, sicut in Magdalena et latrone, quod si decederet, statim in caelum advolaret. Accedit ad sacerdotem; confitetur; iniungit ei poenitentiam temporalem, per quam purgatoria transit in temporalem, quam si legitime compleverit, in gloriam advolabit. Sic Deus et sacerdos dimittunt et absolvunt. Super hoc habes concordantiam in Actibus apostolorum, ubi dicit Petrus: Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge et ambula. Et apprehensa manu eius dextera, levavit eum; et protinus consolidatae sunt bases eius et plantae. Et exiliens stetit et ambulabat; et intravit cum illis in Ierusalem. Beatus BERNARDUS, ad Eugenium papam scribens, 'Considera, inquit, quae legaverunt tibi patres tui; nihil horum tabulae testatoris assignant. Audi vocem praedecessoris tui dicentem: Argentum et aurum non est mihi'. "Habuit quidem, ut ibi dicit GLOSSA, Primum tabernaculum iustificationes culturae; sanctum saeculare auro et argento distinctum. Sed metallis legis sanguis evangelii pretiosior emicat, quia populus, qui ante auratos postes debilis iacuerat, in nomine Iesu Christi crucifixi templum caeleste ingreditur". HIERONYMUS: 'Si vis revocare aurum et argentum in Ecclesiam, revoca sanguinem immolatum, quem antiquis habere licebat, quia haec eis promittebantur. Nunc autem pauper Christus paupertatem in proprio corpore dedicavit, qui non temporalia suis, sed caelestia promisit '. In nomine Iesu Christi etc. "Ordo perfectionis: primo surgit, quia iacuerat; deinde iter virtutum arripit, et sic regni ianuam intrat cum apostolis". Nota verba: surge per contritionem, et ambula per confessionem, et sic, apprehensa manu eius dextera, levavit eum, absolvit eum et dimisit in pace. Item, super haec habes concordantiam in eisdem Actibus apostolorum, ubi dicitur, quod Petrus invenit Lyddae hominem nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te Iesus Christus; surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. 'Aeneas interpretatur pauper vel miser', et significat peccatorem in mortali existentem, virtutibus pauperem, miserum, quia diaboli servum. Hic tamquam paralyticus in grabato carnalis concupiscentiae iacet, omnibus membris dissolutus, cui debet dicere Petri vicarius: Aenea, pauper et miser, sanet te Iesus Christus; surge per contritionem, et sterne tibi per confessionem. "Tu, non alius, sterne tibi". Et continuo surrexit, ab omni vinculo peccatorum absolutus. Item, concordantia, ibi: Petrus ait:

Thabita, surge. At illa aperuit oculos. Dans autem illi manum, erexit eam. ‘Thabita interpretatur damula’. “Damula dicta, quod de manu fugiat, timidum animal et imbelle”, capra silvatica. Haec significat peccatoris animam, timidam et imbellem, et de manu Patris caelestis fugientem. Huic dicitur: Surge per contritionem; et tunc aperit oculos per confessionem, et residet, se humilians per satisfactionem, et sic erigitur per omnium peccatorum absolutionem.

IV – De Thomae dubitatione

10 – Sequitur quartum. Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitos meos in loca clavorum, et mittam manus meas in latus eius, non credam. “Thomas interpretatur abyssus, quia dubitando profundius novit, et firmius stetit. Didymus graece, idest geminus, quia dubius. Non casu sed divina dispensatione Thomas defuit et audita non credidit”. O divina dispensatio! o pia discipuli dubitatio! Nisi videro, inquit, in manibus eius etc. Desiderabat videre reaedificatum tabernaculum David, quod ceciderat, de quo dicit Dominus in Amos propheta: In die illo suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reaedificabo aperturas murorum eius. Per David, “qui interpretatur manu fortis”, intelligitur divinitas; “per tabernaculum, corpus ipsius Christi”, in quo, quasi in tabernaculo, fuit divinitas, quod cecidit per mortem et Passionem. Per aperturas murorum intelliguntur vulnera manuum et pedum et lateris. Istas reaedificavit Dominus ‘in sua Resurrectione’. De his dicit Thomas: Nisi videro in manibus eius etc. Pius Dominus discipulum pie dubitantem noluit relinquere in illa dubitatione, eo quod vas electionis erat futurus: omnem ei dubietatis caliginem, sicut Saulo infidelitatis caecitatem, misericorditer abstulit. Unde habes concordantiam in Actibus apostolorum, ubi dicit Ananias: Saule frater, Dominus Iesus misit me, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae, et visum recepit; et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum confortatus est. “Impleta est prophetia Isaiae: Lupus cum agno, idest Saulus cum Anania”, ‘qui interpretatur ovis’. “Serpentis corpus squamis tegitur. Iudaei ‘serpentes sunt, et genimina viperarum’, quorum perfidiam Saulus secutus, quasi pelle serpentis oculos cordis texerat, sed, cadentibus squamis sub manu Ananiae, monstratur in facie quod lumen recepit in mente”. Sic sub manu Ananiae, idest Iesu Christi, qui ‘tamquam ovis ad occisionem ductus est’, ceciderunt squamae dubietatis ab oculis Thomae, et visum fidei recepit.

V – De Thomae confessione et nostrae fidei confirmatione

11 – Unde sequitur quintum. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis. Venit Iesus, ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Expositum ne exponas. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, et credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt. Dicit Dominus in Isaia: In manibus meis descripsi te. Nota quod ad scribendum tria sunt necessaria: charta, atramentum et penna. Manus Christi fuerunt quasi charta; sanguis, quasi atramentum; clavi, quasi penna.

Descripsit ergo Christus nos in manibus suis propter tria. Primo, ut Patri scilicet vulnerum cicatrices, quae pro nobis sustinuit, ostenderet, et sic eum ad misericordiam invitaret. Secundo, ut nostri numquam oblivisceretur, unde ipse dicit in Isaia: Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Tertio, quales scilicet esse et quid credere debeamus scripsit in manibus suis. Noli ergo esse incredulus, o Thoma, o christiane, sed fidelis. Respondit Thomas: Dominus meus et Deus meus etc. "Non ait: quia tetigisti, sed: vidisti, quia visus quodammodo generalis est sensus, qui de aliis quattuor dici solet. Forsitan non fuit, dicit GLOSSA, ausus tangere, sed aspiciendo tantum, seu etiam tangendo vidit. Videbat hominem et tangebat, et super hoc Deum credebat, iam remota dubitatione, et confitebatur quod non videbat". Thoma, vidisti me "hominem" et credidisti "me Deum".

12 – Beati qui non viderunt et crediderunt. "In hoc commendat fidem gentium; sed praeterito utitur, ut quidquid erat futurum in sua praescientia iam noverat factum". Unde habes concordantiam in Actibus apostolorum de Eunucho Candacis, reginae Aethiopum, quem Philippus interrogavit: Si credis ex toto corde tuo. Respondit: Credo Filium Dei esse Iesum Christum. Et baptizavit eum, et de Cornelio centurione, quem, cum omni familia sua, in nomine Iesu Christi Petrus baptizavit. Isti duo, in Christo credentes, praefigurabant Ecclesiam de gentibus, sacro Baptismate regenerandam et in nomine Iesu Christi credituram. Quibus Petrus in hodiernae missae introitu loquitur dicens: Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite. "Infans dictus, quod adhuc fari nescit, idest non fans". Fideles Ecclesiae, ex aqua et Spiritu Sancto geniti, debent esse infantes, idest lingua Aegypti non fantes, de qua Isaias: Desolabit, inquit, Dominus linguam maris Aegypti. 'In lingua eloquentia, in mari philosophica sapientia, in Aegypto mundus designatur. Dominus ergo linguam maris Aegypti desolat, cum per simplices et idiotas eloquentiam et sapientiam mundi mutam et insipidam esse ostendit'. Rationabiles, sine dolo. Rationabile est quod ratione agitur. "Ratio est aspectus animi, quo per seipsum, non per corpus, verum intuetur; aut est ipsa veri contemplatio, non per corpus; aut est etiam ipsum verum quod contemplatur". Rationabiles ergo quoad Deum et ad nos ipsos, sine dolo quoad proximos. Lac concupiscite. Illud scilicet, de quo dicit AUGUSTINUS: 'Panis angelorum factus est lac parvulorum". "Lac a colore nominatur, quod sit albus liquor. Leucos enim Graeci album dicunt. Huius natura ex sanguine procreatur. Nam post partum, si quid sanguinis nondum fuerit uteri nutrimento consumptum, naturali meatu fluit in mammas et, earum virtute albescens, lactis accipit qualitatem". Et ex eo erit cibus cuiuslibet nati, "quoniam materia, ex qua est generatio, est eadem materia ex qua cibatur: lac enim est sanguis decoctus, digestus, non corruptus". In sanguine, qui est horribilis aspectu, ira Dei; in lacte, quod est dulcis saporis et iucundissimi coloris, Dei misericordia designatur. Sanguis irae versus fuit in lac misericordiae, in ubere, idest Iesu Christi humanitate. Unde Propheta: Fulgura in pluviam fecit. Fulgura divinae irae versa fuerunt in pluviam misericordiae, cum 'Verbum caro factum fuit'.

13 – MORALITER. 'Eunuchus aethiops et Cornelius centurio peccatores conversos significant'. "Cornelius interpretatur intelligens circumcisionem". Bene Cornelius et Eunuchus coniunguntur; poenitentes enim 'propter regnum caelorum se eunuchizant', idest carnalia desideria a se circumcidunt, et, in nomine Iesu Christi credentes, vivo fonte

compunctionis se abluunt, et baptismo poenitentiae se innovant. Faciunt enim sicut elephantes, de quibus dicit SOLINUS: “Venerem ante annos decem feminae, ante quinque mares, nesciunt; biennio coeunt, quinis nec amplius in anno diebus, non prius ad gregarium numerum reversuri, quam vivis aquis abluantur”. Sic poenitentes et viri iusti, si in aliquo offenderint, ad numerum fidelium reverti erubescunt, nisi prius aquis vivis lacrimarum et poenitentiae abluantur. Rogemus ergo, fratres carissimi, et suppliciter misericordiam Iesu Christi postulemus, ut veniens in medium nostrum stet, pacem nobis tribuat, a peccatis nos absolvat, omnem dubietatem a corde nostro auferat, et suae Passionis et Resurrectionis mentibus nostris fidem imprimat, ut cum apostolis et Ecclesiae fidelibus vitam aeternam percipere mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis fidelis anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA II POST PASCHA

Themata sermonis

Evangelium in secunda dominica post Pascha: Ego sum pastor bonus, quod dividitur in quattuor clausulis. In primis sermo ad praedicatorem, ibi: Datus est mihi calamus, et de tribus quae sunt in virga et eorum significatione. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de Christi cura circa nos, qui sumus populus eius et oves pascuae eius, ibi: Ego sum pastor bonus. Item sermo allegoricus et moralis de Christo et Ecclesiae praelato, ibi: Audivi post me vocem magnam. Item sermo de septem quae sunt necessaria praelato, ibi: Vidi septem candelabra aurea. Item sermo contra illos qui theologiam dimittunt et lucrativis scientiis intendunt, ibi: Cantate Domino canticum novum. Item sermo de beato Paulo: Numquid alligabis rhinocerota? DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de quattuor equis et quid significent, et de natura myrti, saliuncae et urticae et earum significatione, ibi: Vidi et ecce equus albus. Item sermo contra praelatum iniquum, ibi: O pastor et idolum, et ibi: Heli iacebat in loco suo, et ibi: Chanaan, in manu eius statera. Item de natura lupi et quid significet, ibi: Mercenarius, quia eius non sunt oves propriae. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de duodecim patriarchis et quid significent, ibi: Audivi numerum signatorum. Item sermo de Passione Christi, nostrae animae fronti imprimenda: Transi per mediam civitatem, et ibi: Innoxii erimus, et ibi: Fasciculum hyssopi. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo allegoricus et moralis de sancta Ecclesia et fideli anima, ibi: Mulier amicta sole. Item sermo ad religiosorum conventum, ibi: Expande pallium tuum quo operiris. Item sermo ad carnis mortificationem, ibi: Et luna sub pedibus eius. Item sermo de duodecim stellis et earum significatione, ibi: Et corona duodecim stellarum.

Exordium. Sermo ad praedicatorem

1 – In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus etc. Dicit Ioannes in Apocalypsi: Datus est calamus similis virgae. Calamus est praedicatio evangelii. Sicut enim calamus litteras scribit in pelle, sic praedicatio fidem et bonos mores scribere debet in corde audientis. “Calamus et penna, instrumenta scribae. Calamus dictus, quod

liquorem ponat, unde nautae calare pro ponere dicunt". Sed quia 'a calamo dicitur calamitas', quia vacuitatem sequitur infelicitas, ideo praedicatio comparatur virgae, in qua notantur tria: soliditas, rectitudo et correctio. Praedicatio debet esse solida, idest plenitudine boni operis referta: vera, non falsa, non irrisoria vel nugatoria aut phalerata verba, sed ad planctum commoventia, proponens. Unde Salomon in Ecclesiaste: Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Sicut enim stimulus dum pungit sanguinem elicit, et clavus si per manum infigitur dolorem magnum incutit, sic verba sapientum cor peccatoris debent stimulare et sanguinem lacrimarum educere, 'quae, ut dicit AUGUSTINUS, sunt sanguis animae', et dolorem de peccatis praeteritis et de gehennae poenis incutere. Debet praedicatio esse recta, ut non distorqueat praedicator in opere ab eo quod dixerit in sermone. Auctoritas enim loquendi perditur, cum vox opere non adiuvatur. Debet etiam esse correctoria, ut ad auditum praedicationis vitam suam corrigant auditores. Tali virga bonus pastor, bonus Ecclesiae praelatus, vel praedicator, ovium suarum gregem corrigat et pascat, sicut ille bonus pastor correxit et pavit, qui in hodierno evangelio loquitur: Ego sum pastor bonus.

2 – Nota quod in hoc evangelio quattuor notantur. Primum, boni pastoris circa oves cura sollicita et pro ipsis, si necesse fuerit, anima ponenda, cum praemittitur: Ego sum pastor bonus. Secundum, mercenarii fuga et lupi rapina, cum additur: Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae etc. Tertium, pastoris et ovium alterna notitia, ibi: Ego sum pastor bonus et cognosco meas etc. Quartum, de utroque populo, iudaico et gentili, Ecclesia catholica congreganda, ibi: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili etc. In hac dominica et in sequenti cantatur et legitur de Apocalypsi, quam volumus dividere in septem partibus. Prima pars agit de septem Ecclesiis. Secunda, de quattuor equis. Tertia, de duodecim tribubus signatis. Quarta, de muliere amicta sole. Istas quattuor partes volumus concordare cum istius evangelii quattuor particulis. Quinta pars, de Apocalypsi, agit de septem angelis, habentibus phialas plenas irae Dei. Sexta pars, de damnatione meretricis magnae, idest vanitatis mundanae. Septima, de flumine aquae vivae, idest perennitate vitae aeternae. Et istas tres partes, Deo dante, cum tribus particulis evangelii subsequentis dominicae concordabimus. In hac etiam praesenti dominica, in introitu missae, cantatur: Misericordia Domini plena est terra etc. Et legitur epistola beati Petri apostoli: Christus passus est pro nobis.

I – De boni pastoris circa oves cura sollicita

3 – Dicamus ergo: Ego sum pastor bonus etc. Christus bene potest dicere: Ego sum, quia ipsi nihil praeteritum vel futurum, sed omne est ei praesens. Unde ipse dicit in Apocalypsi: Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens; et in Exodo: Ego sum. Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. Bene ergo dicit: Ego sum pastor bonus. Pastor dicitur a pasco pascis, et Christus carne et sanguine suo, in sacramento altaris, quotidie nos pascit. Unde dicit Isai in primo libro Regum: Reliquus est parvulus, et pascit oves. Noster David, parvulus et humilis, tamquam pastor bonus pascit. Hic est noster Abel, 'qui, ut dicitur in Genesi, fuit pastor ovium', quem Cain fratricida, idest populus iudaicus, invidia interfecit. De hoc pastore dicit Pater in Ezechiele: Suscitabo pastorem unum, qui pascat gregem meum, servum meum David, 'idest filium meum Iesum': ipse pascet et ipse erit

eis in pastorem; et in Isaia: Sicut pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit; fetas ipse portabit. Loquitur ad modum boni pastoris, qui, cum gregem suum ad pascua ducit et reducit, agnos parvulos, qui non possunt ambulare, in brachio suo congregat et in sinu suo levat, et fetas, idest oves gravidas et fessas, ipse portat. Feta aliquoties plenam, aliquoties liberatam significat. Sic Iesus Christus, doctrinis evangelicis et Ecclesiae sacramentis, quotidie nos pascit; in brachio suo, extenso in cruce, nos congregavit. Unde Ioannes: Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Et in sinu suo levabit. In sinu misericordiae, sicut mater filium, nos levavit. Unde ipse dicit in Osee: Ego nutritius Ephraim; in brachiis meis portavi eos. Ipse nos nutrit, tamquam lacte, sanguine suo. In ubere, vel sub ubere, in monte Calvariae pro nobis fuit lancea vulneratus, ut nobis, sicut lac mater filio, sanguinem suum propinaret; et in brachiis suis, in cruce extensis, nos portavit.

4 – Unde Petrus, in hodierna epistola: Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iustitiae vivamus: cuius livore sanati sumus. Et fetas, idest animas poenitentium, heredes vitae aeternae, gravidas, ipse portat. Unde ipse dicit in Exodo: Vos ipsi vidistis quae fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. 'Aegyptios, idest daemones et mortalia peccata, in mari Rubro, idest in amaritudine poenitentiae', lacrimarum et afflictionis sanguine rubricatae, submergit, et poenitentes super alas aquilarum portat, cum, terrenis despectis, ad caelestia sublevat, ut solem iustitiae irreverberatis oculis contemplentur. Bene ergo dicit: Ego sum pastor bonus. Unde David: Bonus es tu, et in bonitate tua doce me, ovem errantem. Erravi sicut ovis quae perierat. Et in libro Sapientiae: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. "Exprimit quid sit proprium boni pastoris", ponere scilicet animam pro ovibus suis, quod fecit Christus. Unde Petrus, in hodierna epistola: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Ibi dicit GLOSSA: "Gaude quia pro te mortuus est Christus. Attende quod sequitur: Vobis relinquens exemplum contumeliarum, tribulationum, crucis et mortis". Bonus ergo pastor animam suam dat pro ovibus suis. De quibus dicit Petrus, in fine epistolae: Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. Ecce quanta misericordia! De qua dicitur in hodiernae missae introitu: Misericordia Domini plena est terra. Verbo, "idest Filio Dei, caeli, idest apostoli" et apostolici viri, firmati sunt, ne sint tamquam oves errantes, sed sub virga pastoris et episcopi animarum conserventur.

5 – Oves, pro quibus bonus pastor, Iesus Christus, animam suam dedit, sunt illae septem Ecclesiae, de quibus habes concordantiam in Apocalypsi: Audivi, inquit Ioannes, post me vocem magnam tamquam tubae, dicentis mihi: Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis: Epheso et Smyrnae et Pergamo et Thyatirae et Sardis et Philadelphiae et Laodiciae. Et conversus sum, ut viderem vocem quae loquebatur mecum; et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, vestitum podere, et praecinctum ad mammillas zona aurea; caput autem eius et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix, et oculi eius velut flamma ignis; et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; et vox illius tamquam vox aquarum multarum. Et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat; et facies eius sicut sol lucet in virtute sua. Hanc auctoritatem

primo allegorice de Christo, secundo moraliter de Ecclesiae praelato exponamus. [ALLEGORICE]. “Ephesus, voluntas mea, vel consilium meum”; “Smyrna, canticum eorum; Pergamus, dividens cornua, vel dissecans vallem; Thyatira, illuminata; Sardis principium pulchritudinis; Philadelphia, conservans vel salvans haerentem Domino; Laodicia tribus amabilis interpretatur”. “Septem candelabra aurea omnes Ecclesias, ardentes et illuminatas sapientia divini Verbi, significant. Sicut aurum igne probatum, percussionibus extensum, candelabrum efficitur; sic Ecclesia, tribulationibus purgata, tentationum ictibus in longitudinem extensa, consummatur”. “Et in medio septem candelabrorum, idest in communi omnium Ecclesiarum, quia omnibus se Deus offert et subvenire omnibus praesto est”, “vidi similem Filio hominis, idest angelum in persona Christi, qui iam non filius hominis, sed similis, quia iam non moritur; vel similis filio hominis, quia non cum peccato sed in similitudine carnis peccati; vestitum podere, idest sacerdotali veste, idest carne, in qua se obtulit et quotidie offert, repraesentans se Deo Patri”; et praecinctum ad mammillas zona aurea, “idest cingulo caritatis”, propter quam pro nobis se morti tradidit. Caput autem eius et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix. Caput est Divinitas; unde Apostolus: Caput Christi, Deus; vel ipse Christus, ‘qui est caput Ecclesiae’, “in quo sunt omnia necessaria ad regimen Ecclesiae”. “Capilli sunt fideles, ipsi capiti adhaerentes”. Caput ergo et capilli, idest Christus et ipsius christiani, sunt candidi, tamquam lana, alba simplicitate et puritate, et “tamquam nix, immortalitatis candore”, quia ‘sicut ipse vivit et nos vivemus’ cum eo. Et oculi eius tamquam flamma ignis. ‘Oculi, idest respectus gratiae Iesu Christi, tamquam flamma ignis glaciem, dissolvit cor congelatum peccatoris’. Unde ‘respexit Dominus Petrum’, oculis scilicet misericordiae, et ‘flevit amare’, quia dissoluta fuit glacies cordis in lacrimas compunctionis. Et ped es eius, ‘idest praedicatores, qui ipsum deferunt per totum mundum’, sunt similes aurichalco, “non cuilibet sed” in camino ardenti. ‘Aurichalcum dictum, quod similitudinem auri et aeris habeat. Aes enim graece chalcïs dicitur’. ‘In auro claritas sapientiae’, ‘in aere sonoritas eloquentiae designatur’. Pedes Iesu Christi sunt similes aurichalco, quia praedicatores claritate sapientiae et sonoritate eloquentiae debent fulgere. Et vox illius tamquam vox aquarum multarum. “Praedicatio Christi obtinet vim aquae, quia lavat”. Unde apostolis: Mundi, inquit, estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. “Vocem Iesu Christi recipiunt iam populi multi, qui comparantur aquae propter fluxum mortalitatis. Vel, vox illius tamquam vox aquarum multarum, idest datrix aquarum multarum, idest gratiarum”. Unde sequitur: Et habebat in dextera sua stellas septem, idest septem Sancti Spiritus gratias, quas habet in dextera, ‘quae dicitur quasi dans extra’; de thesauro enim suae magnificentiae dat gratias cui vult et quando vult et quomodo vult. Vel, “stellae sunt episcopi, qui debent aliis lucere verbo et exemplo, quos habet in dextera, idest in potioribus donis, quae per dexteram significantur. Et de ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat. De ore eius, idest de insinuatione, exivit praedicatio, quae utrumque secat: in veteri Testamento carnalia opera, et in novo concupiscentias”. Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua. ‘Facies Iesu Christi sunt boni Ecclesiae praelati et omnes sancti’, per quos tamquam per faciem Christum cognovimus. Hi sicut sol lucent in virtute sua, “idest in meridie sine nubibus, vel, quando fixus erit in aeternum” sic lucebunt, “idest fient similes vero soli Iesu Christo”

6 – MORALITER. Ego sum pastor bonus. Beatus ille Ecclesiae praelatus, qui vere potest

dicere: Ego sum pastor bonus. Qui, ut bonus sit, necessarium est ut Filio hominis similis sit, et in medio septem candelabrorum aureorum sit. De quibus dicit Ioannes: Vidi septem candelabra aurea, in quibus septem notantur praelato Ecclesiae necessaria: vitae scilicet munditia, divinae Scripturae scientia, linguae eloquentia, orationis instantia, circa pauperes misericordia, circa subditos disciplina, populi sibi commissi cura sollicita. Haec septem candelabra concordant cum septem Ecclesiarum interpretatione. Ephesus "interpretatur voluntas mea vel consilium meum". Haec est munditia vitae, de qua Apostolus: Haec est voluntas Dei: sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vas suum possidere in honore et sanctificatione. Et Isaias: Ini consilium, coge concilium. Ini consilium, ut munde vivas quoad animam; coge, idest refrena, concilium quinque sensuum, ut caste vivas quoad corpus. Smyrna, "canticum eorum". Haec est divinae Scripturae scientia, unde Propheta: Cantate Domino canticum novum. Omnes scientiae mundanae et lucrativae sunt canticum vetus, canticum Babylonis. Sola theologia est canticum novum, in aure Dei dulce resonans et animam innovans. Haec debet esse canticum eorum, idest praelatorum. 'Si faber ferrarius, ut dicitur in primo libro Regum, non esset in Israel, mirum non fuisset si filii Israel descendissent ad Philisthiim ad exacuendum vomerem suum et ligonem, et securim, et sarculum'. Sed, Deo gratias, 'in Israel, idest in Ecclesia, non dico unus faber, sed multi; fabri, idest multi sunt theologi', qui vomerem, securim, ligonem, sarculum bene noverunt exacuere et optime praeparare. "Vomer dictus, quod humum eruat, vel ab evomendo terram"; "ligo dictus, quod terram levet"; "securis dicta, quod de ea arbores succidantur, quasi succudis"; 'sarculus est ferramentum cum manubrio, culturis agrorum necessarius'. Per haec laborantium instrumenta intelliguntur praedicationis exercitia, quae humum cupiditatis et terram iniquitatis eruunt et elevant a facie mentis, et succidunt siccos ramos infructuosae arboris, et excolunt agrum Ecclesiae militantis. Quare ergo filii Israel, idest praelati, descendunt ad Philisthiim, "qui interpretantur potione cadentes", idest ad scientias lucrativas? Ad quas ideo descendunt, ut potione dignitatis transitoriae, gulae et luxuriae, ambitione vanaegloriae et pecuniae inebrientur, et inebriati cadant in profundum inferni. Unde de eis dicit beatus BERNARDUS: Infelix prorsus ambitio, quae ambire magna non novit, amant enim primas cathedras, sed timendum est eis, qui velut grossi ficuum sunt casuri. Caveant igitur, qui primas cathedras desiderant, ne secundis careant, et in fine incipiant novissimum inferni locum cum rubore possidere". Item, Pergamus "interpretatur dividens cornua", vel "dissecans vallem". Haec est eruditae linguae eloquentia, quae cornua superborum dividit et vallem carnalium dissecat. Unde Dominus per Prophetam: Omnia cornua peccatorum confringam. Et in Iob: Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? 'Rhinoceros parvum animal, simile haedo', 'nimis acerrimum cornu in nare habens, significat beatum Paulum, qui caedis et minarum spirans, dum iret Damascum, loro divinae potentiae est alligatus ad arandum, idest praedicandum'. Unde Dominus Ananiae: Vas, inquit, electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus et regibus et filiis Israel. Qui confregit glebas vallium, idest mentes carnalium et infidelium, vomere praedicationis. Thyatira "interpretatur illuminata". Haec est orationis instantia, quae mentem illuminat. Unde in Apocalypsi: Claritas Dei illuminat eam, et lucerna eius est Agnus. 'In agno notatur innocentia et simplicitas', quae duo specialiter oranti sunt necessaria. Haec tamquam claritas et lucerna mentem orantis illuminant. Sardis, "principium pulchritudinis". Haec est circa pauperes misericordia, quae lepram avaritiae expellit et animam pulchram

reddit. Unde: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Philadelphia, "conservans vel salvans haerentem Domino". Haec est circa subditos disciplina, quae conservat haerentem Domino in ipsius servitio et salvat a mortis periculo. De qua dicit Apostolus ad Hebraeos: Omnis disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris; postea fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae. Laodicia interpretatur "tribus amabilis" Domino. Haec est populi christiani Ecclesia catholica, circa quam praelatus debet invigilare cura sollicita. De dilectione huius dicit Ioannes: Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, "idest in tantum dilexit, quod usque ad mortem eum dilectio perduxit". Haec sunt septem candelabra illuminantia omnes Ecclesias, septiformis gratiae Spiritu congregatas, in quorum medio praelatus, similis Filio hominis, "idest Iesu Christo", paupertate, humilitate, obedientia debet ambulare, vestitus podere. 'Poderis dicitur tunica talaris, haec est subucula linea, qua induebatur Aaron, et significat corporis castitatem, cui debet adiungi cordis munditia'.

7 – Unde sequitur: Praecinctum ad mammillas zona aurea. "Daniel vidit virum accinctum circa renes, quia in veteri Testamento carnalia opera constringuntur; Ioannes, ad mammillas, quia in novo Testamento etiam cogitationes iudicantur". Zona ergo aurea, 'idest Dei dilectione', mammillae, idest fluxus malarum cogitationum, restringuntur. Unde sequitur: Caput autem eius et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix. "Caput dictum, quod capiat omnes sensus", 'mentem significat, quae est caput animae; capilli, cogitationes'. In mente solet esse immunditia et ardor peccati. Mens ergo et cogitationes sint candidae tamquam lana alba contra peccati immunditiam, et tamquam nix contra ipsius ardorem. Et oculi eius tamquam flamma ignis. Oculi praelati sunt contemplatio Dei et compassio proximi, qui debent esse tamquam flamma ignis, idest radiantes simplicitate quoad Deum et innocentia quoad proximum. Et pedes eius similes aurichalco. Pedes sunt affectus mentis et effectus operis. His duobus pedibus ille Miphiboseth, 'qui interpretatur vir confusionis', ut dicitur in secundo libro Regum, 'cecidit a nutrice et factus est claudus'. Per quem intelligimus peccatorem, virum aeternae confusionis, qui per mortale peccatum cadit a nutrice, idest Sancti Spiritus gratia, et efficitur claudus utroque pede. Sed pedes boni praelati debent esse similes aurichalco. Aurichalcum, ut dictum est, habet colorem auri et aeris: in auro, affectus mentis; in aere, sonorus effectus boni operis. "Aurichalcum etiam saepe incenditur et meliorem accipit colorem"; sic bonus praelatus, quanto magis igne tribolationis incenditur, tanto magis clarior efficitur. Et vox illius tamquam vox aquarum multarum. 'Sicut aquae multae, quae cum impetu vadunt, omne obstaculum irrumpunt, sic vox praedicationis praelati omne obstaculum vitiorum et impedimentum salutis debet rumpere'. Et habebat in dextera sua septem stellas. Septem stellae sunt septem glorificationes corporis et animae. 'Sapientia, amicitia, concordia: hae erunt animae'; claritas, agilitas, subtilitas, immortalitas: hae, corporis. Has debet habere in dextera, ut quidquid cogitat, quidquid operatur, totum sit dextrum, ut has septem stellas in vitae aeternae dextera, ad dexteram cum ovibus positus, possit habere. Et de ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat. Gladius est confessio, quae debet esse 'ex utraque parte acuta, ut vitia spiritualia, quae sunt superbia et vanagloria, et vitia carnalia, quae sunt avaritia, gula et luxuria, valeat resecare'. Et facies eius sicut sol lucens in virtute sua. Facies praelati sunt ipsius opera, per quae sicut per faciem cognoscitur. A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Quae, si fuerint bona, lucebunt sicut sol in virtute sua. Unde Dominus: Luceat lux vestra coram hominibus, ut

videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est. Si talis fuerit praelatus, vere poterit dicere: Ego sum pastor bonus.

II – De mercenarii fuga et lupi rapina

8 – Sequitur secundum. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit; et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Paulo ante, in hoc eodem capitulo, dixerat Dominus: Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Hic quattuor personae notantur: bonus pastor, fur et latro, mercenarius et lupus. Isti sunt illi quattuor equi, de quibus habes concordantiam in Apocalypsi. Vidi, inquit Ioannes, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, arcum habebat; et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. Et exivit alius equus, rufus, et qui sedebat super eum datum est ei ut sumeret pacem de terra et ut invicem se interficerent; et datus est illi gladius magnus. Et ecce equus niger, et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. Et audivi tamquam vocem in medio quattuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario uno, et tres bilibres hordei denario uno, et vinum et oleum ne laeseris. Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quattuor partes terrae, interficere gladio, fame et morte, et bestiis terrae. ALLEGORICE. Vidi, et ecce equus albus. Equus albus humanitatem significat boni pastoris Iesu Christi, qui bene dicitur equus albus, quia ab omni labe peccati immunis. De hoc equo dicitur in Zacharia: Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quae erant in profundo. “Per noctem in qua cernitur visio, significatur mysticorum obscuritas. Vir super equum rufum Salvator est, cuius vestimenta, idest caro, rubra est sanguine Passionis, qui captivo populo in rufo equo ostenditur; in Apocalypsi Ioannis, iam liberato populo, in albis demonstratur. Hic stat inter myrteta, idest angelicas potestates, quae ei etiam in profundo, idest in carne posito, ministrabant”. Unde in Matthaeo: Et accesserunt angeli et ministrabant ei. Vel, inter myrteta. Myrtetum est locus ubi myrti nascuntur. Myrtus est species arboris “boni odoris et temperativae virtutis”, “[a mari] dicta, eo quod magis sit litorea”. Myrtus significat viri iusti munditiam, quae est boni odoris quoad proximum, temperativae virtutis quoad se; quae in litore, idest cordis compunctione, magis habet esse. De hac dicit Isaias: Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica myrtus. Saliunca est herba salsa, genus arbusti est, vel salicis. “Abies dicta, quod prae ceteris arboribus eat”. ‘Saliunca est avaritia, amara et infructuosa, pro qua, cum Deus gratiam menti infundit, abies caelestis contemplationis ascendit’. “Urtica dicta, quod tactus eius corpus adurat, est enim igneae naturae”, ‘et significat carnis luxuriam, pro qua facit Dominus ascendere myrtum continentiae’. Stat ergo Dominus inter myrteta, idest inter illos, qui, virtute munditiae, odore bonae famae, in profundo humilitatis Deo serviunt. Dicamus ergo: Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum habebat arcum. Sessor equi est divinitas, quae tamquam miles humanitati supersedit. ‘Arcus, constans ex chorda et ligno, misericordiam et iustitiam Dei significat. Sicut enim chorda flectit lignum, sic misericordia iustitiam’. Unde Iacobus: Misericordia superexaltat iudicium. In primo adventu Christus secum detulit chordam mollem misericordiae, ut peccatores caperet; in secundo vero adventu percutiet ligno iustitiae, reddens unicuique secundum opera sua. Et data est ei corona. ‘Christo, Deo et homini, data fuit corona

secundum humanitatem, qua coronavit eum mater sua, in die desponsationis suae'. Vel, data est ei corona spinea a sua noverca Synagoga. Et exivit vincens ut vinceret. Exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, ut dicit Ioannes, baiulans sibi crucem, vincens mundum, ut vinceret diabolum.

9 – MORALITER. Vidi, et ecce equus albus. Equus albus significat corpus boni pastoris et Ecclesiae praelati. Hic equus debet esse albus albedine castitatis. Miles huius equi est spiritus, quem freno abstinentiae refrenare, calcaribus divini amoris et timoris, ad accipiendum bravium vitae aeternae, debet incitare. "Non nocet admisso subdere calcar equo". 'Arcus divinam Scripturam significat: per lignum vetus, per chordam, quae remittit duritiam, novum Testamentum, per sagittam intelligentia vulnerans corda designatur. Hunc ergo arcum debet bonus pastor habere in manu, idest in operatione. De quo Iob: Arcus meus in manu mea instaurabitur. Arcus in manu instauratur, cum praedicatio opere adiuvatur'. Et data est ei corona. 'Corona in capite est pura intentio in mente, de qua Ieremias in Threnis: Cecidit corona capitis nostri; vae nobis, quia peccavimus. Corona de capite cadit, cum homo puram intentionem amittit, et ideo: vae ei'. Et exivit vincens, ut vinceret. Exivit a mundi cupiditate, vincens carnis luxuriam ut vinceret diaboli superbiam. Si talis fuerit equus praelatus, bene potest dicere: Ego sum pastor bonus. Et exivit alius equus, rufus etc. Equus rufus est 'fur et latro, qui non intrat per ostium in ovite ovium'. 'Ostium est Christus', per quem non intrat qui 'quaerit quae sua sunt, non quae Iesu Christi'. "Latro dicitur a latendo; fur a furvo, idest nigro. Latro est qui latet, ut incautos spoliet et occidat; fur est qui furva, idest obscura, nocte subripit aliena". Ille fur est et latro, qui sibi ambitiose 'assumit honorem, non vocatus a Deo tamquam Aaron'. Qui per simoniam assequitur praelaturam fur est, officium pastoris simonia, tamquam nocte furva, usurpando, quia quod alienum est suum facit: oves Dei facit suas, quas furatus est Domino; latro est, quia latet sub praetextu sanctitatis: praetendit ovem, cum sit lupus; accipitrem, cum sit struthio; et sic incautos spoliat virtutibus et occidit in animabus; et ideo recte dicitur equus rufus. Sessor huius equi est spiritus ambitionis et gloriae temporalis, qui sumit pacem de terra, idest mente ipsius furis et latronis. Spiritus enim ambitionis 'miserum non permittit habere quietem mentis', est enim tamquam venator, 'qui sequitur fugientia, discurrit ad quaerenda temporalia. Unde de eo dicit beatus BERNARDUS: Multiplicas praebendas, ascendis ad archidiaconatum, aspiras ad episcopatum, gradatim ascendis, sed in puncto et sine gradu ad infernum descendes'. Et iterum dicit: "Circuit sedulus explorator; simulat et dissimulat; sequitur et obsequitur, manibus et pedibus repens, si quo modo se ingerat in patrimonium Crucifixi". Vel, sumit pacem de terra, cum per talem perditionis filium seminat discordiam in Ecclesia. Unde sequitur: Et ut invicem se interficerent. Gladio discordiae et invidiae fures et latrones, praelati simoniaci, ad invicem se interficiunt, cum sibi detrahunt, cum murmurant et oblatrant. Unde Isaias: Pilosi saltabunt ibi; et iterum: Pilosus clamabit ibi alter ad alterum. Hodie in Ecclesia pilosi, idest simoniaci pecuniosi, saltant et ludunt; et unus simoniacus accusat alterum; tota die sunt in causis et curis, clamoribus, vexationibus, dilaniationibus. Unde sequitur: Et datus est illi gladius magnus. Gladius acutus et limatus est gloria temporalis, cum qua et pro qua infelices se vulnerant et occidunt.

10 – Et ecce equus niger; et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua etc.

Niger, dictus "quasi nubiger, quia non sereno sed fusco opertus est". Equus niger est mercenarius, de quo dicit Dominus: Mercenarius et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem etc. Mercenarius, "dictus quasi mercede conductus", 'praelatum, qui sola temporali mercede in Ecclesia servit, significat'. De tali dicit Propheta: Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Et in Ioanne dicit Dominus: Amen, amen, dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis. 'Dum saturatus est venter, cantat miserere libenter'. Hic mercenarius non est pastor sed idolum. Unde Zacharias: O pastor et idolum derelinquens gregem, gladius super brachium eius et super oculum dextrum eius; brachium eius ariditate siccabitur, et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. In brachio virtus operationis, in oculo lumen rationis designatur. Dicit ergo: Pastor et idolum. Et corrective ponitur, quasi dicat: Non pastor, sed idolum. "Tam sceleratus es, ut non cultor idolorum sed idolum nomineris". Idolum nomen habet Dei, sed non est; ita malus pastor, derelinquens gregem, quia eius oves non sunt propriae. "Et ideo gladius, idest furor Domini, super brachium et oculum dextrum eius erit, ut robur eius et iactantia fortitudinis eius, ariditate gratiae et bonorum operum, siccetur, et lumen rationis, terrenis tenebris, obscuretur", quia impotens ad operandum et obtenebratus ad discernendum iusto Dei iudicio efficietur. Unde dicitur in primo libro Regum: Heli iacebat in loco suo, et oculi eius caligaverunt, nec poterat videre lucernam Domini antequam extingueretur. "Heli interpretatur extraneus", et significat praelatum mercede conductum, a regno Dei extraneum. Hic iacet in loco suo, idest carnis volutabro, dissolutus; cuius oculi, idest lumen rationis et intellectus, caligine, idest amore terrenorum, obtenebrantur; et sic non potest videre lucernam, idest gratiam Dei, antequam extinguatur, idest non perpendit vel cognoscit se lumine gratiae privatum, nisi cum in eo lumen ipsius gratiae fuerit extinctum. Sunt enim multi qui ita excaecantur, ut gratiam Dei se amisisse non cognoscant, nisi cum ab ipsa gratia in mortalis peccati caecitatem ceciderunt. Bene ergo dicitur in Apocalypsi: Et ecce equus niger, idest mercenarius, non sereno gratiae, sed fusco culpae, coopertus. Et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. Sessor equi nigri, idest mercenarii, est spiritus negotiationis, cuius calcaribus excitatus, columbam, 'idest Dei gratiam', quae gratis debet dari, tamquam negotiator pretio vendit, et sic 'domum Dei facit domum negotiationis'. Hic habet in manu stateram dolosam, de qua dicit Osee: Chanaan, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit. "Chanaan interpretatur negotiator", et significat Ecclesiae mercenarium, qui, saecularibus negotiis implicitus, curam non habet de Dei ovibus. Dicit HIERONYMUS: Idem negotiatio in clerico, quod usura in laico. In huius manu est statera dolosa, 'quia aliter praedicat et aliter vivit', aliud agit et aliud ostendit; paupertatem praedicat, cum sit avarus; castitatem, cum sit luxuriosus; ieiunium et abstinentiam, cum sit gulosus; 'onera gravia et importabilia imponit in humeros hominum, digito autem suo non vult ea movere'. Haec est statera dolosa, "contra hoc quod Dominus dicit: Sit tibi aequus modius iustusque". 'Statera dicta, quod ex duabus lancibus et uno medio stilo librata pendeat'. Duae lances sunt contemptus mundi et desiderium caelestis regni. Stilus in medio est amor Dei et proximi. Haec est statera aequaliter perponderans, unicuique ius suum tribuens: mundo contemptum, Deo obsequium, proximo affectum. Sed in manu Chanaan, negotiatoris mercenarii, non est talis statera, sed dolosa. Dolose, inquit Propheta, egit, ut inveniatur iniquitas eius ad odium, quia calumniam dilexit. "Calumnia a calvendo, idest decipiendo, est dicta". Hic mercenarius negotiator 'consuit pulvillos sub omni cubito manus, et facit cervicalia, ut

dicit Ezechiel, sub capite universae aetatis', quia vitia palpat, culpas levigat et dignas non iniungit poenitentias, causa quaestus; et, sub specie misericordiae et compassionis velans avaritiam suam, 'dicit: Pax, pax, et non est pax', 'vivificans animas, quae non vivunt', et sic decipit fideles Iesu Christi, de quibus subditur: Bilibris tritici denario uno etc. "Bilibris est vas capiens duos sextarios. In tritico, fides; in denario uno sanguis Iesu Christi designatur. Bilibris tritici est Ecclesia fidelium ex duobus populis coniuncta, empta sanguine Iesu Christi". Et tres bilibres hordei denario uno. 'Tres bilibres hordei sunt eiusdem Ecclesiae fideles, in minori gradu constituti, qui in fide sanctae Trinitatis consistunt; et hi similiter uno denario sanguinis Iesu Christi emuntur'. Aliter. In tritico, religiosi; in hordeo laici designantur. Bilibris tritici est vita religiosorum, quae tamquam triticum debet esse candida interius, mentis munditia, rubicunda exterius, corporis maceratione. Haec debet in se continere duos sextarios. In duplici sextario caritas Dei et proximi designatur, quae omnem ducit hominem ad perfectum. "Hordeum dictum, quod prae ceteris generibus frumenti ante fiat aridum", laicos significat, qui, orto persecutionis sole, cito arescunt, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Tres ergo bilibres hordei sunt omnes Ecclesiae fideles laici, qui ad minus fidem habent sanctae Trinitatis; uno denario, regis imagine et superscriptione insignito, idest obedientiae praecepto, quam dum primus homo servavit imaginem et similitudinem Dei non perdidit, tam religiosi quam laici redimuntur. Et vinum et oleum ne laeseris. In vino, quod inebriat, vita contemplativa, quae ita mentes inebriat, ut omnium temporalium obliviscantur. In oleo, quod omni superenatat liquori, et inter aquas missum clariora facit ea quae profundo teguntur occulto, vita activa designatur, quae omni necessitati et infirmitati proximi superenatat, et obscuritatem paupertatis, operibus misericordiae, clarificat. Quia ergo Ecclesia ex religiosis et laicis, activis et contemplativis, constat, ideo mercenario praecipitur, ne istos malo suo exemplo laedat. 'Tot, inquit GREGORIUS, mortibus dignus est praelatus, quot malorum exempla ad posteros transmisit'.

11 – Hic mercenarius, quia eius non sunt oves propriae, videt lupum venientem et fugit. "Lupus dictus, quod quasi leoni ita sit ei in pedibus virtus, unde quidquid presserit pede non vivit"; 'insidiatur ovibus, ovium guttur invadit, ut cito transgulet. Factura corporis rigidior, ut facile cervicem non possit flectere; impetu quodam fertur et ideo saepe luditur'. Qui "si quem prior viderit, vocem eius quadam vi naturae fertur eripere, quod si se visum senserit, deponit feritatis audaciam". 'Cum famescit, nec unde subripiat commode videt, terra vescitur', et montem ascendit, et aperto ore vento viscera indigentia reficit. Duo valde timet, ignem et viam tritam. 'Lupus significat diabolum' et huius mundi tyrannum, 'cuius sessor est diabolus'. Hic est equus quartus, de quo in Apocalypsi: Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum nomen illi mors etc. Sicut miles per equum, sic diabolus, cui nomen est mors, quia 'per eum mors intravit in orbem terrarum', per huius saeculi crudelem tyrannum diruit et conturbat Christi Ecclesiam. Quem mercenarius cum viderit venientem, dimittit oves et fugit, et lupus rapit et dispergit oves. Ille dimittit et iste rapit, ille fugit et iste dispergit. Diabolus, tamquam lupus, quidquid pede superbiae presserit occidit. Unde David, huius pede premi timens, orabat dicens: Non veniat mihi pes superbiae. Sicut enim omnia membra pedi innituntur, sic omnia vitia superbiae, quia ipsa, 'initium omnis peccati'. Diabolus insidiatur ovibus, idest Ecclesiae fidelibus, quorum guttura restringit, ne peccata confiteantur. Qui tantae est superbiae, ut cervicem ad humilitatem flectere non possit. Improvise impetu tentationis invadit, sed a

sanctis, qui eius non ignorant astutias, deluditur. Hic si hominem incautum viderit, eum a sui criminis confessione et a sui Creatoris laude obmutescere facit. Si vero homo sibi invigilans tentationem eius praeviderit, diabolus se deprehendi erubescit, et sic tentationis vires amittit. Cum vero in sanctis non invenit quod comedat, terram, idest avaros et luxuriosos, vescitur. In montem, idest ad illos qui sunt in dignitatis sublimitate, ascendit, et ibi vento vanaegloriae et pompae saecularis se reficit. Diabolus super omnia duo specialiter timet: ignem caritatis et viam tritam humilitatis. Si haec duo mercenarius haberet, non utique fugeret, sed ideo fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus. Mercenarius et diabolus quadam amicitia coniuncti sunt et pactione confederantur. Dicit diabolus praelato, sicut dixit rex Sodomorum Abrahae, in Genesi: Da mihi animas, cetera, idest lanam, carnem et lac, tolle tibi. Diabolus et saeculi tyrannus faciunt nostri temporis praelatis, sicut lupi piscatoribus Maeotinae paludis. Dicitur quod 'veniunt lupi ad loca propinqua piscatorum et, si dederint eis pisces, non nocebunt eis; si vero non dederint, corrumpent retia, quando extendunt ea super terram ad exsiccandum'. Sic Ecclesiae praelati pisces, idest animas, quae in aqua Baptismatis vivunt, dant diabolo, et bona ecclesiastica saeculari tyranno, ne retia suae negotiationis et temporalis intricationis et connexionem suae consanguinitatis impediant et corrumpant. Bene ergo dicitur: Et ecce equus pallidus et qui sedebat super eum nomen illi mors, et infernus sequebatur eum, "idest insatiabiles terrenis eum imitantur. Et data est illi potestas super quattuor partes terrae, idest super omnes malos ubique morantes", interficere gladio "malae persuasionis, fame divini verbi", morte mortalis peccati, et bestiis terrae, idest primis motibus carnis miserae.

III – De pastoris et ovium mutua notitia

12 – Sequitur tertium. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis. "Post culpam ficti, iterum opponit formam veri pastoris: Ego sum pastor bonus", "ad differentiam furis vel mercenarii"; et cognosco meas, charactere meo signatas. Istae oves habent nomen eius et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Unde habes concordantiam in Apocalypsi: Audivi, inquit Ioannes, numerum signatorum centum quadraginta quattuor milia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim milia signati, ex tribu Ruben duodecim milia signati, ex tribu Gad duodecim milia signati, ex tribu Aser duodecim milia signati, ex tribu Nephthali duodecim milia signati, ex tribu Manasse duodecim milia signati, ex tribu Simeon duodecim milia signati, ex tribu Levi duodecim milia signati, ex tribu Issachar duodecim milia signati, ex tribu Zabulon duodecim milia signati, ex tribu Ioseph duodecim milia signati, ex tribu Beniamin duodecim milia signati. Audivi numerum signatorum, "idest intellexi quales essent signandi: centum quadraginta quattuor milia, propter perfectionem". "Finitum ponit, quia Deus sub certo numero omnes comprehendit. Ex omni tribu filiorum Israel, idest ex omnibus gentibus fidem Iacob imitantibus. Per duodecim intelligimus eos qui fide Trinitatis in quattuor mundi partibus sunt signati, et, ut hos perfectos ostendamus, duodecim per quattuor multiplicamus, et fiunt quadraginta octo. Ut vero ad Trinitatem haec perfectio referatur, quadraginta octo triplicamus et sic fiunt centum quadraginta quattuor". Ex tribu Iuda etc. Dicitur in Genesi quod 'maledixit Iacob tres filios, scilicet Ruben, Simeon et Levi, qui ordine nativitatis primi fuerunt'. Per quod datur intelligi quod

nullus istorum ius primogeniturae habuit. Quartus fuit Iudas, quem Iacob laudavit et benedixit dicens: Iuda, te laudabunt fratres tui. Iudas, confitens; Ruben, filius visionis; Gad, accinctus; Aser, beatus; Nephthali, latitudo; Manasses, oblitus; Simeon, tristitiae exauditio; Levi, additus vel assumptus; Issachar, merces; Zabulon, habitaculum fortitudinis; Ioseph, augmentum; Beniamin, filius dexterae' interpretantur. Iudas est poenitens, qui hos undecim fratres secum debet habere, ut in confessione clare videat; in tribulatione se sapientia accingat; Deum timeat, quia beatus vir qui timet Dominum; in caritate se dilatet; 'posteriorum oblitus, ad anteriora se extendat'; de peccatis contristatus doleat, ut ipsum Deus exaudiat, dolorem dolori addat, ut de dolore in gaudium assumi valeat. Et sic mercedem vitae aeternae percipiet; in qua 'habitabit fortiter et confidenter', quia 'non erit qui exterreat'; et numero angelorum auctus, veris divitiis locupletatus, benedictione dexterae, ad dexteram positus, erit in saecula saeculorum benedictus.

13 – In horum duodecim nominum interpretatione, omnis perfectio gloriae et gratiae designatur, ad quam quicumque pervenire voluerit necesse est, ut thau in fronte signetur. Unde in Ezechiele: Dixit Dominus ad 'virum qui erat vestitus lineis': Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium, super cunctis abominationibus quae fiunt in medio eius. 'Vir vestitus lineis est Iesus Christus, nostrae carnis lino indutus'; huic praecepit Pater, ut thau, 'idest signum suae crucis' et memoriam suae Passionis, signaret super frontes, idest mentes poenitentium, qui gemunt in contritione, dolent in confessione super cunctis abominationibus, quas fecerint vel quas alii faciunt. De hoc signo exploratores dixerunt Raab, in libro Iosue: Innoxii erimus a iuramento quod adiurasti nos, si ingredientibus nobis terram signum non fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra. 'Funiculus coccineus in fenestra est memoria dominicae Passionis' in sensibus nostris, quam si non habuerimus cum damnatis peribimus. Et ideo nobis faciendum est sicut praecipit Dominus in Exodo: Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem. "Hyssopus est herba purgandis pulmonibus apta; nascitur in petris, saxo radicibus haerens", "fidem significat Iesu Christi", de qua Apostolus: Fide mundans corda eorum. Haec in ipso Christo radicitus est fundata. 'Vos ergo, fideles, accipite fasciculum fidei, et intingite in sanguine Iesu Christi, et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem. Superliminare est intellectus; uterque postis, voluntas et opus, quod debet fieri in memoria Passionis Iesu Christi'. Unde Sponsae dicit in Canticis: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. "In corde, voluntas; in brachio notatur operatio", quae duo signaculo Passionis Iesu Christi debent insigniri. Quicumque ergo isto signo fuerint signati, eos Dominus cognoscet, et ipsi Dominum. Unde dicit: Et cognosco meas, et cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. "Filius per se agnoscit Patrem, nos per illum. Unde ipse dicit: Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare. Et animam meam pono pro ovibus meis. Haec est probatio dilectionis ad Patrem et ad oves. Sic et Petrus, tertio confitens amorem, iubetur pascere oves et pro eis mori". 'Unde ei dicit Dominus ter: Pasce pasce, pasce; non: Tonde, tonde, tonde'.

IV – De Ecclesia de utroque populo iudaico et gentili congreganda

14 – Sequitur quartum. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere: et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. “Ovis, molle pecus lanis et corpore, ab oblatione dicta, quia in initio non tauri sed oves in sacrificio offerebantur”. Oves sunt Ecclesiae Christi fideles, qui quotidie, in ara dominicae Passionis et in sacrificio contriti cordis, se ‘hostiam immaculatam, sanctam, Deo placentem offerunt’. Alias oves habeo, “scilicet de gentibus, quae non sunt de hoc ovili, idest populo Israel, et illas oportet me adducere, per apostolos”, et fiet unum ovile et unus pastor. Haec est Ecclesia de utroque populo congregata. Haec est illa mulier, de qua habes concordantiam in Apocalypsi: Signum, inquit Ioannes, magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim; et in utero habens et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. ALLEGORICE. “Ista mulier Ecclesiam significat”, quae bene dicitur mulier, propter multorum filiorum fecunditatem, quos ex aqua et Spiritu Sancto generavit. Haec est mulier amicta sole. “Sol dictus, quod solus appareat, suis fulgoribus obscuratis cunctis sideribus”. ‘Sol est Iesus Christus’, ‘qui lucem habitat inaccessibilem’, cuius claritas omnium sanctorum radiolos, si ei comparentur, offuscat et denigrat, quia non est sanctus ut est Dominus. Si lotus fuero, inquit Iob, quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea. ‘In aquis nivis, lacrimarum compunctio; in mundissimis manibus operationis perfectio figuratur. Dicit ergo: Si lotus fuero quasi aquis nivis, idest compunctionis, et fulserint velut mundae manus meae, fulgore perfectae operationis, tamen sordibus intinges me, idest sordidum ostendes, et abominabuntur, idest abominabilem me facient, vestimenta mea, idest virtutes meae vel mei corporis membra, si districte, supple mecum, volueris agere’. Facti, inquit Isaias, sumus ut immundum, “idest leprosus”, omnes nos; quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae; et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos. Ille ergo sol solus est bonus, solus iustus et sanctus, cuius fide et gratia sancta Ecclesia est amicta. Et luna sub pedibus eius. ‘Luna, propter sui mutabilitatem, huius miseri status instabilitatem significat’. Unde versus: “Ludus fortunae variatur imagine lunae. Crescit et decrescit, in eodem sistere nescit”. Unde Ecclesiasticus: Stultus mutatur ut luna. A cornibus enim superbiae ad rotunditatem, idest carnalis concupiscentiae, et e converso, stultus, idest huius saeculi amicus, mutatur. Haec rerum caducarum prospera mutabilitas debet esse sub pedibus Ecclesiae. Pedes Ecclesiae sunt omnes praelati, qui ipsam, tamquam pedes corpus, debent sustentare. Sub his pedibus tamquam stercora omnia temporalia debent conculcari. Unde in Actibus apostolorum: Quotquot, inquit Lucas, possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum, quia omnia tamquam stercora reputabant. Et in capite eius corona stellarum duodecim. “Duodecim stellae sunt duodecim apostoli”, illuminantes noctem huius saeculi. Vos, inquit Dominus, estis lux mundi. Corona, dicta quasi capitis rota, duodecim stellarum est fides duodecim apostolorum, quae est corona, quia non recipit additionem nec diminutionem, ut figura circularis; et hoc est quia completa est. Ecclesia habet filios, quos verbi Dei semine concepit, clamat parturiens in poenitentibus, cruciatur, ut pariat, in convertendis peccatoribus. Unde ipsa dicit in Ieremia, in verbis Baruch: Ego derelicta sum sola, exui me stola pacis, indui me sacco obsecrationis; et clamabo ad Altissimum in diebus meis. Animaequiores estote, filii; clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum. Emisit enim vos cum luctu et ploratu; reducet autem vos mihi Dominus cum

gaudio et iucunditate. ‘Hoc fit in die Cineris, quando poenitentes ab ecclesia eiciuntur, et in die Cenae Domini, quando recipiuntur’.

15 – MORALITER. Mulier amicta sole etc. Haec est fidelis anima, de qua Salomon in Parabolis: Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius. Beata illa anima, quae, virtute ex alto induta, fortis inter adversa et prospera consistit, et aereas potestates fortiter devincit. ‘Pretium huius mulieris fuit Iesus Christus, qui ad eius redemptionem, procul, idest de sinu Patris, secundum divinitatem’, et de ultimis finibus terrae, idest pauperculis parentibus, venit secundum humanitatem. Vel, per pretium virtutes accipe; hoc pretio redimimur. Unde Salomon: ‘Redemptio viri, propriae divitiae’, ‘idest virtutes’. Virtus de procul; vitia familiaria, quia a nobis; virtutes desursum. Haec mulier est amicta sole. Nota quod in sole sunt tria: candor et splendor et calor. In candore, castitas; in splendore, humilitas; in calore caritas designatur. Ex his tribus fit pallium fidelis animae, caelestis sponsi sponsae. De hoc pallio dixit Booz ad Ruth: Expande pallium tuum quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente et tenente, mensus est modios sex hordei et posuit super eam. “Booz fortis”, “Ruth videns vel festinans interpretatur”. Quid extensio pallii et utraque manus, quid sex modii hordei significent, videamus. Ruth est anima, quae huius mundi miseriam, diaboli fallaciam, carnis concupiscentiam videns, festinat ad vitae aeternae gloriam. Hoc pallium extendit, cum castitatem, humilitatem et caritatem non sibi sed Deo attribuit et ad aedificationem proximo ostendit; utraque manu, timoris scilicet et amoris, tenet, ne perdat. “Manus dicta, quod muniat hominem, vel quod sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat et omnia operatur”. Sic timor et amor Dei hominem muniunt, ne cadat; munus gratiae infundunt, ut perseveret. Si hoc pallium anima ita extenderit et tenuerit, Booz, “idest Iesus Christus, fortis et potens”, metietur sex modios hordei. In hordeo rigor vel asperitas poenitentiae designatur, quae consistit in sex: contritione, confessione, ieiunio, oratione, eleemosynarum largitione et finali perseverantia. Sequitur: Et luna sub pedibus eius. Nota quod in luna sunt tria, tribus supra dictis contraria: macula, obscuritas et frigiditas. Luna est corpus hominis, quod per aetatum successiones crescit et decrescit; ab eo puncto quo incipit in eumdem revertitur, quia ‘terra es et in terram ibis’; habet maculam, quia in iniquitate conceptum; est obscurum infirmitate, frigidum ultima incineratione. Vel, habet maculam, quia luxuria polluitur, obscuritate superbiae obcaecatur, odii et rancoris gelicidio frigidus efficitur. Hanc lunam debet habere mulier sub pedibus, idest mentis affectibus, ut caro spiritui, sensualitas serviat rationi. Unde dicitur in primo libro Regum, quod Abigail ‘ascendit super asinum et venit ad David’. “Abigail interpretatur patris mei exultatio, et significat animam ad poenitentiam conversam”. Unde ‘gaudium erit angelis in caelo etc’. Haec super asinum ascendit, dum corpus affligit et rationi servire cogit, et sic ad David, idest Iesum Christum, accedit. De hoc habes concordantiam in Propheta Nahum: ‘Intra in lutum et tenens subige laterem’. Intra in lutum, considerans scilicet te lutum et quasi sterquilinium, ut, cum Iob dolente, ‘in sterquilinio dolens sedeas, et testa, idest asperitate poenitentiae, saniem culpae abradas’, et, tenens pro musco in manu carnis foetorem, ‘subige laterem, idest afflige carnem’. Later igne solidatur, aquis dissolvitur. Sic caro afflictionibus excocta firmatur, deliciis infirmatur. Unde Ieremias: Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? Hic dicit Osee: Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. Vacca lasciviens vultu stupido discurrit, cibum non capit, taurum gestat et non videt, et dum frangitur onere, delectatur libidine. Sic caro, dum deliciis affluit, per campos

licentiae discurrit; cibum animae non capit; diabolum gestat et non videt, qui eam onere peccati premit, dum libidine succendit. Sequitur: Et corona duodecim stellarum in capite eius. “Stellae a stando dictae, quia fixae sunt semper in caelo et cum caelo perpetuo motu feruntur. Nam quod videtur stellas labi, non sunt stellae sed igniculi ex aere lapsi, qui fiunt dum ventus, altiora petens, aethereum ignem secum trahit”. In capite, ‘idest mente animae’, debet esse corona stellarum, idest virtutum, duodecim. In fronte tres, idest fides, spes et caritas; a dextris tres: temperantia, prudentia, fortitudo; in posteriori, mortis memoria, iudicii dies amara, indeficiens inferni poena; a sinistris patientia, obedientia et finalis perseverantia. Rogamus ergo, Domine Iesu, ut tu, qui es bonus pastor, nos oves tuas custodias, a mercenario et lupo defendas et corona vitae aeternae in tuo regno nos corones. Te praestante, qui es benedictus, gloriosus et laudabilis in saecula saeculorum. Dicat omnis ovicula, omnis fidelis anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA III POST PASCHA

Themata sermonis

Evangelium in tertia dominica post Pascha: Modicum et iam non videbitis me, quod in tribus clausulis dividitur. In primis sermo ad verbi Dei auditores, et quid conferat audientibus, ibi: Vade et accipe librum. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de brevitate gloriae temporalis, ibi: Spes impii quasi lanugo. Item sermo de septem vitiis, quibus qui fuerint irretiti septem punientur poenis, ibi: Audivi vocem magnam. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de planctu iustorum et gaudio carnalium, ibi: Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et ibi: Vocabit Dominus ad fletum. Item sermo contra huius saeculi amatores, carnales et fornicatores, ibi: Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, et de tribus nominibus diaboli, et de decem cornibus et septem capitibus bestiae, et eorum significatione. Item sermo de tristitia sanctorum, ibi: Mundus gaudebit. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo quod tribus modis videt nos Deus, ibi: Iterum videbo vos, et de corde. Item sermo de gloria aeternae beatitudinis et claritate Ierusalem caelestis, ibi: Ostendit mihi Angelus flumen aquae vivae. Item evangelium: Mulier cum parit tristitiam habet, moraliter expositum, in cuius prologo dicitur de natura corviculorum, et de anima poenitente, ibi: Mulierem derelictam. Item in eodem dicitur qualiter homo in utero matris concipitur, et quae sequuntur, et quomodo moraliter sunt intelligenda. Item sermo de confessione, in qua debet laborare anima sicut mulier parturiens, ut ibi: Dole et satage.

Exordium. Sermo ad verbi Dei auditores

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Modicum, et iam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixit angelus Ioanni in Apocalypsi: Vade, et accipe librum de manu angeli et devora illum, et faciet amaricare ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Liber, dictus quasi litterarum uber, abundantiam sanctae praedicationis significat. Hic est ille puteus, quem Isaac in Genesi appellavit Abundantiam. Hoc est flumen ‘cuius impetus laetificat civitatem Dei’, idest animam, in qua habitat Deus. O homo, accipe, idest ad te cape, hunc librum, ut eius

ubertate tuam sterilitatem, eius abundantia tuam inopiam expellas. Et devora illum. Devorat librum qui cum aviditate audit Domini verbum. Unde dicitur in libro Esdrae quod aures omnis populi erant erectae ad librum. Aures ad librum erigit, qui Dei verbum attente audit. Et amaricare faciet ventrem tuum. "Venter est, qui acceptos cibos digerit, dictus quod per totum corpus vitae alimenta ministrat"; 'hominis mentem significat, quae Dei verbum suscipere, susceptum in meditatione digerere, bene digestum ad unamquamque virtutem debet transmittere'. Verbum Domini amaricare facit ventrem, quia. ut dicit Isaias, amara est potio bibentibus illam; et Ezechiel: Abii amarus in indignatione spiritus mei. Nec mirum si verbum Domini mentem amaricare facit; praedicit enim ista temporalia casura, vitae praesentis modicitatem, mortis amaritunem, gehennae acerbitatem. Sed in ore tuo erit dulce tamquam mel, quia quidquid difficile est in praecepto, amarum in praedicationis verbo, leve et dulce est amanti; vel amarum est in praesenti, quia pungit ad poenitentiam, sed dulce erit in patria, quia perducet ad gloriam. Unde de his duobus dicit Dominus in hodierno evangelio: Modicum et iam non videbitis me.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, nostrae vitae mora modica, cum praemittitur: Modicum et non videbitis me. Secundum, mundanorum vana laetitia, ibi: Amen, amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos etc. Tertium, gloria aeterna, ibi: Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum etc. Huius evangelii tribus clausulis tres ultimas partes Apocalypsis volumus concordare. Prima pars agit de septem angelis, habentibus phialas plenas irae Dei. Secunda, de damnatione meretricis magnae, idest vanitatis mundanae. Tertia, de flumine aquae vivae, idest perennitate vitae aeternae. In introitu missae cantatur: Iubilate Deo, omnis terra. Et legitur epistola beati Petri: Obsecro vos, tamquam advenas et peregrinos.

I – De nostrae vitae mora modica

3 – Dicamus ergo: Modicum et iam non videbitis me; ac si diceret: "Modicum, idest parvum tempus restat usque ad hoc quod patiar et claudar sepulcro; et iterum parvum tempus usquequo resuscitatum videatis. Vel parvum tempus est, idest triduum, quo clausus non videbor; et iterum parvum, idest quadraginta dies, quo suscitatus videbor. Quia vado ad Patrem; hoc est quia tempus est, ut, deposita mortalitate, humanam naturam caelis inferam". MORALITER. Nota quod in hoc evangelio septies ponitur modicum ad significandum quod vita nostra, quae circumvolvitur septem diebus, modica est. Unde Iacobus: Quae est vita nostra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Unde Iob: Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Et iterum: Laus impiorum brevis et gaudium hypocritae ad instar puncti. Punctum a pungendo dictum, adeo brevissimum quod intervallo careat, quod ob incomprehensibilem brevitatem sui in partes dividi non possit. Punctus est vita peccatoris, in qua est punctio conscientiae, brevitas vitae. Unde in libro Sapientiae: Spes impii tamquam lanugo, quae a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis. Voluptas, quae speratur ex abundantia terrenorum, volatilis est ut lanugo. Lanugo dicta, quasi lana super poma; vel est fructus cannae, inanis et superficialis ut spuma, de qua in Osee: Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquae. Samaria est dignitas, quae

facit transire regem suum, idest praelatum, quasi spumam, per quam intelligitur superbia, quae cito tollitur procella infirmitatis. Voluptas etiam tamquam mentis fumus turbat oculos; stercora, 'idest immunditias peccati', relinquit, ut hospes praeteriens. His quattuor similitudinibus consonat illud Osee: Erunt, inquit, quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus praeteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario. Nubes et ros sole adveniente fugatur et consumitur. Pulvis vento rapitur, fumus in tenues auras dissolvitur. Sic, adveniente ardore mortis, temporalium abundantia fugiet et deficiet, et carnalis concupiscentia et omnis vanagloria evanescet. Vae ergo illis, qui pro huius vitae modica abundantia, momentanea delectatiuncula, vitae aeternitatem perdiderunt: in huius infelicis exilii dierum septenario, septem vitiis sunt irretiti, et ideo bibent de septem phialis irae Dei.

4 – Unde habes concordantiam in Apocalypsi: Audivi, inquit Ioannes, vocem magnam de caelo dicentem septem angelis: Ite, et effundite septem phialas irae Dei in terram. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram. Et secundus effudit phialam suam in mare. Et tertius effudit phialam suam super flumina et super fontes aquarum. Et quartus effudit phialam suam in solem. Et quintus effudit phialam suam super sedem bestiae et factum est regnum eius tenebrosum. Et sextus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem. Et septimus effudit phialam suam in aerem. 'Per terram, avari et usurarii'; 'per mare, superbi et inflati'; 'per flumina et fontes aquarum, luxuriosi'; 'per solem, vanagloriosi; per sedem bestiae, invidi et accidiosi'; per flumen Euphratem, 'quod interpretatur abundantia', ebrii et gulosi; per aerem falsi religiosi designantur. De terra avaritiae dicit Dominus serpenti in Genesi: Terram comedes omnibus diebus vitae tuae, 'quia avarus cibus est diaboli'. De mari superbiae dicit Iob: Mare loquitur: Non est mecum, scilicet sapientia, quia Deus superbis resistit. De flumine luxuriae dicitur in Exodo, quod praecepit Pharao omni populo suo dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proicite. "Pharao interpretatur dissipans vel discooperiens eum", et 'significat diabolum, qui, postquam virtutum fabricam dissipat, hominem miserum pallio gratiae discooperit et denudat. Hic omne opus virile, virtuosum et perfectum, in flumine luxuriae cupit interficere, feminas vero, idest mentes effeminatas, quibus abutatur, reservare'. De sole vanaegloriae dicit Dominus in Matthaeo, de seminibus seminantis: Sole orto aestuaverunt, et quia non habebant radicem aruerunt. "Semina sunt bona opera", quae, sole vanaegloriae aestuante, arescunt. Quidquid enim propter vanamgloriam facis totum amittis, de qua dicit beatus BERNARDUS: Tibi, cinis et pulvis, gloria unde? De vitae sanctitate? Sed spiritus est qui sanctificat: non tuus sed Dei. An blanditur tibi favor popularis, qui verbum bonum bene deprompseris? Sed Deus est qui dedit os et sapientiam. Quid est lingua tua, nisi calamus scribae velociter scribentis?" Dicit PHILOSOPHUS: 'Compendiosa eos via ad gloriam pervenire, qui darent operam ut quales videri vellent tales essent'. De sede invidiae, in qua habitat bestia, "idest diabolus", dicitur in Apocalypsi: Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae. Invidi sunt sedes diaboli. Unde dicit Iob: Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur. Latibulum et antrum corda significant invidorum, quae fuligine invidiae sunt obscura. 'Antrum enim quasi atrum, idest obscurum, dicitur'. De Euphrate gulae dicitur in Ieremia, quod 'lumbar computruit in flumine Euphrate'. Lumbar castitatis computrescit in abundantia gulae et ebrietatis. Dicit PHILOSOPHUS: "Ede et bibe, ut bene vivas; non vivas, ut tantum edas et bibas". De aere falsae religionis dicitur in Apocalypsi, quod

obscuratus est aer de fumo putei. Puteus est cupiditas, cuius fumus omnes fere religiosos iam infumavit. Omnes illi, qui istis septem vitiis fuerint irretiti in huius vitae septenario, inebriabuntur septem phialis, idest septem plagis, idest septem iudiciariis sententiis, in inferno. In corpore enim et in anima, quibus peccaverunt, aeternaliter punientur.

II – De mundanorum vana laetitia

5 – Sequitur secundum. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. "In aerumnis huius saeculi omnes boni plorant, sed mundi amatores gaudent". Unde de utroque dicit Isaias: Vocavit Dominus exercituum ad fletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci; et ecce gaudium et laetitia, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum: Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Omnes iusti Dei gratia vocati sunt in fletu contritionis et planctu confessionis; in calvitio, idest temporalium abrenuntiatione, et cingulo sacci, 'idest asperitate poenitentiae'. Sed mundi amatores sunt in gaudio mundi, laetitia peccati, gula et luxuria inebriati.

6 – Haec est illa Babylon, de qua habes concordantiam in Apocalypsi: Vidi, inquit Ioannes, mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiae, habente septem capita et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis eius. "Mulier, a mollitie sic dicta", "molles illos significat, qui Evae, a qua peccatum incepit, conformantur". De hac muliere dicit Salomon: Mulier fornicaria, quasi stercus in via. "Stercus dictum, quia stratum in agris". Mulier fornicaria sunt omnes mundani, qui conculcantur a daemonibus, tamquam stercus a transeuntibus. De hac meretrice Dominus conqueritur per Ieremiam: A saeculo, inquit, confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam. In omni enim colle sublimi et sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix. Filii huius saeculi, generatio prava, adultera et perversa; filii alieni, socii furum, idest daemonum, confregerunt iugum obedientiae, ruperunt vincula praeceptorum Dei et dixerunt: Non serviemus. Unde Iob: Quis est, inquiunt, Omnipotens, ut serviamus ei? Et quid prodest nobis si adoraverimus eum? In omni colle sublimi superbiae et sub omni ligno frondoso luxuriae, quia luxuria frondosa et opaca loca quaerit, tamquam meretrix, diabolo prosternuntur. Bene ergo dicit Ioannes: Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam. 'Bestia dicta, quasi vastia', est diabolus vastans animae virtutes, 'qui est sanguineus in se et in suis. Super hunc sedent mundani; quia ipse fundamentum eorum', ipsi innituntur. Sed "qui – diabolo de caelo – labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur". Unde Iob: Videntibus cunctis praecipitabitur, tam ipse quam reprobi, quorum ipse caput. Plenam, inquit, nominibus blasphemiae. Diabolus habet tria nomina, ut dicitur in Apocalypsi: Hebraice Abdo, graece Apollyon, latine habet nomen Exterminans. "Abdo servus", Apollyon exterminans interpretatur. Vel, dicitur Apollyon graece apotheis polin, idest noxius, qui et infernalis dicitur. Haec sunt nomina blasphemiae, quibus diabolus et eius membra Deo blasphemant. Sunt enim servi peccati, noxii et infernales exterminantes, 'idest extra terminum vitae aeternae se et alios ponentes'. Habentem

septem capita et cornua decem. Septem capita sunt illa septem vitia, de quibus dicit Propheta in Psalmo: Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius et iniustitia; et non defecit de plateis eius usura et dolus. Civitas sanguinis, universa plena mendacii, in quam Dominus non ingreditur, est collecta multitudo carnalium, in qua est iniquitas ad Deum, quae, hic bis ponitur, quia duobus modis contra Dominum peccatur, committendo scilicet et omittendo; contraddictio ad praelatum; labor et iniustitia ad teipsum; usura et dolus ad proximum. Decem cornua sunt de quibus Apostolus ad Romanos: Repletos, inquit, omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate. Vel, septem capita et decem cornua sunt illa, de quibus dicitur in libro Sapientiae: Omnia commixta sunt: sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio, infidelitas, turbatio et periurium, tumultus bonorum, Domini immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum incostantia, inordinatio, moechia et impudicitia, infandorum cultura idolorum.

7 – Sequitur: Et mulier erat circumdata purpura etc. 'In purpura, amor dignitatis; in coccino, quod sanguinei est coloris, crudelitas mentis; in auro, mundana sapientia'; in lapide pretioso et margaritis divitiarum opulentia designatur. Istis mulier fornicaria, Babylon magna, Satanae synagoga, carnalium turba circumdatur et ornatur. De qua subditur: Habens poculum aureum in manu sua etc. Poculum, vel calix aureus, in manu Babylonis est mundi gloria, foris aurea, sed intus omni spurcitia et abominatione plena. Unde Salomon in Parabolis: Fallax gloria, et vana pulchritudo. Hoc calice inebriantur reges mundi, Ecclesiae praelati, religiosae et religiosi. Unde Ioannes: Cum qua, inquit, fornicati sunt reges terrae, et inebriati sunt qui habitant terram de vino prostitutionis eius. De qua ebrietate dicit Isaias: Dominus immiscuit in medio Aegypti spiritum vertiginis, et errare fecit Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. "Vertigo proprie est quotiescumque ventus consurgens terram in gyrum mittit", vel dolor capitis. In medio Aegypti, idest in mundanis, Dominus miscuit, idest misceri permisit, spiritum vertiginis, idest amorem cupiditatis, cuius impulsu, quasi quodam vento, in circuitu mutantur, et sic errant sicut ebrius, qui numquam invenit viam latam; et sicut ebrius dum trahitur, dum percutitur non sentit, sic nec isti. Unde dicunt in Parabolis: Verberaverunt me, et non dolui, traxerunt me et non sensi; quia miser peccator non dolet, cum a daemonibus verberatur; nec sentit, cum de peccato in peccatum ab ipsis trahitur. De hoc habes concordantiam in Threnis Ieremiae: Gaude et laetare, filia Edom, quae habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis. 'Edom interpretatur sanguis. Filia Edom est carnalium effeminata voluptuositas. Huic ironice loquitur Propheta: Gaude et laetare. Gaudet in abundantia saeculi, laetatur in carnis luxuria. Haec habitat in terra Hus, quod interpretatur consilium', de quo dicit Isaias: Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Sapientes huius mundi dant consilium insipiens, temporalia scilicet quaerere, fugientia apprehendere, falsae mundi promissioni credere. Istius mundi consilio filia Edom decepta, calice aureo mundanae gloriae inebriatur et postmodum denudatur. Huius enim saeculi amatores post temporalium ebrietatem nudabuntur omnibus bonis, et nudati damnabuntur aeternis poenis. Unde subdit Ioannes in Apocalypsi: Sustulit, inquit, unus angelus fortis unum lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, illa magna civitas et ultra non invenietur. Angelus fortis est "Christus, quia aereas potestates

devicit". Sustulit unum lapidem, "quia elevat malos" "habentes dura corda", "ut gravius puniat"; quasi molarem magnum, "quia per mundana volvuntur", vel quia alios conterunt; et misit in mare, "idest in amaritudinem inferni", ut 'quantum se Babylon exaltavit et in deliciis fuit, tantum sentiat tormentorum'.

8 – Bene ergo dicit Dominus in hodierno evangelio: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, et illius gaudium in tristitiam. Unde in hoc eodem evangelista dicit Dominus: Omnis homo primum bonum vinum ponit, deinde id quod deterius est. In hoc mundo bibunt vinum laetitiae, sed in alio bibent acetum gehennae. Unde in Ieremia: Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent; et tu, quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes. Quia per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quod in solitudinem et in opprobrium et in derisum et in maledictionem erit Bosra. Sancti, quibus non est iudicium, ut bibant calicem tristitiae huius saeculi, bibentes cordis amaritudine, bibent corporis dolore; dolent enim et gemunt super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio universae terrae. Et tu, Babylon, mater fornicationum, quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens in hoc saeculo vinum gaudii, bibes in alio acetum inferni. Dicit GREGORIUS: 'Si tanta est vitae mortalis infirmitas ut nec iusti quidem, qui in caelo commorandi sunt, hinc sine laboribus, propter innumerum humanae miseriae cumulum, transeant vitam, quanto magis hi, qui a caelesti gloria sunt exortes, certum perpetuae suae damnationis exitum expectant?' Et iterum: 'Quoties patientiam Iob considero et mortem sancti Ioannis Baptistae mente recolo, tibi dico, o peccator, intellige hinc quid sint passuri quos Dominus reprobat, dum sic patiuntur qui, iudice teste, laudantur. Quid faciet virgula deserti, ubi timore concutitur cedrus paradisi? Sequitur: Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, 'quia maiorem non habeo', quod Bosra, "quae interpretatur munita", idest mundanorum perfida synagoga, quae, propugnaculis peccatorum, iaculis defensionum, se munit contra Dominum, erit in solitudinem, quia sola remanebit sine gratia comite, et in opprobrium, quia denudata temporalibus, et in derisum, quia illusa a daemonibus, et in maledictionem illam, scilicet: Ite, maledicti, in ignem aeternum etc. Sequitur: Mulier cum parit tristitiam habet. Tristis dictus, quasi tritus, a tero teris. Sancti in huius exilii peregrinatione sunt triti, 'afflicti, angustiati, quibus dignus non est mundus'; quibus loquitur Petrus in hodierna epistola: Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam. Advena dictus, "quasi aliunde veniens". Peregrinus est 'qui extra suam patriam proficiscitur'. Omnes advenae sumus quia aliunde, idest de gaudio paradisi, devenimus in huius miseriam exilii; peregrini etiam sumus, quia proiecti a vultu oculorum Dei, extra patriam caeli mendicantes proficiscimur. Abstineamus ergo a carnalibus desideriis, similes Nabot, "qui interpretatur conspicuus", ut, sicut ille maluit mori, ut dicitur in tertio libro Regum, quam hereditatem suam vendere, sic debemus malle quascumque poenas pati, quam pro carnis deliciis aeternam gloriam dare. Quod si fecerimus, tristitia nostra in gaudium convertetur. Cui consonat introitus hodiernae missae: Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. Tria dicit: Iubilate, scilicet corde; psalmum dicite, ore; date gloriam, opere, ut ad gloriam aeterni gaudii pervenire mereamur.

III – De gloria aeterna

9 – Sequitur tertium. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Nota quod tribus modis videt nos Deus. Primo, gratiam conferendo. Unde dixit Nathanaeli: Cum esses sub ficu, vidi te. 'Exules paradisi habuerunt vestes de foliis ficuum, quae carnis excitant pruritum'. Ille est sub ficu, qui in umbra tepidae conversationis et pruritu libidinosae carnis habitationem sibi eligit. Hunc Deus videt, cum ei gratiam confert. Secundo videt, cum gratiam collatam conservat. Unde in Genesi: Vidit Dominus cuncta quae fecerat; et erant valde bona. Cuncta quae facit Dominus in nobis, cum gratiam infundit, sunt bona; sed cum videt, idest ipsa in nobis conservat, tunc sunt valde bona, idest perfecta. Tertio videbit nos assumendo ad seipsum. Unde dicit: Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum. 'Cor est fons caloris et principium sanguinis, et est principium motuum rerum delectabilium et offensibilium; et universaliter motus cuiuslibet sensus ex illo incipiunt et ad ipsum redeunt'. 'Et virtus spiritualis remanet ultimo in corde; et accidit omnibus membris mortificatio prius quam cordi, quod primo et ultimo movetur in nobis'. Quia ergo cor est membrum dignius ceteris, ideo Dominus de eo intulit: Et gaudebit cor vestrum, ut sicut ab ipso vita procedit, sic et gaudium.

10 – Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. De hoc habes concordantiam in ultima parte Apocalypsis: Ostendit, inquit Ioannes, mihi angelus flumen aquae vivae, splendidum tamquam crystallum, procedens de sede Dei et Agni in medium plateae eius. In flumine perpetuitas, in aqua viva satietas, in splendido crystallo claritas, in sede Dei et Agni Dei et hominis glorificata humanitas designatur. Ecce gaudium vestrum, quod nemo tollet a vobis. De flumine perpetuitatis dicit Dominus in Isaia: Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset pax tua sicut flumen. 'Flumen perpetuas habet aquas'. O homo, si mandata Dei attendis, in pace perpetuitatis securus gaudebis. De satietate aquae vivae dicitur in Psalmo: Apud te est fons vitae': fons indeficiens, fons omnes satians, de quo 'qui biberit non sitiet in aeternum'. De splendore dicitur in eadem Apocalypsi: Civitas non eget sole, neque luna; nam claritas Dei illuminat eam, et lucerna eius est Agnus, idest Filius Dei. De cuius sede, idest humanitate, in qua se humiliavit divinitas, lumen perpetuitatis, aqua viva aeternae satietatis, crystallinus splendor divinae claritatis procedunt in medium, 'idest communitatem', plateae civitatis, Ierusalem caelestis, quia 'Deus erit omnia in omnibus', omnes unum recipient denarium, uni omnes comparticipabunt remunerationi, gratias agentes Verbo Incarnato, quia per ipsum perpetui, satiati, splendidi et beati sunt effecti. Rogamus et nos, Domine Iesu, ut in huius vitae modicae septenario, spiritum salutis facias nos concipere, et heredem vitae aeternae in tristitia cordis parturire, ut in caelesti Ierusalem de flumine aquae vivae bibere, et tecum mereamur congaudere. Te praestante, qui es benedictus, gloriosus, laudabilis et amabilis, dulcis et immortalis per aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen. Alleluia.

IV – De anima dolente et bonum opus parturiente

11 – Mulier cum parit tristitiam habet. Dicit Isaias: Mulierem derelictam et moerentem spiritu vocavit te Dominus. Dominus, suae gratiae inspiratione et Ecclesiae praedicatione, vocat mulierem, idest animam peccatricem, mollem et effeminatam, ad poenitentiam; derelictam a diabolo, assumptam a Deo. Unde ipsa dicit: Pater meus, "idest diabolus", et mater mea, idest carnalis concupiscentia, dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit

me. ‘Quos diabolus derelinquit Christus assumit’. ‘Dicitur, quod corvus non cibat filios suos, nisi prius viderit plumas nigras succrescere’; unde ipsi corviculi interim sic vivunt: muscae enim ad spumam, quae de ore corviculorum profluit, congregantur; et tunc corviculi attrahunt spumam suam cum muscis, et sic mirabiliter reficiuntur. Unde Iob: Quis praeparavit corvo escam, quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes, eo quod non habeant cibos? Et in Psalmo: Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Corvus vero, si in pullis suis plumarum candorem succrescere viderit, eos derelinquit et a nido proicit. Corvus est diabolus. Filii corvi sunt peccatores in mortali existentes, paternam nigredinem imitantes. Unde de eis dicit Nahum propheta: Facies eorum sicut nigredo ollae. Olla nigredinem ex igne et fumo contrahit. Facies sunt opera, per quae, tamquam per faciem, cognoscitur homo. A fructibus eorum cognoscetis eos. Opera ergo peccatorum sunt sicut nigredo ollae, quia igne diabolicae suggestionis et fumo concupiscentiae carnalis denigrata. Unde dicit Ieremias in Threnis: Denigrata est super carbones facies eorum. Sunt ergo peccatores filii diaboli; sed, cum per gratiam candorem remissionis peccatorum recipiunt, tunc diabolus eos derelinquit, et Dominus piissimus in suae misericordiae brachiis suscipit. Bene ergo dicitur: Mulierem derelictam et moerentem spiritu. Unde ipsa dicit in Threnis Ieremiae: Posuit me desolatam, tota die moerore confectam. Desolatam, “idest solatio temporalium destitutam”, moerore confectam: optima confectio, cum ex tribus electis speciebus – contritionis, confessionis et satisfactionis – et balsamo divinae miserationis conficitur, opere apothecarii, idest Spiritus Sancti, electuarium animae poenitenti. De qua dicit Dominus in hodierno evangelio: Mulier, cum parit, tristitiam habet etc. Quia Dominus de muliere parturiente et ipsius dolore similitudinem proposuit, ut nos doceret de peccato dolere et bonum opus parturire, ideo qualiter homo in utero matris concipitur, et quomodo formatur et novem mensibus portatur, et qualiter cum dolore parturitur, volumus SECUNDUM NATURAM primo dicere et postmodum quaedam ex istis MORALITER explanare.

12 – Mulier in delectatione concipit et in dolore parturit. “Post impregnationem gravatur et efficitur super oculos eius quasi obscuritas; et hoc apparet in quibusdam cito, post decem dies, et in quibusdam mulieribus retardatur. In impregnatione accidit impregnatis debilitas appetitus, quando embryoni incipiunt pili oriri in capite”. “Cor primum inter omnia membra formatur, et membra interiora formantur antequam exteriora. Et distinguitur prius pars superior, quae est a pariete ad superius, et est maior in respectu; pars autem inferior est minor. Necessario hoc membrum cor debet creari ante alia, quoniam est principium motus et est membrum habens magnum dominium, quia ex ipso vita procedit”. “Et cor positum est in loco superiori et in anteriori: quod nobilius est ordinatum est in loco nobiliori naturaliter”. “Cor autem solummodo inter omnia membra interiora non potest pati dolorem nec infirmitatem magnam. Et hoc rectum est, quia quando corrumpitur principium, in nullo adiuvat residua membra. Et alia membra recipiunt virtutem a corde; cor autem non recipit ex eis”. “Et non est in aliquo corde os, praeterquam in equo et in uno genere vaccarum, quoniam in corde horum animalium est os propter magnitudinem corporis. Os enim positum est in corde naturaliter ad sustentandum, sicut in omnibus”. “Post creationem ergo cordis creatur pars superior corporis. Unde prius in creatione embryonis apparent caput et oculi. Quod vero est sub umbilico, ut crus et coxa, apparet valde parvum, quoniam pars inferior non est nisi propter partem superiorem”. “Debet ergo esse in corde principium sensuum et omnes

virtutes animales, et propter hoc creatur cor prius. Et propter calorem cordis et exitum venarum ex eo, posuit natura membrum frigidum in opposito cordis, scilicet cerebrum; et propter hoc creatur caput in generatione, post creationem cordis. Magnitudo autem capitis est maior magnitudine aliorum membrorum, quoniam cerebrum est magnum et humidum ex prima creatione. Unde infantes non possunt ferre caput longo tempore propter pondus cerebri. Et omnia membra recipiunt prius terminos et signa, deinde post recipiunt colores et duritiem et mollitiem subtiliter; quoniam signator prius signat, deinde ponit colores super illa signa, quousque compleat opus suum". "Si corpusculum in marem figuretur, color melior est gravidis et pronior parturitio uteri. Deinde a quadragesimo die est motus. Alter sexus, scilicet femina, nonagesimo primum die palpitat, et concepta femina gestantis vultum pallore inficit, crura quoque praepedit languida tarditate. In utroque sexu, cum capilli germinant, incommodum maius est, fitque pleniluniis auctior aegritudo, quod tempus etiam editis semper nocet. Cum salsiores escas edit gravida, ungulis caret partus". Et nota quod "omne animal quadrupes est extensum in matrice, et omne animal carens pedibus stat in matrice super latus, sicut pisces", 'utpote balaena et delphinus, quae portant filios suos in utero'. Alii vero pisces faciunt ova sua in aqua, et ideo parum diligunt filios, quia parum laborant in eis. Et ideo dicit Habacuc: Fecisti homines sicut pisces maris, et sicut reptile non habens principem. "Et omne animal habens duos pedes stat incurvatum in matrice, sicut aves et homo, quoniam ista stant incurvata in matrice, et nasi eorum stant inter genua, et oculi eorum super genua". Unde 'genae dicuntur a genibus, quae cum in oratione flectimus, oculi, quasi quadam pia cognatione, ad lacrimas provocantur'. "Et auriculae eorum sunt extra. Et omnia animalia in principio tenent capita superius, et quando complentur et moventur ad exitum, vertunt capita ad inferius". "Quoniam pars superior est maior parte inferiori, sicut accidit trutinae, quando declinat ponderosius ad terram". "Et manus embryonis, in hominibus, sunt extensae super costas; et quando embryo paritur, subito vadit manus ad os". "Cum mulier prope ad uterum liberandum venerit, momenta maturitatis, enitentis spiritum retinere multum congruit, quoniam quidem letali mora oscitatio suspendit puerperia". 'Quod praecipue accidit mulieribus, quae non habent costas magnas, quoniam non bene possunt tenere anhelitum. Nota quod etiam in plurimis mulieribus peioratur dispositio, tempore impregnationis; et hoc accidit propter quietem, ex qua congregatur in eis multa superfluitas. In mulieribus autem laborantibus non manifestatur impregnatio sicut in aliis; et forte pariet statim, nam labor consumit superfluitates'. Labor autem est ex eis quae faciunt evaporare multum, ita quod mulier in tempore partus potest retinere suum anhelitum; quoniam, hoc quando fecerit, erit partus levis et facilis; et cum non erit, e contrario, quia dolorosus, difficilis et tristis. Mutier ergo, cum parit, tristitiam habet.

13 – MORALITER. Mulier est anima. Sancti Spiritus gratia est quasi vir, ipsam impregnans filio benedictionis, idest proposito bonae voluntatis et spiritu salutis. Unde Isaias: 'A facie tua, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis'. Post cuius impregnationem, anima gravatur, quia pro peccatis amigitur; visus caligine hebetatur, quia splendor temporalium ei offuscatur. Unde Iob: Obtenebrentur stellae caligine eius. Stellae gloriae mundanae obtenebrentur caligine poenitentiae. In impregnatione accidit debilitas et fastidium appetitus, quia anima, postquam gratia Dei gravidatur, fit ad malum debilis, priora vitia fastidit. Unde Sponsa in Canticis: 'Nuntiate Dilecto, quia amore langueo'. Homo languidus est debilis et cibaria fastidit. 'Sic anima amore sui sponsi

languet, cum ad malum efficitur debilis et vitia anteacta fastidit'. Cor primum inter omnia membra formatur. In corde humilitas notatur, in quo ipsa principale eligit hospitium. Discite, inquit Dominus, a me, quia mitis sum et humilis corde. Haec inter ceteras virtutes prius debet formari, quia ipsa est forma deformata informans. Nam ex ipsa est principium motus totius bonae operationis, magnum habens dominium inter ceteras, 'quia mater et radix omnium virtutum'. Unde Salomon in Parabolis: Melior est canis vivus leone mortuo. Ibi dicit GLOSSA: 'Melior est humilis publicanus superbo pharisaeo' quanto magis se humiliavit, tanto magis exaltatus fuit. Unde beatus BERNARDUS: 'Quo profundius fundamentum humilitatis iacies, eo aedificium altius consurget'. Humilitas ceteris virtutibus nobilior, quae sua nobilitate ignobilia et inhonesta humiliter sustinet; in loco superiori, idest in oculis, et in anteriori, idest gestu corporis, principalius debet ordinari. Unde dicitur de humili publicano: Non audebat oculos suos levare ad caelum; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Sicut cor non potest pati dolorem nec infirmitatem, sic vera humilitas istud non potest pati, scilicet dolere de illata iniuria, nec infirmari de alterius prosperitate. Et hoc rectum est, quia si humilitas corrumpitur ceterarum virtutum fabrica dissipatur. Unde GREGORIUS: "Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi qui pulverem in ventum portat". Et in aliquo corde non est os, praeterquam in corde equi et vaccae. In equo, hypocrita arrogans; in vacca luxuriosus designatur. In simulata humilitate hypocritae est os superbiae et rapinae; superbit enim de penna struthionis et rapit laudes alterius sanctitatis. In instabili humilitate luxuriosi est os excusationis et obstinationis. Per haec duo animalia, equum et vaccam, omnia genera vitiorum intelliguntur.

14 – Sequitur: Post creationem cordis etc. Postquam humilitas in mente hominis formatur, tunc fit distinctio partis superioris et inferioris, et quia pars superior est dignior inferiori, ideo prius formatur, et in ipsa prius apparent caput et oculi. Pars superior est vita contemplativa, in qua prius apparet, et debet apparere, caput caritatis, de quo dicitur in Canticis: Caput eius aurum optimum. Aurum est purum et lucidum. Nam caritas, pura ad Deum, lucida debet esse ad proximum. Et apparent oculi, idest cognitio aeternae felicitatis. Vita activa, tamquam pars inferior, debet servire contemplationi, quoniam pars inferior non est nisi propter partem superiorem. Unde Apostolus: 'Non vir propter mulierem, sed mulier propter virum est formata', quia non contemplativa propter activam, sed vita activa propter contemplativam est instituta. Et sicut cerebrum, membrum frigidum, est positum in opposito cordis, ut ipsius temperet calorem, sic vita contemplativa, quae consistit in mentis compunctione, est posita ex opposito vitae activae, ut sua oratione, lacrimarum compunctione, laboris fervorem, tentationis eius calorem temperet, quae in cordis humilitate consistere debet. Et sicut magnitudo capitis est maior aliorum membrorum, sic gratia contemplationis est sublimior, quia Deo, quem contemplatur, vicinior. Heu! quanti infantes, idest mente instabiles, magnitudinem huius capitis experti sunt ferre, sed longo tempore non potuerunt portare, propter sui magnitudinem. 'Solus Abraham, idest vir iustus, cum puero, idest mentis puritate, ascendit in montem' 'vitae contemplativae'. 'Pueri autem remanserunt in convalle mundanae delectationis, expectantes cum asino', "idest asinina tarditate". Et sicut omnia membra prius recipiunt terminos, signa, colores, duritiem et mollitiem, sic omnes virtutes debent habere terminos suos, ut regia via gradientes non declinent ad dexteram vel sinistram, ne 'sub praetextu iustitiae crudelitas sibi locum vindicet, et remissa segnities

mansuetudinis pallio se palliet'. Et signa, dominicae scilicet Passionis, ut quidquid virtutis agimus totum dominicae Crucis sigillo sanguineo consignemus. Et colores, non fuscos sed veros, ne vitia, virtutum tincta colore, animam decipiant. Unde dicit sanctus ISIDORUS: "Quaedam vitia virtutum speciem praeferunt; unde perniciosius suos sectatores decipiunt, quia se sub velamine virtutis tegunt". Et PHILOSOPHUS: "Nullae sunt occultiores insidiae quam eae, quae latent in similitudine officii". 'Nam troianus equus idcirco fefellit, quia formam Minervae mentitus est'. Debent etiam habere virtutes duritiem et mollitiem: vinum et oleum, virgam et manna, verbera et ubera, ferrum et unguentum.

15 – Sequitur: Si corpusculum in marem figuretur etc. 'In masculo opus virtuosum, in femina opus effeminatum designatur'. Cum anima opus virtuosum concipit, est bonae dispositionis, quia recte et ordinate omnia disponit; et boni coloris, quia Deo placet et proximum aedificat. Hunc 'masculum vult submergere Pharao, idest diabolus, in flumine Aegypti', idest amore huius saeculi. De hoc masculo dicitur in primo libro Regum: Domine exercituum, inquit Anna, si dederis servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius. Sexum virilem, non femineum, petit. Noverat enim quod 'Pharao feminas sibi reservari iussit'. In sexu ergo femineo effeminatae mentis opus designatur; quod anima misera cum concipit, eius vultus pallore inficitur idest amore terrenitatis foedatur et languida tarditate praepeditur, quia negligens et tepida, viribus destituta, a bono opere retardatur. Haec est filia regis Aegypti, quae infatuavit sapientiam Salomonis et 'avertit cor eius, ut sequeretur deos alienos'. Heu! Quanti hodie sapientes, effeminatione mentis tepidi, sequuntur mortalia peccata! Quot mortalia habes, tot deos adoras. Dicit beatus BERNARDUS: Si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam si tibi non fueris". Cum pili, "idest superfluae cogitationes", in mente oriuntur, magnum animae generant incommodum, quia perversae cogitationes, ut dicit Salomon, separant a Deo. Et cum salsiores escas edit gravida, ungulis caret partus. "Sal terram sterilem reddit". 'Uxor Lot in salis statuam mutata fuit'. 'Sal infatuatum foras proici Dominus iussit'. Sal in hoc loco significat vanamgloriam, quae omne opus sterile reddit. Anima, heredem vitae aeternae paritura, si sal vanaegloriae comederit, eius opus ungulis, idest finali perseverantia et caelesti gloria, carebit. Item, avis et homo incurvata sunt in matrice; et nasi eorum sunt inter genua, et oculi super genua, et auriculae extra. "In naso, discretio"; in genibus, lacrimarum compunctio et poenitentiae afflictio; 'in oculis, mentis illuminatio', 'in auriculis obedientiae iussio designatur'. Avis et homo bonae voluntatis propositum significant, quia volat in contemplatione, laborat actione. Homo, inquit Iob, nascitur ad laborem, et avis ad volandum. Huius nasus debet esse inter genua, ut, tam in mentis compunctione quam in corporis amictione, media via discrete procedat; et oculi super genua, ut hilaris conscientiae illuminatione omnia faciat, 'quia hilarem datorem diligit Deus'; et auriculae extra, ut libere obediat, quia "obedientia, ut dicit GREGORIUS, ceteras virtutes sibi inserit, insertasque custodit". Hic animae filius debet extendere manus super costas. Costae dictae, "quod ab ipsis interiora custodiantur", sunt vilitas sui et contemptus mundi, quae bene omnes virtutes custodiunt; super quae [animae filius] manus operum debet extendere et firmiter apprehendere, ut dicat cum Abraham: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Et cum David: Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris et pulicem unum. Et cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est etc. Et cum paritur subito vadit manibus ad os. Per

hoc significat quod quilibet, suae nativitatis memor, debet manum superponere ori suo, ne delinquat in lingua sua, quia, ut dicit Salomon, 'qui custodit labia sua, custodit animam suam'. Item, cum mulier prope ad uterum liberandum venerit, momenta maturitatis etc. Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Hora partus mulieris est confessio animae poenitentis, in qua debet contristari, gemitus amaros emittere, dicens cum Propheta: Laboravi in gemitu meo. Nota quod in muliere parturiente quattuor considerantur: dolor et labor, gaudium de partu et officium obstetricis. Haec similiter considerantur in poenitente, cuius gerit figuram parturiens mulier.

16 – De dolore et labore dicit Michaeas propheta: Numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens; quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. Iesus Christus est rex, quia regit animam, ne oberret; consiliarius, quia consulit, ut de misericordia speret, cui dicit: Dole, o filia Sion, 'idest anima', contritionis dolore; satage, idest satis age, in satisfactionis labore, ut poena respondeat culpae, quia nunc egredieris de civitate, 'idest sanctorum congregatione', quod fit poenitentibus in capite ieiunii, nam 'leprosus extra castra sequestratus habitabat'; et habitabis 'in regione dissimilitudinis in qua prodigus filius patris substantiam expendit, luxuriose vivendo'. Habitabis, inquam, ut 'dissimilitudinem tuam cognoscas et Dei similitudinem', secundum quam formata es, recipias, et venias usque ad Babylonem, idest peccati confusionem, ut, de peccato tuo confusa, peccatum agnoscas, agnitum defleas, flens gratiam recipias; ibi liberaberis, quia, ut dicit AUGUSTINUS, "Si tu agnoscis, Deus ignoscit"; ibi redimet te Deus de manu inimicorum tuorum, quia peccati confusio est daemonum expulsio. De gaudio partus spiritualis dicit Dominus in Luca: Gaudium est in caelo super uno peccatore poenitentiam agente; et: Congratulamini mihi, quia drachmam quam perdideram inveni; et de Ioanne Gabriel: Multi, inquit, in nativitate eius gaudebunt; et in Genesi dicitur quod 'Abraham fecit grande convivium in die ablactationis Isaac': quando enim peccator ablactatur, idest separatur a lacte mundanae conversationis et concupiscentiae carnalis, tunc Abraham, idest Deus Pater, facit magnum convivium in caelo. Unde dicit in Luca: 'Epulari et gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus erat et revixit, perierat et inventus est'. De officio obstetricum, idest diligentia sacerdotum, dicit Iob: Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus. Obstetrices dicuntur ab obstando, idest serviendo; obstetrices sunt sacerdotes, qui peccatoribus confitentibus debent servire et ministrare. Unde dicitur: Obstetricante manu eius. Manus Domini est sacerdos, per quam educi debet coluber, idest vetus homo, a peccatore, ut postea pariat novum hominem. Sicut enim pariunt mulieres, ut fertur, in quadam regione, quod prius bufonem emittunt quam puerum, sic et poenitens: prius per confessionem emittit veterem hominem, et tandem pariet in se novum hominem. Quem si securius, facilius, quietius voluerit parere, caveat sibi, ne oscitet. Ille oscitat qui peccatorum suorum historiam tepide et quasi dormiendo confitetur. Ille oscitat qui, verecundia praepeditus, peccatum suum, quod confiteri proposuit, non confitetur. Unde Isaias: Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. Quod fit cum peccatum est in ore, sed prae confusione non aperitur in confessione, et sic moritur infelix anima. Si doleret et laboraret procul dubio de partu gauderet. Sed propter quietem et tepiditatem, ex qua congregatur in ea multa malarum cogitationum superfluitas, ideo eius dispositio peioratur et in partu

periclitatur. Dicit HIERONYMUS: ‘Semper aliquid agendum est, ne, cessante manu, ager nostri pectoris malarum cogitationum sentibus occupetur’. Et ISIDORUS: “Gravius libido urit quem invenerit otiosum”. In anima vero, vere poenitentis, est dolor et labor, et ideo partus confessionis levis et facilis. Nam labor consumit superfluitates, et est ex eis quae faciunt evaporare multum. Unde Dominus in Genesi: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. “Vultus, dictus quod per eum animi voluntas ostenditur”. In vultu vere poenitentis ostenditur dolor contritionis et defluunt lacrimae amaritudinis quasi quidam sudor corporis, et ibi est panis et refectio ipsius poenitentis. Bene ergo dicitur: Mulier cum parit, tristitiam habet; cum autem peperit filium iam non meminit pressurae propter gaudium, gloriae scilicet aeternae. Unde Isaias: Oblivioni traditae sunt angustiae priores et non erunt in memoria et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum. Ad quod gaudium de moerore huius saeculi nos perducere dignetur, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA IV POST PASCHA

Themata sermonis

Evangelium in quarta dominica post Pascha: Vado ad eum qui me misit, quod dividitur in tribus clausulis. In primis sermo ad praelatum Ecclesiae, qualiter debeat laborare in agro fidelium, ibi: Agricola expectat. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo in Annuntiatione vel Nativitate vel Passione Domini, ibi: Ponam circulum in naribus tuis, et ibi: Numquid ponet circulum? Item sermo in Passione Domini, ibi: Defecit sufflatorium in igne. Item de natura turturis et quid significet, et de duplici hereditate Iesu Christi. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra mundanos, ibi: Cum venerit Paraclitus. Item de ovis venti et eorum diversa figura, et de perdicis natura, et quid haec omnia significent. Item sermo contra fornicatores et ebriosos, qualiter perdant cor et fidem, ibi: Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. Item sermo de iustitia sanctorum, ibi: Et de iustitia. Item sermo de iudicio, in quo sex personae quaeruntur, ibi: Et de iudicio. Item sermo contra gulosos et luxuriosos, ibi: Si me audieris non erit. Item de dispositione auris et linguae, et quid significent, ibi: Sit omnis homo velox. Item sermo contra iracundos, ibi: Et tardus ad iram. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de adventu Spiritus Sancti, ibi: Angelus Domini descendit in piscinam. Item de proprietate palmae. Item contra illos qui gratiam habent informem, ibi: Omne animal quod vel contritis, et de surculo arbori inserto.

Exordium. Qualiter debeat praelatus laborare in agro fidelium

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eum, qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Dicit Iacobus in Epistola canonica: Agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. ‘Agricola, agrum colens’, est praedicator, qui in sudore vultus sui, sarculo verbi, colit agrum, idest animas fidelium. “Ager dictus, quod in eo aliquid agatur”. ‘Omnis ager aut seminatur, aut arboribus inseritur vel conseritur, aut pascuis aptatur, aut diversis floribus picturatur’. In anima semper aliquid est agendum, ne contingat illud quod dicit Salomon in Parabolis: ‘Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum repleverant spinae’. ‘Ubi

enim est torpor pigritiae, cito succrescunt pungentes malarum cogitationum spinae'. Et ideo 'semine praedicationis' debet seminari, 'arboribus virtutum' conseri, 'pascuis, idest vitae aeternae desideriis', aptari, 'floribus diversis, idest sanctorum exemplis', picturari. Et si hic ager ita fuerit cultus, dicet de eo Dominus: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Agricola ergo expectat pretiosum fructum terrae. Pro eo quod praedicator colit agrum Domini, ideo expectat fructum terrae, idest vitae aeternae. Unde Dominus praedicatori promittit in Ieremia: Si converteris, convertam te; si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Si converteris, idest converti feceris, ut dicit Iacobus, peccatorem ab errore viae suae, convertam te gratiam infundendo; et si separaveris pretiosum, 'idest animam', quam pretioso sanguine comparavi, a vili, idest a peccato, quo nihil vilius, quasi os meum eris, quia in regeneratione per te impios iudicabo. Sed interim patienter est agendum. Unde subdit: Patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Temporaneum appellatur 'quod praematuratur'; serotinum, quando est perfecta maturatio. Praedicator ergo, si patienter et cum gaudio sustinuerit, cum in varias tentationes inciderit, accipiet 'temporaneum gratiae in praesenti et serotinum gloriae in futuro'. De quo dicit Dominus in hodierno evangelio: Vado ad eum qui me misit.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Iesu Christi ad Patrem reversio, cum praemittitur: Vado ad eum qui me misit. Secundum, mundi de peccato et de iustitia et de iudicio redargutio, cum subiungitur: Cum venerit ille arguet mundum etc. Tertium, Spiritus veritatis inspiratio, cum additur: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. In hac et sequenti dominica leguntur epistolae canonicae. Introitus missae istius dominicae: Cantate Domino canticum novum. Et dicitur epistola beati Iacobi: Omne datum optimum, quam in tribus particulis volumus dividere et supradictis tribus evangelii clausulis concordare. Prima est: Omne datum optimum. Secunda, Scientes, fratres mei dilectissimi. Tertia, Propter quod abiicientes omnem immunditiam etc.

I – De Iesu Christi ad Patrem reversione

3 – Dicamus ergo: Vado ad eum qui me misit. Paulo ante dixerat Dominus: Quo ego vado scitis et viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis. Dominus post pauca subintulit: Vado ad eum qui me misit. Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Hic est ille circulus, de quo dicit Pater in Isaia, diabolo comminando: Ponam circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam per quam venisti. 'Circulus dictus, eo quod in circumductione currit', significat Iesum Christum, qui, sicut circulus, est regressus unde egressus. Nam egressus est a Patre, excursus usque ad inferos, recursus ad sedem Dei. Circulus igitur positus est in naribus diaboli, quia sapientia Dei incarnata est, ut nos veram doceret sapientiam, et sic per sapientiam ab eo edoctam, diaboli insidias, quae in naribus designantur, adnihilaret. "Nares dictae, quod per eas aer vel spiritus manat", 'insidiarum calliditatem significant'. Nam 'coniecturis exterioribus et hominum complexione, quasi per odoratum narium, praesentit et odorat diabolus ad quae vitia unusquisque sit magis applicabilis, et ibi laqueos tendit'. Sed Dei sapientia unusquisque eruditus istos laqueos si voluerit evitabit. Et ponam frenum in labiis tuis. Frenum est crux Iesu Christi, qua diabolus, infrenatus

tamquam equus, nos non potest devorare sicut consueverat. Unde habes concordantiam in Iob: Numquid pones circulum in naribus behemoth, et armilla perforabis maxillam eius? "Armilla, ab armorum virtute dicta", est crux Iesu Christi, de qua dicit Isaias: Et factus est principatus super humerum eius. Hac armilla Dei Filius maxillam diaboli perforavit, et de eius fauce humanum genus liberavit. Unde subditur: Et reducam te in viam per quam venisti. Per eamdem viam amisit dominium, per quam sibi usurpaverat mundi dominatum; decepit siquidem hominem et mulierem per lignum vetitum et serpentem. Per hominem, idest Iesum Christum, et mulierem, idest beatam Virginem, per lignum crucis et serpentem, 'idest mortem carnis Christi, quae significabatur per serpentem', 'quem Moyses in deserto elevavit in ligno', diabolus in humano genere perdidit principatum. Peracto ergo nostrae salutis negotio, dicit: Vado ad eum qui misit me. Super hoc habes concordantiam in Tobia, ubi Raphael, postquam daemonium religavit, Tobiae oculos illuminavit, dixit: Tempus est ut revertar ad eum qui me misit. "Raphael interpretatur medicina Dei. Hic est Iesus Christus", quia 'theriacam de serpente' carnis suae in ligno affixae nobis fecit et sic diabolum religavit et humani generis oculos illuminavit. Et tunc dixit: Tempus est ut revertar ad eum qui me misit, vel: Vado ad eum qui misit me.

4 – Pater misit nobis Filium, datum optimum et donum perfectum, de quo habes concordantiam in hodierna epistola beati Iacobi: Omne datum optimum et omne donum perfectum etc. Optimum, idest summum; perfectum est "cui nihil potest adici". Christus est datum optimum, quia a Patre, summus eius Filius coaeternus, nobis est datus. Unde dicitur in secundo libro Regum: Tertium bellum fuit in Gob contra Philisthaeos, in quo percussit Adeodatus, filius Saltus, polymitarius, Bethleemites, Goliath Gethaeum. [Adeodatus], "David – AD LITTERAM – [quia] fuit datus a Deo populo Israel". Filius Saltus, 'quia pascebat oves patris sui in saltu', unde: De post fetantes accepit eum. Polymitarius, "quia mater eius fuit de genere Beseleel", 'qui fuit, ut dicitur in Exodo, polymitarius', idest artifex vestium: "polymita est vestis multi coloris". Bethleemites, 'quia in Bethleem extitit oriundus'. ALLEGORICE. Tertium bellum fuit in Gob etc. Nota quod triplex bellum diabolus fecit Domino: in caelo, cum per superbiam voluit usurpare divinitatis excellentiam; in paradiso, cum ad iniuriam Creatoris, falsae promissionis blanditiis, primos parentes decepit; in mundo, cum ipsum Deum et hominem tentavit in deserto et affigi fecit crucis patibulo. Unde de hoc tertio bello dicitur: Tertium bellum fuit in Gob, "quod interpretatur lacus", et significat mundum, in quo est 'lacus miseriae et lutum faecis'. "Lacus dictus, quasi aquae locus, stat enim, nec profluit". In hoc mundo est aquae, idest superbiae, luxuriae et avaritiae locus, quae numquam profluunt, immo quotidie crescunt. In hoc lacu David, qui interpretatur misericors, est Iesus Christus, cuius misericordiae non est numerus, qui a Deo Patre sola misericordia nobis fuit datus, qui est omne datum optimum; interfecit Goliath Gethaeum. "Goliath interpretatur transfigurans; Gethaeus, formidans", et significat diabolum, qui transfigurat se in angelum lucis, quia in propria forma formidat deprehendi. Hunc interfecit noster David, cum ei mundi dominium abstulit et carcere inferni reclusit. Fuit filius Saltus. Saltus 'dictus, eo quod in ipso arbores in altum saliant'. Saltus fuerunt antiqui patres, patriarchae et prophetae, qui, Dei spiritu inspirati, tamquam arbores in altum salientes, de Dei Filio incarnando prophetaverunt, de quorum genere accepit carnem, et ideo dicitur filius Saltus. Dicitur etiam polymitarius. Vestis polymita quaecumque fit acu. Nota quod in acu sunt duae

partes, acuta et recusa: in acuta, divinitas; in recusa humanitas designatur. De hac acu dicit ipse in evangelio: 'Non potest camelus per foramen acus transire'. Camelus gibbosus, idest dives pecuniosus, non potest intrare per foramen acus, idest paupertatem Iesu Christi. Vel, in parte recusa, mansuetudo misericordiae, quam habuit in primo adventu; in acuta, punctio iustitiae, qua perforabit in iudicio, designatur. Cum tali acu noster polymitarius facit tunicam polymitam, vario virtutum colore distinctam, animae fideli. Unde in Parabolis: Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum eius. 'Vestis stragulata dicitur, quae est multiplici colore variata'. 'Byssus castitatis et purpura dominicae Passionis' est indumentum animae fidelis. Dicitur etiam Bethleemites. "Bethleem interpretatur domus panis. 'Ipse enim in domo Ecclesiae reficit nos sui corporis pane'. Panis, inquit, quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita. Aliter. Iesus Christus fuit nobis a Deo datus in Nativitate. Unde Isaias: Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis. Fuit filius Saltus in praedicatione et Passione. In praedicatione, quia elegit apostolos tamquam arbores in altum salientes, unde dixit: Ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis; in Passione, quia peccatorum nostrorum spinis coronatus. Fuit polymitarius in Resurrectione, in qua tunicam polymitam, idest carnem gloriosam, de Virgine Maria assumptam, in ligno crucis pro nobis extensam, clavis laceratam, lancea perforatam, acu suae potentiae et sapientiae resarcivit et immortalitati restituit. Bethleemites erit nobis in aeterna beatitudine, in qua satiabimur, cum 'videbimus eum facie ad faciem'. Bene ergo dicitur: Omne datum optimum. Pater luminum, tamquam munificus et pius eleemosynarius, nobis pauperibus non de bono vel meliori sed de optimo nobis dedit.

5 – Sequitur. Et omne donum perfectum. Unde Apostolus: Cum ipso omnia nobis donavit; et iterum: Ipsum dedit caput Ecclesiae. Ibi dicit GLOSSA: 'Maius donum dare non potuit'. Recte Christus dicitur omne donum perfectum, quia, cum Pater eum nobis donavit, omnia per eum perfecit. Unde: Filius hominis venit salvare quod perierat. Et ideo hodie in introitu missae cantat Ecclesia: Cantate Domino canticum novum, ac si diceret: O fideles, per Filium hominis salvati et innovati, cantate canticum novum. 'Vetera enim debetis proicere, novis supervenientibus'. Cantate, inquam, quia Dominus Pater mirabilia fecit, cum omne datum optimum, suum scilicet Filium, nobis misit. Ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam, cum omne donum perfectum, ipsum Unigenitum, gentes iustificans, omnia perficiens nobis dedit. Bene ergo dicitur: Omne donum perfectum. 'Sex diebus omnia fecit. Dixit, et facta sunt. Sexta aetate Verbum caro factum est. Sexta die et sexta hora pro nobis est passus', et sic omnia perfecit. Unde dixit in cruce: Consummatum est. Quanta distantia est inter dicere et facere tanta fuit inter creare et recreare. Levis et facilis fuit creatio, quia solo tantum verbo, immo sola Dei voluntate, cuius dicere est velle; sed recreatio valde difficilis, quia passione et morte. Adam de facili creatus fuit et facillime cecidit. Vae nobis miseris, qui tanta passione, angustia et dolore recreati et redempti sumus. et tam facillime et gravissime peccamus, et tantum laborem Domini facimus vacuum. Unde ipse dicit in Isaia: In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. In creatione Dominus non laboravit, quia quaecumque voluit fecit; sed in recreatione tantum laboravit, quod factus fuit sudor eius tamquam guttae sanguinis decurrentis in terram. Si tantam angustiam habuit in oratione, quantam credis habuisse in crucifixione? Dominus ergo laboravit, et laborando de manu diaboli nos eripuit. Nos vero, mortaliter peccantes, in manum diaboli incidimus, et sic, quantum

in nobis est, laborem Domini facimus vacuum. Et ideo dicit: In vacuum laboravi, sine causa, 'alicuius scilicet utilitatis'. Non enim video aliquem profectum meae Passionis, quia non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Homicidium, adulterium, periurium, furtum, maledictum et mendacium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Sacerdotes, inquit Ieremias, non dixerunt: Ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, et pastores, idest praelati, praevaricati sunt in me, et prophetae, idest qui praedicant, prophetaverunt in Baal, "idest in superiori"; praedicant enim, ut superiores videantur. Bene ergo dicit Dominus: In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consum psi. Fortitudo divinitatis quasi consumpta fuit in infirmitate humanitatis. Nonne videtur tibi fortitudinem fuisse consumptam, cum ille, Deus et homo, ad columnam, tamquam latro, ligabatur, flagellis caedebatur alapis colaphizabatur, sputis liniebatur, eius barba depilabatur, caput angelis tremendum arundine percutiebatur, et inter duos latrones crucifigebatur? Vae ergo miseris, vanis et insanis, quos ista a mundi vanitate non retrahunt. Vane fortitudinem suam consumpsit, quia vani facti sunt, pro quibus consumpsit. Unde valde timendum est ne, sicut dixit in principio: 'Poenitet me fecisse hominem', sic modo dicat: Poenitet me redemisse hominem, quia consumpsi fortitudinem meam, sed malitiae eorum non sunt consumptae.

6 – Unde Ieremias: Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum; frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. In hac auctoritate quinque sunt notabilia: conflator et sufflatorium, ignis, plumbum et argentum. In conflatore, divinitas; in sufflatorio, praedicatio; in igne, Passio; in plumbo, Iesu Christi humanitas; in argento animae nostrae designantur. In fornace ignis argentum plumbo purgatur et clarificatur. Ad purgandum argenti scoriam, idest animarum nostrarum malitiam, convenerunt Deus et homo et ipsius praedicatio. Sed frustra conflavit conflator, et vane fortitudinem suam consumpsit. Sufflatorium defecit et plumbum in igne Passionis consumptum fuit, et sic in vanum, sine causa laboravit, quia malitiae nostrae non sunt consumptae. Et ideo argentum reprobum proicietur in gehennae sterquilinium, quia animae peccatorum mittentur in ardentis ignis stagnum. Unde Osee: Desiderabile argentum eorum urtica hereditabit et lappa in tabernaculis eorum. 'Urtica, quae urit', ignem inferni; 'lappa, quae haeret', tenacitatem poenae significat, quibus animae impiorum cruciabuntur, eo quod noluerunt recipere perfectum Dei donum, de quo dicitur: Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, "tamquam radius a sole". Sicut enim radius solis, a sole descendens, mundum illuminat, et tamen a sole numquam recedit, sic Dei Filius a Patre descendens mundum illuminavit, et tamen a Patre numquam discessit, quia unum cum Patre. Unde ipse dixit in Ioanne: Ego et Pater unum sumus. Dicit IOANNES DAMASCENUS: Incarnatum est Verbum et a propria [incorporalitate] non excessit, ut totum incarnatum est et totum est incircumscriptum. Minoratur corporaliter et contrahitur, et divine est incircumscriptum, non extensa carne eius, circumscripta divinitate. In omnibus igitur et super omnia erat, et in utero sanctae Genitricis existebat". AUGUSTINUS: "Cum legitur: Verbum caro factum est, in Verbo, verum Dei Filium, in carne agnosco verum hominis filium, et utrumque simul unam personam, Deum et hominem, ineffabilis gratiae largitate coniunctum". Bene ergo dicitur: Descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Non est in Deo vicissitudo, ut modo bona modo mala det, vel bona det cum

quadam admixtione malorum. “In eius natura nulla mutabilitas, sed identitas, et non solum in natura sed etiam in distributione donorum, quia sola dona lucis et non tenebras errorum immittit”. De quo subditur: Voluntarie enim genuit nos, “prius filios tenebrarum, per aquam regenerationis in filios lucis”, verbo veritatis, “idest doctrina evangelii, ad hoc”, scilicet, ut simus initium aliquod creaturae eius; quia modo incipit reformari ratio, in futuro plene reformabitur. Vel, ‘secundum aliam translationem, ut simus primitiae creaturarum eius, idest primatum tenentes in creaturis’. Vel, ad hoc genuit nos verbo veritatis, ut incipiamus gemere contritione, parturire confessione; quia omnis creatura, secundum Apostolum, ingemiscit et parturit usque adhuc, ut postmodum gaudeamus cum Dei Filio, qui dicit: Vado ad eum qui me misit.

7 – Christus fecit sicut facit turtur, quae ‘hiemis tempore ad valles descendit et in truncis arborum concavis habitat deplumata; in aestate vero ad montana revertitur’. Sic Christus, in hieme infidelitatis et frigore daemoniacae persecutionis, descendit in uterum humillimae Virginis et habitavit in hoc mundo pauper et abiectus, tamquam plumis deplumatus. De hac turture dicit Salomon in Canticis: Vox turturis audita est in terra nostra. ‘Vox turturis est gemitus’ et planctus. Christus descendit gemere et plangere, ‘qui numquam legitur risisse’, ut nos doceret gemere et plangere. Audita est ergo vox turturis in terra nostra, scilicet: Agite poenitentiam! Cum vero appropinquavit aestas et fervere coepit iudaicae persecutionis crudelitas et exarsit calor Passionis, tunc rediit ad montem, idest Patrem. Unde dicit: Vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Interrogemus Christum, qua via ad Patrem vadit. Et respondebit: Per viam crucis! Unde ipse in Luca: Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Christus duplicem habuit hereditatem: unam ex parte Matris, scilicet laborem et dolorem, aliam ex parte Patris, scilicet gaudium et quietem. Ex quo ergo nos coheredes eius sumus, duplicem illam hereditatem quaerere debemus. Unde erramus, cum volumus habere secundam sine prima, quia Dominus secundam plantavit in prima, ne unam sine altera quaereremus. Inseruit enim lignum vitae in lignum scientiae boni et mali, cum Verbum caro factum est. Unde: Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Et Isaias: Fundans terram et plantans caelos. In terra humanitatis, fundata super septem columnas gratiae septiformis, plantavit caelos divinitatis. Primam ergo hereditatem, quam nobis dimisit Iesus Christus, possideamus, ut ad secundam pervenire mereamur.

II – De mundi redargutione

8 – Sequitur secundum. Cum venerit Paraclitus ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iustitia vero, quia ad Patrem vado et iam non videbitis me; de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. “Mundus dictus, quia semper est in motu; nulla enim requies eius elementis concessa est”. “Mundus graece cosmos, homo vero microcosmos, idest minor mundus, nominatur. Sicut enim mundus ex quattuor concreatus est elementis, ita hominem ex quattuor constare humoribus, uno temperamento commixtum, veteres dixerunt”. ‘Mundus mundanos significat’, qui semper sunt in motu. Unde de eis dicit sanctus Iudas, in sua Canonica: Hi sunt nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris despumantes

suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum in aeternum servata est. In hac auctoritate sunt quattuor notabilia: nubes, arbores, fluctus et sidera. In his quattuor mundanorum quattuor vitia comprehendit, scilicet superbiam, avaritiam, luxuriam et hypocrisim. 'Nubes leves et obscurae superbos significant, qui, animi levitate et mentis obscuritate, per diversa peccata circumferuntur', aqua compunctionis, lumine gratiae septiformis carentes. Unde de eis dicit Propheta: Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. Nota ista duo: rota et stipula. "Rota dicta, quod quasi ruat". "Stipula dicta, quasi usta". Superbos Deus quasi rotam ponit, dum eos de peccato in peccatum ruere permittit, et postea ponet eos quasi stipulam ante faciem venti, quia, qui tamquam stipula ab humore gratiae fuerunt aridi, igne poenae aeternae erunt combusti. Arbores autumnales, infructuosae, sunt avari, 'qui inutiliter terram occupant'; quos, ut 'arborem in qua non invenit fructum, Dominus maledicit'. Nota ista quattuor verba: autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae. "Autumnus a tempestate est dictus, in quo folia cadunt". Avari sunt arbores autumnales, quae, mortis tempestate adveniente, foliis divitiarum, quibus ornati et cooperti incedebant, spoliabuntur; et quia infructuosi fuerunt, in ignem aeternum mittentur – quia omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur etc. –; bis mortui, quia anima et corpore in inferno erunt sepulti, de terra viventium eradicati. Fluctus feri maris sunt luxuriosi. "Fluctus dicti, quod natibus ventorum agitati fluctuant". Luxuriosi enim, immundorum spirituum suggestionibus agitati, diversis cogitationibus fluctuant et in suae animae confusionem luxuriam despumant. Faciunt enim sicut olla posita super ignem, quae spumam emittit. 'Olla est cor peccatoris, in qua est aqua concupiscentiae carnalis, cui supponitur ignis diabolicae suggestionis, et sic despumat luxuriam suae confusionis'. Sidera errantia sunt hypocritae et falsi religiosi. "Sidera dicta, quod ea navigantes considerant et per ea dirigunt suum cursum". Boni Ecclesiae praelati et veri religiosi sunt sidera 'lucentia in caliginoso loco', quae per hoc mare navigantes recto cursu ad vitae aeternae portum dirigunt. Sed hypocritae et falsi religiosi sunt sidera errantia, aliis naufragii existentes causa, et ideo procella et tempestate mortis aeternae percellentur.

9 – Omnes tales sunt quasi ova venti, quae pullos non faciunt. Unde dicitur quod "perdices libido sic agitat, ut si ventus a masculis flaverit, fiant pregnantes odore", et faciunt 'ova non pullificantia; et omnia ista ova sunt ova venti'. Perdix, "avis dolosa et immunda", supradictos peccatores significat, 'habentes, ut dicit Petrus, oculos plenos adulterii et insatiabilis delicti', qui, vento diabolicae suggestionis, concipiunt ova venti, idest vanitatis mundanae amorem, de quo dicit Osee: 'Ventum seminaverunt et turbinem metent; culmus stans non est in eis, nec faciet farinam'. Qui ventum mundani amoris seminat, procul dubio turbinem mortis aeternae metet. 'Culmus, idest spica, a qua spiculum dicitur', est cordis contritio, quae peccatorem pungit et farinam confessionis facit. Talis culmus non stat, nec farinam facit in peccatoribus, qui non pullos, idest opera vitae aeternae, sed ventum vanitatis mundanae concipiunt. Et nota quod "ova diversantur in figura, quoniam quaedam sunt acuta et quaedam lata; et prius exit latum et post acutum. Ova vero longa acuti capitis producunt masculos; rotunda vero, et habentia in loco acuminis rotundum, producunt feminas". Per hoc bene potest cognosci quae ova producunt masculos et quae feminas. Similiter diabolus, per signa acuminis et rotunditatis, percipit de hominibus qui sunt masculi et quae feminae. In acumine, compunctio et caelestium contemplatio; in rotunditate, carnis delectatio et mundanorum

circuitio. Circuivi, inquit, terram et perambulavi eam. Circuit tamquam leo, quaerens quem devoret. Unde dicit in Isaia: Invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum; et sicut colliguntur ova quae derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi; et non fuit qui moveret pennam, scilicet virtutum, et aperiret os, per confessionem, et ganniret, per interiorem compunctionem. Istud non faciunt masculi, idest viri iusti, mente compuncti, contemplationi intenti; sed feminae, idest mundani, transitoriis effeminati, de quibus dicitur: Cum venerit Paraclitus, arguet mundum etc. 'Paraclisis graece, consolatio latine, inde Paraclitus, idest Consolator', cuius consolationem mundani nolunt recipere, quia habent suam consolationem. Unde de eis dicit Dominus: Vae vobis, qui habetis consolationen vestram. Et in Isaia: Numquid non vos filii scelesti, semen mendax, qui consolamini in diis, subter omne lignum frondosum? Mundani sunt filii scelesti superbia, semen mendax luxuria; qui consolantur in diis avaritiae, quae est idolorum servitus, subter omne lignum frondosum, idest gloriam temporalium.

10 – Cum venerit ergo Paraclitus, arguet mundum de peccato, "quod habet, et de iustitia, quam non habet, et de iudicio, quod non timet". Nota ista tria: de peccato, de iustitia et de iudicio. "Peccator a pellice, idest meretrice, vocatus, quasi pellicator; quod nomen antiquitus flagitiosorum fuit post vero transivit in appellationem omnium iniquorum". Peccato siquidem fornicationis plusquam alio vitio mundus est coinquinatus. Unde Osee: Fornicati sunt et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. Nota quod 'in corde sunt tria: indignatio, sedes sapientiae et dilectio'. Cor est membrum nobile et indignans, nec patitur immundum intrare: istam indignationem fornicatio facit ipsum amittere, dum patitur talem morsellum glutire. Item in corde, sedes sapientiae: hanc facit vinum amittere. Similiter corde diligimus: hanc dilectionem amittit qui, temporalium cupiditate inebriatus, proximo non subvenit. Quod peccatum fornicationis auferat cor manifestum est in Salomone, qui adoravit idola. Dicit Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, sed fornicatio aufert cor, in quo est fides. Ergo propter fornicationem amittitur fides. Unde dicitur fornicatio, idest formae necatio, idest animae, ad similitudinem Dei formatae, mortificatio. Vita animae, fides. Christum, inquit Apostolus, per fidem habitare in cordibus nostris. Sed fornicatio aufert cor, in quo est vita, et sic moritur anima, quia cessante causa cessat effectus. Et ideo dicit Dominus: De peccato quidem, quia non crediderunt in me. Paraclitus ergo per ministros praedicationis arguit mundum de peccato fornicationis.

11 – Et de iustitia. Iustitia est qua recte iudicando sua cuique tribuuntur, sic dicta quasi iuris status. "Iustitia est habitus animi, communi utilitate servata, suam cuique tribuere dignitatem". 'Iustitiae partes sunt: timere Deum, venerari religionem, pietatem, humanitatem, aequi bonique delectatio, odium malorum, referendae gratiae studium'. Hanc iustitiam mundus non habet, quia Deum non timet, religionem inhonorat, bonum odit, ingratus Deo existit. De iustitia, quam non fecit, quia pro peccatis commissis se secundum iustitiam non punivit. De iustitia, non sua sed credentium, mundus arguitur, quorum comparatione damnatur. Unde non ait: Non videbit me mundus, sed: Non videbitis me vos, apostoli; contra mundanos, qui dicunt: Quomodo credemus quod non videmus? Est vera iustitia, idest fides iustificans, credere quod non videtur. Vel, arguet

mundum de iustitia sanctorum. Unde Dominus per Zachariam: Perpendiculum extendetur super Ierusalem. 'Perpendiculum est instrumentum caementarii', a perpendo perpendis sic dictum. Est autem petra vel plumbum in filo ligatum, quo parietes perpenduntur. Iustitia sanctorum est quasi perpendiculum quod extenditur super Ierusalem, 'idest super quamlibet fidelem animam', ut ad eorum vitae exemplum vitam suam informet et commensuret. Quoties enim festa sanctorum recoluntur, toties super vitam peccatorum perpendiculum applicatur; quorum festa ideo recolimus, ut de ipsorum vita vivendi formam accipiamus. 'Ridiculum est ergo in sanctorum solemniis velle sanctos cibis honorare, quos novimus ieiuniis in caelos ascendisse'. Si enim mundum diligendo et gloriam eius, carnem in deliciis nutriendo, pecuniam congregando, vitam sanctorum non imitamur, ipsorum iustitia nos esse damnandos comprobabit.

12 – Et de iudicio. Nota quod "in omni iudicio sex personae quaeruntur: iudex, accusator, reus et tres testes". Iudex est sacerdos; accusator et reus est peccator, qui seipsum reum debet accusare; tres testes sunt contritio, confessio, satisfactio, quae testimonium perhibent peccatori quod vere sit poenitens. Dicit AUGUSTINUS: 'Ascende, o homo, tribunal mentis tuae; sit ratio iudicans, conscientia accusans, dolor crucians, timor carnifex; locum testium obtineant opera'. Mundani, qui tale iudicium nolunt subire, ideo cum principe suo diabolo, qui iam iudicatus est, in extremi iudicii examine, irrevocabili sententia aeternaliter damnati iudicabuntur. Iacobus apostolus, ut huiusmodi homines instrueret peccatum cavere, iustitiam diligere, iudicium timere, in secunda particula hodiernae epistolae subiungit dicens: Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram; ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Omnis homo debet esse velox ad audiendum illud quod dicit Apostolus: Fugite fornicationem.

13 – Et Dominus in Psalmo: Si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Deus recens est venter, qui semper recentia quaerit. Iste deus est in illis, de quibus dicit Apostolus: Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Deus alienus, hominem a Deo alienans, est luxuria. Hic est deus Beelphegor, 'quod interpretatur vetustas devorans'. Haec est luxuria, malum vetus, morbus antiquus, omnia bona devorans. Unde super hoc habes concordantiam in libro Numeri: Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quae vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt deos earum; initiatusque est Israel Beelphegor. Et iratus Dominus, ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. Filiae Moab, "qui interpretatur ex patre", sunt gula et luxuria et cetera vitia, quae sunt ex patre diabolo, cum quibus fornicatur populus mundanus. Comedunt et adorant deos earum, quia gulae et luxuriae sunt dediti, et ideo principes populi patibulis sunt suspendendi. Principes populi sunt quinque sensus corporis, qui pro commissis debent suspendi poenitentiae patibulis. Et hoc contra solem. In sole claritas mundana designatur, in qua, quia peccavimus, contra ipsam operibus poenitentiae insistamus. Vel, contra solem, idest si publice peccavimus, publice poeniteamus. Nota quod super hunc locum: Tolle cunctos principes etc., introducit ORIGENES hanc auctoritatem, exponens eam de angelis dicens: "Si enim mercedem sperat angelus, quia nos consignatos accepit a Deo, pro his quae bene gessimus, timet et culpari pro male gestis. Et ideo ostentari dicuntur contra solem, ut

appareat quorum culpa commissa sunt peccata, per quae Beelphegor, vel cuilibet idolo, pro qualitate peccati consecramur. Quod si princeps, idest cuique angelus consignatus, non defuit, sed de bonis commonuit et locutus est in corde meo dumtaxat, in quo me conscientia revocabat a peccato, et ego, spretis eius monitis et conscientiae retinaculo, in peccato prorupi, duplicabitur mihi poena pro contemptu monitoris et facinore commissi. Ne mireris si angeli veniant cum hominibus ad iudicium. Ipse enim Dominus ad iudicium veniet cum principibus populi sui". Item, dicit super eumdem locum: "Secundum Apocalypsim Ioannis: 'Unicuique Ecclesiae generaliter praeest angelus, qui vel collaudatur pro bene gestis populi, vel pro delictis populi culpatur'. In quo stupendi mysterii admiratione promoveor, quod tanta cura Deo est de nobis, ut etiam angelos suos culpari pro nobis et confutari patiatur. Sicut enim, cum paedagogo traditur puer, si minus dignis imbutus appareat disciplinis, culpa paedagogus arguitur, nisi durus, protervus, lascivus paedagogi salutaria monita sprevit. Quid autem illi animae fiat, docet Isaias: Derelinquetur filia Sion sicut tabernaculum in vinea". Ibidem dicit: "Maior cura Deo est animae salutis, quam diabolo perditionis".

14 – Sit ergo omnis homo velox ad audiendum. Naturaliter enim omnis homo debet esse velox ad audiendum, nam auris dicta, quasi avide rapiens, vel 'hauriens sonum'. Et nota quod "in posteriori capitis non est caro, neque cerebrum; et in posteriori capitis est instrumentum auditus. Et hoc fuit rectum, quia posterius capitis est vacuum, plenum aere, et instrumentum auditus est aereum", et ideo homo velociter audit, nisi impedimentum interveniat. In capite, idest mente, in qua non est caro propriae voluntatis, sed aer mentis devotae, velociter transit vox obedientiae, unde: In auditu auris obedivit mihi. Et Samuel, in primo libro Regum, Loquere, inquit, Domine, quia audit servus tuus. Et, ut obedientia velocius penetret, oportet quod sit aerea, pura, percipiens caelestia, nihil habens de terra. Sit ergo omnis homo velox ad audiendum. Et tardus ad loquendum. Quod ipsa natura fieri docet, quae linguam quasi sub duplici ostio reclusit, ne libere evagaret. Natura enim quasi duo ostia, scilicet dentes et labia, anteposuit linguae, ad significandum quod sine magna cautela verbum non debet exire. Ista duo ostia discrete clauserat ille, qui dicebat: Posui custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Et bene dicit ostium circumstantiae, ut non tantum a verbo illicito, sed etiam a circumstantia verbi illiciti caveret. Verbigratia, quidam sunt qui aperte alicui detrahere erubescunt, sed sub cuiusdam laudis pallio ipsi detrahunt, et, quod deterius est, in confessione hoc ipsum faciunt. Et nota quod non tantum ostium dentium, sed etiam labiorum est claudendum. Ille ostium dentium et labiorum claudit, qui et a detractione et adulatione se subtrahit. Sed lingua – inquietum malum, ut dicit Iacobus, plena veneno mortifero, 'ignis "silvam virtutum" incendens, rotam nativitatis nostrae inflammans' – primum et secundum ostium frangit et tamquam 'meretrix in plateam exit, garrula et vaga, quietis impatiens', omnia perturbans. Unde de ea dicit beatus BERNARDUS: "Quis numeret quantas modicum membrum linguae attrahat sordes, quam multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur, quanta sit pernicies oris incircumscripti. Nemo parvi aestimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Siquidem acceptabile est tempus et dies salutis; evolat verbum irrevocabile, tempus irremediabile; nec advertit insipiens quid amittat. Confabulari, inquiunt, licet donec hora praetereat; quam tibi ad obtinendam veniam, ad inquirendam gratiam, ad agendam poenitentiam, ad promerendam gloriam indulsit gratia Conditoris". Idem: "Linguam detractoris mucrone, quo dominicum latus est confossum,

crudeliorem dicere non verearis. Fodit haec enim corpus Christi, nec iam exanime [fodit, sed facit exanime] fodiendo. Nec nocentiores fuerunt spinae pungentes caput, neque clavi perfodientes manus et pedes", quam lingua detractoris, quae perfodit ipsum cor. PHILOSOPHUS dicit: "Turpia ne dixeris, paulatim pudor per verba dilabitur". 'Loqui aliquando me poenituit, tacuisse numquam'. 'Saepius auribus utere, quam lingua'. Sit ergo omnis homo tardus ad loquendum, et sic iustitiam sanctorum poterit imitari, quia, ut dicit Iacobus: Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Et tardus ad iram, quae impedit animum, ne possit cernere verum. De qua dicit PHILOSOPHUS: 'Quo minus presseris iram, tunc ab ira magis premeris". 'Iracundus cum irasci desierit tunc irascitur sibi'. "Respicere nihil consuevit iracundia". Et ideo bene dicitur: Ira viri iustitiam Dei non operatur. Sit ergo omnis homo tardus ad iram, ne cum diabolo in die irae irrevocabilem damnationis recipiat sententiam.

III – De Spiritus veritatis inspiratione

15 – Sequitur tertium. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Dum mulier praeparata ad capiendas animas, 'idest carnis voluptas et mundi vanitas', infelicem hominis spiritum deludit falsa delectatione, sensum transvertit. Unde in libro Sapientiae: Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum. 'Fascinatio est adulatio, vel cum laude deceptio'. Fascinatio nugacitatis est laus adulationis vel deceptio mundanae prosperitatis, quae obscurat bona spiritualia; et inconstantia concupiscentiae carnalis transvertit animum. Sed, cum venerit ille Spiritus veritatis, illuminans cor hominis, tunc docet omnem veritatem et expellit omnem falsitatem. Unde dicitur in Ioanne, quod 'angelus Domini descendebat in piscinam, et movebatur aqua et sanabatur unus'. Cum angelus Domini, idest gratia Spiritus Sancti, descendit in piscinam, idest cor peccatoris, tunc movetur mens aqua compunctionis, et sanatur unus, idest verus poenitens, qui debet esse unus, corde et ore non divisus. Cum ergo venerit Spiritus veritatis, docebit, idest inspirabit vobis, omnem veritatem. Et nota quod, sicut generatio non potest compleri sine activo, sic homo non potest facere opus mere bonum sine veritatis Spiritu.

16 – Unde 'palma, quae est femina, non facit fructum maturum nisi receperit vaporem alterius palmae, quae sit mas, per ventum vehentem illum'. Unde Ecclesiasticus: Sicut palma exaltata sum in Cades, "quod interpretatur translata vel mutata", quia homo non potest proficere sine Sancti Spiritus gratia, sicut palma non fructificat sine maris sui vapore. Et ideo homo, qui sine gratia est, non est aptus servitio divino, et est quasi homo sine testiculis, quia vim generandi bona opera non habet. De quo dicitur in Levitico: Omne animal, quod vel contritis vel tonsis vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino. Ille habet contritos testiculos, qui gratiam habet sed informem, et ideo non potest generare. Illi autem ablati sunt testiculi, qui nec gratiam informem nec etiam formatam habet. Sed, cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cui concordat tertia particula hodiernae epistolae: Propter quod, inquit Iacobus, abicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Propter hoc, scilicet ut Spiritum veritatis suscipere mereamini, abicientes omnem immunditiam, "animae et corporis", et abundantiam malitiae, 'quae est cogitatio pravae mentis', in mansuetudine, quia

‘mansueti hereditabunt terram’, suscipite insitum verbum, quod solis mansuetis, et columbinae mansuetudini assuetis, a Deo datur. Et nota quod, sicut surculus arbori inveteratae insertus ipsam reiuvenescere et fructificare facit, sic Spiritus veritatis, menti ‘dierum malorum inveteratae’ si fuerit insertus, ipsam reiuvenescere et fructum dignum poenitentia fructificare faciet. Rogamus ergo, Domine Iesu, ut, qui de hoc mundo ad Patrem, nostrae humanitatis forma, ascendisti, fune amoris post te nos trahas, pro peccato non arguas, iustitiam sanctorum imitari et iudicium tuum pertimescere nos facias, et Spiritum veritatis, qui doceat nos omnem veritatem, nobis infundas. Te praestante, qui es benedictus, gloriosus per omnia saecula. Dicat omnis anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA V POST PASCHA

Themata sermonis

Evangelium in quinta dominica post Pascha: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis, quod in tribus clausulis dividitur. In primis sermo de gratiae unctione, ibi: Unctio eius, et ibi: Sadoc et Nathan. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de Patre, ibi: Pater noster, qui es in caelis, et de filio ciconiae. Item sermo de amore Dei, ibi: Dabo terram fluentem. Item sermo contra illos qui temporalia petunt, ibi: Usque modo non petistis quidquam. Item sermo de gaudio iustorum et carnalium, ibi: Florebit amygdalus et de onagris. Item de tribus quae sunt in speculo et de eorum significatione, ibi: Si quis auditor est verbi. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo in Annuntiatione, vel Nativitate vel Passione Domini, ibi: Dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de Dei misericordia, iudicio et potentia, ibi: Qui praecipit soli et non oritur. Item sermo ad corporis mortificationem, ibi: Qui facit Arcturum et Orionas. Item sermo in die Pentecostes, ibi: Surge, aquilo. Item sermo de silentii observatione et multiplici religiosorum institutione, ibi: Si quis putat se religiosum esse.

Exordium. Sermo de gratiae unctione

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Dicit Ioannes in sua Canonica: Unctio eius docet vos de omnibus. Nota quod duplex est unctio. ‘Prima est gratiae infusio’, de qua dicit Propheta: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis. ‘O Deus Fili, Deus Pater tuus unxit te, secundum quod homo, oleo laetitiae, idest dono septiformis gratiae, qua te immunem fecit ab omni peccato; prae participibus tuis, quia tibi sine mensura, aliis vero datus fuit Spiritus ad mensuram. Unde in Ioanne: De plenitudine eius omnes accepimus’. Secunda unctio est divini verbi praedicatio, de qua dicitur in tertio libro Regum, quod ‘Sadoc et Nathan unxerunt Salomonem in Gihon’. “Sadoc, iustitia”; “Nathan, donum gratiae”; “Salomon, pacificus”; “Gihon lucta interpretatur”. Iustitia bonae vitae et donum gratiae, idest verbum praedicationis dominicae, inungunt peccatorem, per confessionem Deo reconciliatum, in Gihon, ut, peccatis et temporalibus denudatus, cum diabolo luctetur. Cum prima unctio mentem interius ungit, secunda valde proficit. Sed, cum illa se subtrahit, in vacuum ista discurrit. Unde dicit GLOSSA super istum locum, Unctio eius docet nos de omnibus: “Nemo docenti tribuat quod ex ore

docentis intelligit, nisi intus sit qui doceat; lingua doctoris exterius in vanum laborat; nec tamen doctor taceat, sed quod potest agat", quia valet eius praedicatio ad habilitationem. Unctio ergo internae inspirationis, vel dominicae praedicationis, docet nos de omnibus, quae spectant ad animae salutem, quae sunt: contemnere mundum, humiliare seipsum, caeleste appetere gaudium. De quo dicit Dominus in hodierno evangelio: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem etc.

2 – In hoc evangelio tria notantur. Primum, pleni gaudii petitio, cum praemittitur: Amen, amen dico vobis etc. Secundum, Iesu Christi pro nobis ad Patrem interpellatio, ibi: Ego rogabo Patrem de vobis. Tertium, ipsius Christi omnium scientia, ibi: Nunc scimus, quia scis omnia. In hac dominica in introitu missae cantatur: Vocem iucunditatis, et legitur epistola beati Iacobi: Estote factores verbi, quam volumus dividere in tribus particulis et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Estote factores verbi. Secunda: Qui autem perspexerit in lege perfectae libertatis. Tertia: Si quis autem putat se religiosum esse etc.

I – De pleni gaudii petitione

3 – Dicamus ergo: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. 'Amen, quod est iuramentum vel affirmatio hebraice, latine sonat verum'. Veritas, verbo geminae affirmationis, nobis gaudium promittit, ut indubitanter credamus quod dicit. Si quid, "idest si aliquid", petieritis Patrem in nomine meo. Nota ista verba: quid, Patrem et in nomine meo. 'Pater non potest appellari nisi qui habet filium, quia pater et filius sunt relativa nomina. Cum ergo dicit patrem, intellige filium, cui pater est'. Pater est Deus, cuius nos sumus filii, cui quotidie dicimus: Pater noster, qui es in caelis; et in Isaia: Tu, Domine, pater noster, redemptor noster: a saeculo nomen tuum. Et ipse dicit in Ieremia: Amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meae tu es. 'Animae virginitas est fides', 'per dilectionem operans', animam incorruptam conservans, ad quam Deus Pater, tamquam dux, ipsam ducit. Nos ergo filii debemus Patrem nostrum quid petere. Omne quod est nihil est, praeter amare Deum. Amare Deum est aliquid, et istud aliquid debemus petere, ut scilicet nos filii amemus Patrem nostrum, sicut filius ciconiae amat patrem suum. Dicitur quod 'filius ciconiae in tantum patrem suum diligit, quod, cum senescit, eum sustentat et cibat, et hoc est de proprietate eius'. Sic nos debemus patrem nostrum, in hoc mundo iam senescente, sustentare in membris suis debilibus et aegrotis, cibare in pauperibus et egenis. 'Quod uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis'. Si amorem petierimus, ipse Pater, qui est amor, dabit nobis quod ipse est, scilicet amorem.

4 – Unde ipse dicit in Exodo: 'Dabo tibi terram fluentem lac et mel'. Nota ista quattuor verba: terram, fluentem, lac et mel. Terra propter sui firmitatem amorem Dei significat, qui mentem hominis in vero esse confirmat. Unde Salomon in Ecclesiaste: Generatio praeterit et generatio advenit, terra autem in aeternum stat. Generatio, idest amor carnis, praeterit, et generatio, idest amor mundi, advenit; sed terra, idest amor Dei, in aeternum stat, quia, ut dicit Apostolus, Caritas numquam excidet. Haec terra dicitur fluens, propter sui scilicet abundantiam. Unde in Psalmo: Fluminis impetus, idest amoris divini

abundantia, laetificat civitatem Dei, idest animam, in qua ipse Deus habitat. Haec terra abundat lacte et melle. Lac nutrit, mel indulcat, sic amor Dei nutrit animam, ut crescat de virtute in virtutem, et omnium tribulationum tribulos indulcat. "Amanti enim nihil difficile". Cum dulcedo divini amoris subtrahitur, minimae tribulationis amaritudo intolerabilis videtur. Sed 'lignum indulcavit aquas Mara'; 'farina Elisei comestibiles fecit amaras colocynthidas'. Sic amor Dei omnem amaritudinem vertit in dulcedinem. Unde in Ecclesiastico Spiritus, inquit, meus dulcis, et hereditas mea super mel et favum. Spiritus Domini est spiritus paupertatis, de quo dicit Isaias: Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem. Robusti sunt viri pauperes, qui in prosperitate vel adversitate vacillare nesciunt; quorum spiritus, tamquam turbo, impellit parietem divitiarum, de quo in eodem Propheta: Parietem nudavit clypeus. "Clypeus dictus, ab eo quod clepet, idest celet, corpus", est spiritus paupertatis, qui celat animam a iaculis daemonum. Hic clypeus nudat parietem divitiarum. Hereditas Domini fuit Passio crucis, quam reliquit suis filiis. Unde ait: Hoc facite in meam commemorationem, idest in Passionis meae memoriam. Hanc hereditatem tamquam heres possidebat Apostolus, cum dicebat: 'Stigmata Christi porto in corpore meo'. Spiritus ergo paupertatis et hereditas Passionis sunt dulciora super mel et favum in corde vere amantis. Bene ergo dicit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo. 'Nomen Christi hebraice Messias, graece Christus vel Soter, latine Unctus vel Salvator dicitur'. In nomine ergo Salvatoris Patrem petamus, ut, si non propter nos, saltem propter suum Filium, per quem salvavit genus humanum, sui amoris conferat privilegium, dicentes cum Propheta: Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui, quasi diceret: "Si non vis aspicere in nos propter nos, saltem" respice in faciem Christi tui, propter nos alapis caesam, sputis illitam, morte pallidam. Respice in faciem Christi tui. Et quis pater mortui filii faciem non respiceret? Respice ergo et tu, Pater, in nos, quia propter nos, qui causa mortis eius fuimus, Christus Filius tuus mortuus est. In nomine ergo ipsius, sicut ipse nobis praecepit, petimus te, ut des nobis te, quia sine te non est esse. Unde AUGUSTINUS: 'Domine, si vis ut recedam a te, da mihi alium te; alioquin non recedam a te'.

5 – Bene ergo dicit: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Ibi dicit GLOSSA: "Confisi de mea praesentia, non petistis quidquam, idest quod aliquid sit comparatione rei permanentis". In hoc loco reprehendit Dominus eos, qui temporalia petunt, quae nihil sunt. Unde de talibus dicit in Osee: Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. Quasi dicat: Cum petitis a Domino misericordiam, petitis temporalia, quae sunt quasi nubes matutina, 'quae est aer inspissatus, quasi vanitas inspissata'. Sic bona temporalia sunt quasi nihilum; sed illud nihilum, ut aliquid videatur, quibusdam est phantasmatibus involutum. Nubes aspectum solis impedit, et abundantia temporalium Dei cognitionem avertit. Unde Iob: Operuit faciem eius crassitudo, quia divitiarum crassitudo excaecat oculos mentis. Unde in Psalmo: Supercecidit ignis et non viderunt solem. Ignis enim amoris mundani excaecat oculos hominis, sicut patella calida oculos ursi. Misericordia ergo vestra, quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens, qui sole incalescente deficit, cum magis esset necessarius; et herbas et flores calori solis exponit, et sic torrentur a sole. Sic mundana felicitas in hac vita praestat solatium, sed aeternis homines deputat suppliciis. Unde Nahum: Et Ninive quasi piscina aquarum aquae eius. 'Ninive interpretatur speciosa et significat mundum', qui fallaci speciositate cooperitur,

tamquam nive lutum, cuius refrigerium comparatur piscinae, quae abundat aquis in hieme, siccatur aestate. Mundus enim modo abundat aquis divitiarum, sed, adveniente ardore mortis, evacuabitur divitiis et aeternis mancipabitur suppliciis. Usque ergo modo non petistis quidquam, et si petistis, sed non in nomine meo, 'idest ad salutem animae vestrae'. Ordinem petendi et obsecrandi ostendit Apostolus, Timotheo scribens: Obsecro, inquit, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. "Obsecratio est in exercitiis spiritualibus anxia ad Deum instantia, in quibus ante gratiam succurrentem qui apponit scientiam non apponit nisi dolorem. Oratio vero est hominis Deo adhaerentis affectio, et familiaris quaedam et pia allocutio, et statio illuminatae mentis ad fruendum quamdiu licet. Postulatio est cura obtinendi temporalia et necessaria aliqua vitae huius, in qua Deus, postulantis quidem approbans bonam voluntatem, facit tamen quod melius ipse iudicat et dat libenter ei qui bene postulat. Ipsa est de qua Psalmista ait: Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum. Hoc est etiam hominum impiorum, quia omnium communiter est, sed maxime filiorum saeculi huius, desiderare tranquillitatem pacis, sanitatem corporis, temperiem aeris, et alia quae ad vitae huius spectant usum et necessitatem, et abutentium voluptatem; pro quibus qui fideliter postulant, quamvis non ea postulent nisi ad necessitatem tantum, et in hoc ipso voluntati Dei suam semper subiciunt voluntatem. In postulationibus pie ac fideliter orandum est, sed non est illis pertinaciter inhaerendum, quia non scimus, sed Pater, qui est in caelis, quid in temporibus istis necesse sit nobis. Porro gratiarum actio est in intellectu et cognitione gratiae Dei bonae voluntatis et indeficiens ad Deum et indefessa intentio; etiamsi aliquando vel non sit vel torpeat sive actio exterior sive interior affectio. Haec est enim, de qua Apostolus dicit: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio, ac si dicat: Semper quidem velle adest, sed aliquando iacet, hoc est inefficax est; quia perficere opus bonum quaero, sed non invenio. Haec est caritas, 'quae numquam deficit'; ipsa est sine intermissione oratio, gratiarum actio, de qua dicit Apostolus: Sine intermissione orate, gratias agentes semper". Bene ergo dicit: Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenun.

6 – Nota quod est gaudium vacuum, quod est carnalium, et est gaudium plenum, quod est sanctorum. De gaudio vacuo carnalium dicit Isaias: Gaudium onagrorum pascua gregum. Nota quod duo sunt genera onagrorum: unum habet cornua et est in Graecia – et de hoc dicit Iob: Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? –, aliud est in Hispania, et de hoc iterum dicit: Vir vanus erigitur in superbiam, et quasi pullum onagri se liberum putat. Similiter in hoc mundo sunt duo genera onagrorum, idest superborum. Quidam enim sunt qui de cornibus dignitatis superbiunt; alii sunt qui sola mentis vanitate in superbia se erigunt, iugum obedientiae a se excutiunt. Gaudium ergo onagrorum sunt pascua gregum, idest pauperum, sed qui bona pauperum pascunt et diripiunt a diabolo diripientur. Unde Salomon in Parabolis: Venatio leonis, idest diaboli, onager in eremo; et Isaias: Vae qui praedaris! nonne et ipse praedaberis? Unde de carnalium gaudio vacuo dicit Salomon in Ecclesiaste: Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis. Sicut "amygdalus ante alias arbores flores emittit", sic carnalis in hoc mundo florem appetit, sed in alio omni flore nudus remanebit; cuius deciduo flore locusta, idest diabolus, impinguabitur; diaboli enim, ut ita dicam, 'pinguedo est gloriae temporalis exultatio'; et "capparis carnalis concupiscentiae" [et] gloriae mundanae dissipabitur. Unde Iacobus: Dives sicut flos foeni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit

foenum, et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit: ita dives in itineribus suis marcescit. “Radix, carnalis cupiditas; flos, delectatio temporalium. Adveniente sole, idest severitate mortis vel iudicis”, radix arescet, flos decidet, decor vultus eius, “idest honor saeculi, amici et propinqui”, deperiet. Gaudium ergo mundi est vacuum. De gaudio vero et pleno vitae aeternae dicit Salomon in Ecclesiaste: Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis. Nota quod gaudium sanctorum in tribus consistit: in corporis scilicet resurrectione, animae beatitudine, aculei carnis, daemoniacae tentationis evasione. Amygdalus, idest corpus, florebit quattuor dotibus: claritate, agilitate, subtilitate et immortalitate. Et locusta, idest anima, impinguabitur de Dei visione, angelorum beatitudine, sanctorum societate; et tunc dissipabitur capparis, ‘idest aculeus carnis’, tentatio daemonis. Unde Apostolus ad Corinthios: Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est. Tunc ergo dissipabitur capparis, quia, ut dicit Propheta, ‘alieni non transibunt amplius per Ierusalem’, ‘idest, daemones non tentabunt iustum’, ‘et mala bestia, idest carnis concupiscentia, non transibit per eam’.

7 – Huic duplici gaudio, vacuo scilicet et pleno, concordat prima particula epistolae hodiernae missae: Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Verbi Dei factores sunt illi qui plenum gaudium petunt et accipiunt; auditores tantum sunt illi qui vacuum gaudium mundi apprehendere conantur – de hoc dicit Psalmus: Tempus faciendi, Domine, non tantum audiendi vel dicendi, dissipaverunt legem tuam –, qui audiunt et non faciunt. Unde Salomon in Ecclesiaste: Qui dissipat sepem, ‘idest legem’, mordebit eum coluber, “idest diabolus”. Ille legem dissipat qui secundum quod dicit vel audit non vivit; de quo subinfertur: Si quis auditor est verbi et non factor etc. Nota quod speculum nihil aliud est quam subtilissimum vitrum, in quo tria sunt consideranda: vilitas, fragilitas, claritas. Vitrum vile est in materia, quia de modico pulvere confectum, fragile in substantia, clarum in splendore; quod oppositum soli, lucet ad instar solis. “Speculum dictum, quod splendorem reddat, vel quod ibi feminae intuentes considerant speciem sui vultus”, vel quod in vitri more transluceat. “Vitrum dictum, quod visui perspicuitate transluceat”. ‘Speculum vel vitrum Sacram Scripturam significat, in cuius splendore vultus nativitatis nostrae est: unde nati et quales nati et ad quid nati sumus’. Unde nati, quantum ad vilitatem materiae; quales nati, quantum ad fragilitatem substantiae; ad quid nati, quantum ad dignitatem gloriae, in qua, si factores verbi fuerimus, ex vicinitate veri solis, ut sol lucebimus. In speculo sacrae doctrinae ista tria reperiuntur. De vilitate materiae habes in Genesi: Cinis es et in cinerem reverteris. De fragilitate substantiae habes in Psalmo: Anni nostri sicut aranea meditabuntur etc. Quid araneae tela fragilius? Et quid vita hominis corruptibilius, qui modica laesura, minima corrumpitur febriciuncula? De claritate in evangelio dicitur: Fulgebunt iusti sicut sol etc. In hoc speculo vultum nativitatis suae miser homo considerat, qualiter sit natus, quam fragilis vel quid futurus, et aliquando compunctionem et poenitendi voluntatem contrahit. Sed quia est auditor verbi et non factor, vani et vacui gaudii amator, ideo statim obliviscitur qualis fuerit et qualem se viderit. Gaudium enim vanitatis aufert memoriam propriae salutis; pleni vero gaudii memoria propriae salutis generat affectum in anima.

Petite ergo et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Huius gaudii meminit Ecclesia in introitu hodiernae missae: “Vocem iucunditatis annuntiate usque ad extremum terrae”. O praedicatores, vocem iucunditatis, scilicet: Petite, ut gaudium vestrum plenum sit, annuntiate non tantum iustis, qui sunt in medio Ecclesiae, sed usque ad extremum terrae, idest illis qui sunt extra terminos, idest praecepta Domini, quae nobis sunt termini vivendi, ut vocem iucunditatis audiant et plenum gaudium, quod fine carebit, acquirant. Ad quod gaudium nos perducat Iesus Christus. Amen.

II – De Iesu Christi pro nobis ad Patrem interpellatione

8 – Sequitur secundum. Ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia ego a Deo exivi. Christus, sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Dei et hominum mediator, rogat pro nobis Patrem. Unde dicitur in Levitico: Rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus; et iterum: Rogabit pro eo sacerdos et pro peccato eius, et dimittetur ei’. Unde habes concordantiam in libro Numeri, ubi dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum et, hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis, iam enim egressa est ira a Domino et plaga desaevit. Quod cum fecisset Aaron et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama; et, stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. Dixit Moyses ad Aaron, idest Pater ad Filium: Tolle thuribulum ‘humanitatis’, quod fabrefactum fuit opere Beseleel, ‘qui interpretatur obumbraculum divinum’, idest Spiritus Sancti in utero gloriosae Virginis, quia ‘eidem Virgini obumbravit’, ‘idest refrigerium praestitit’, ‘et fomitem peccati omnino in ea extinxit’. Et igne divinitatis imple thuribulum humanitatis, ‘in qua plenitudo divinitatis habitavit corporaliter’. Et bene dicit de altari, quia ‘a Patre exivit et venit in mundum’. Et incensum tuae Passionis mitte desuper, et sic, tamquam mediator, rogabis pro populo, quem diaboli incendium atrocissime devastat. Qui, iubentis voluntati obediens, cucurrit, accepto thuribulo, ad mortem, mortem autem crucis. Et stans, expansis manibus in cruce, inter mortuos et viventes, idest inter duos latrones, quorum unus salvatus, alter fuit damnatus – vel, inter mortuos et viventes, idest inter illos qui detinebantur carcere inferni et illos qui vivebant in miseriis huius exilii –, quos omnes, dum ‘seipsum sacrificium in odorem suavitatis obtulit’, ab incendio diabolicae persecutionis liberavit. Bene ergo de seipso dicit: Ego rogabo Patrem de vobis. Unde Ioannes in sua Canonica: Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio, idest placatio, pro peccatis nostris. Et ideo ipsum quotidie in Sacramento Altaris offerimus Deo Patri, ut repropitietur peccatis nostris. Facimus enim sicut facit mulier, quae parvulum habet filium, quam cum suus vir iratus vult verberare, ipsa tenens puerulum in brachiis opponit irato viro, dicens: Istum percute, istum verbera! Puerulus, obortis lacrimis, matri compatitur. Pater vero, cuius viscera sunt commota super lacrimis filii sui, quem tenerrime diligit, propter ipsum uxori parcit. Sic Deo Patri, nobis pro peccatis nostris irato, eius Filium Iesum Christum, pro nostrae reconciliationis foedere, in Sacramento Altaris ei offerimus, ut, si non propter nos, saltem propter ipsum sibi dilectum, flagella, quae iuste meremur, avertat et, lacrimarum, laboris et Passionis ipsius memor, nobis parcat. Unde ipse Filius dicit in Isaia: Ego feci et ego feram, et ego portabo et salvabo. Nota ista quattuor verba: Ego feci, hominem; et ego feram, in humeris meis, tamquam ovem errabundam et lassam; et ego portabo, sicut nutrix portat infantem in brachiis. Et

quid potest Pater respondere, nisi ut dicat: Et ego salvabo? Bene ergo dicit Christus: Ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia a Deo exivi. Pater et Filius unum sunt, Filio attestante: Ego et Pater unum sumus. Qui amat Patrem amat et Filium, et Pater et Filius amant eum. Unde dicit in Ioanne: Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.

9 – De hac dilectione habes concordantiam in secunda particula hodiernae epistolae: Qui autem perspexerit in lege perfectae libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit. 'Lex perfectae libertatis est Dei dilectio, quae ex omni parte perfectum et ab omni servitute liberum reddit hominem'. Unde de viro iusto dicitur in Psalmo: Lex Dei eius in corde ipsius. In corde enim viri iusti est lex amoris divini, et ideo dicit in Parabolis: Fili, da mihi cor tuum. Sicut enim accipiter, de avibus, quas comprehendit, primum petit cor et ipsum comedit, sic Deus nullum ita appetit, nullum ita diligit in homine, sicut cor hominis, in quo est lex amoris, et ideo non supplantabuntur gressus eius. 'Gressus iusti sunt opera vel affectus mentis', quae non supplantabuntur, idest capiuntur, laqueo diabolicae suggestionis, vel lubricant in platea mundanae vanitatis. De primo dicit Iob: Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis. Planta iniqui tenetur laqueo malae suggestionis et sic exardescit contra eum sitis cupiditatis. De secundo dicitur in Threnis Ieremiae: Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum. "Platos graece, latum dicitur". "Vestigia dicta, quod his viae percurrentium investigentur, idest agnoscantur", 'opera significant', per quae quis cognoscitur. In latitudine lutuosa mundanae voluptatis lubricant opera peccatorum, ut cadant de peccato in peccatum et postmodum ruant in infernum. Unde in Psalmo: Fiant viae illorum tenebrae et lubricum, et angelus Domini, scilicet malus, persequens eos, quousque praecipitet in inferni abyssum. Sed gressus viri iusti non supplantatur, quia lex amoris est in corde ipsius, in qua qui permanserit, beatus in facto suo erit. Amor enim Dei gratiam in praesenti et gloriae beatitudinem conferet in futuro. Ad quam nos perducat, qui est benedictus in saecula. Amen.

III – De Christi omnium scientia

10 – Sequitur tertium. Dicunt ei discipuli eius: Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget; in hoc credimus quia a Deo existi. Vere dixerunt discipuli: Nunc scimus quia scis omnia. Unde de eo testatur Apostolus ad Hebraeos: Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda et aperta sunt ante oculos eius. Sermo, "idest Filius Dei", per quem ipsius voluntatem cognovimus, est vivus, idest vitam conferens; efficax dictus, effectus capax, "qui facile potest implere quod vult". Sermo Dei est efficax, quia Dei Filius omnia quaecumque voluit fecit. Efficit enim quod vult et ubi vult et quando vult. Unde Iob: Qui praecipit soli et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit caelos solus, et graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum et Orionas et Hyadas et interiora Austri. Qui facit magna et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus. Qui talia facit vere omnia scit. Vere omnia potest Filius Dei, vivus et efficax. Praecipit soli, et non oritur. In sole gratiae illuminatio designatur, quae tunc oritur cum menti infunditur,

non oritur cum non apponitur. Unde Dominus in Exodo: Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Et iterum: Indurabo cor Pharaonis. Cor Dominus dicitur indurare cum gratiam subtrahit vel non apponit. Unde dicit in Osee: Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae. Deterius malum animae peccatrici evenire non potest, quam cum Dominus peccatorem in pravitate sui cordis dimittit, et flagello paternae visitationis non corrigit. Stellas claudit quasi sub signaculo. Signaculum est quod alicui rei ad hoc imprimitur, ut lateat quousque reseretur. 'Stellae sunt sancti, quos Christus sub signaculo suae providentiae claudit, ne appareant quando velint, semper parati ad tempus a Deo statutum, ut, cum audierint aure cordis vocem iubentis, a secreto contemplationis egrediantur ad opera necessitatis'. Qui extendit caelos solus. 'Caeli sunt sancti praedicatores', 'qui pluunt verbis, coruscant sanctae vitae exemplis, intonant poenae aeternae minis'. Hos caelos extendit Dominus, ut undique lumen fundant, peccatores cooperiant et sibi caveant, ne temporalibus se implicent. Et graditur super fluctus maris. 'Fluctus maris sunt superbi huius mundi, super quos Dominus graditur, cum eorum cordibus suae humilitatis vestigia imprimit. Unde dicit in Ecclesiastico: Gyrum caeli circuivi sola, et in profundo abyssi penetravi, et in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui, et omnium excellentium corda virtute calcavi. Gyrum caeli, idest cor iusti, circumeo et defendo et protego; et profundum abyssi, idest corda malorum, in convertendo per poenitentiam; et in fluctibus maris, idest tentatione repressi; et in omni terra steti, idest, quia Deus stat super humilem et fructiferos per bona opera et stabiles, sed diabolus in arena; et in omni populo et in omni gente, "quibus congregatur Ecclesia".

11 – Sequitur: Qui facit Arcturum et Orionas et Hyadas et interiora Austri. Nota ista quattuor verba. "Arcturus septentrio a Latinis dicitur, quia septem stellis constat, qui propter plaustri similitudinem plaustrum nominatur". Nam quinque stellae pro curru, duae, quae uno loco videntur, pro bobus habentur. Quinque stellae sunt quinque corporis sensus, quos duae stellae, idest spes et timor, tamquam duo boves debent trahere. Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod 'Philisthiim tollentes duas vaccas iunxerunt ad plaustrum et posuerunt arcam Dei super plaustrum novum'. "Plaustrum dictum, quasi pilastrum, quia volvitur", corpus nostrum significat, quod debet volvi in operibus misericordiae; novum, satisfactionem poenitentiae, quod debet ferre arcam obedientiae. Hoc plaustrum duae vaccae, idest spes et timor, trahunt usque Bethsames, "quae interpretatur domus solis, idest vitae aeternae mansionem, in qua habitat sol iustitiae". "Orion est stella a gladio dictus. Unde eam Latini iugulam vocant, quod sit armatus ut gladius, et stellarum luce terribilis, et clarissimus". Oriones "in ipso pondere hiemalis temporis exoriuntur, suoque ortu imbres et tempestates emittunt". Oriones sunt cordis contritio et oris confessio, quae, cum oriuntur, imbres lacrimarum et tempestates disciplinae, ieiunii et abstinentiae emittunt. Hyades sunt quinque stellae, "in similitudine Y graeci". Hyades sunt illa 'quinque verba, quae Paulus, scribens ad Corinthios, in Ecclesia suo sensu volebat loqui'. Quae sunt verbum orationis, verbum laudis, verbum consilii, verbum exhortationis et verbum confessionis. Et interiora Austri. 'Auster ventus calidus est, Spiritum Sanctum significat', de quo dicit Sponsa in Canticis: Surge, Aquilo, et veni, Auster; perfla hortum meum, ut fluant aromata illius. "Aquilo dictus, quasi ligans aquas", 'diabolum significat, qui malitiae frigore restringit aquas compunctionis in corde peccatoris'. Huic dicitur: Surge, "idest recede"; et veni, Auster,

“idest, Spiritus Sancte”, perfla hortum meum, idest conscientiam meam, ut fluant aromata illius, idest lacrimae, quae in conspectu Domini redolent super omnia aromata. Interiora Austri secretum contemplationis, gaudium mentis, suavitatem internae dulcedinis significant, quae Austri, idest Spiritus Sancti, sunt quasi quaedam secreta interiora, quibus ipse inhabitat et inhabitando sui amoris suavi aura perflat.

12 – Sequitur: Qui facit magna et incomprehensibilia, et mira, quorum non est numerus. Magna fecit in rerum creatione; incomprehensibilia in recreatione; mirabilia nobis faciet in aeterna beatitudine. Vel, magna fecit in sui Incarnatione, unde beata Maria: Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius; incomprehensibilia in sui Nativitate, in qua ipsum Dei Filium Virgo parturivit; mira in miraculorum operatione. Benedictus sit, quia omnia scit qui nobis talia fecit. De quo Apostolus dicit: Vivus est sermo Dei et efficax. Sequitur. Et penetrabilior omni gladio ancipiti etc. Christus enim percutit animam contritione, corpus afflictione, pertingens usque ad divisionem “animae, idest animalitatis ac spiritus, idest rationis”. Et nota quod “anima est res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accomodata. Haec animales constituit homines, ‘quae carnis sunt sapientes’, sensibus corporis inhaerentes. Quae, ubi perfectae rationis incipit esse, continuo abdicat a se notam generis feminini, et efficitur animus particeps rationis, regendo corpori accomodatus. Quamdiu enim anima est, cito in id quod carnale est, effeminatur; animus vero, vel spiritus, nonnisi quod virile est et spirituale meditatur”; et sic fit divisio animae et spiritus. Compagum quoque et medullarum. “Compages sunt iuncturae”; “medulla dicta, quod madefaciat ossa”. ‘In compagibus, subtiles iuncturae cogitationum, in medullis compunctiones lacrimarum, quae ossa virtutum irrigant, designantur. Christus virtute suae divinitatis pertingit usque ad divisionem compagum et medullarum, quia subtiliter videt principium, medium et finem cogitationum, et ad quid tendant, et qualiter una alteri compingitur’, et quomodo et qua via compunctio a corde egrediatur. Unde Salomon in Ecclesiaste: Quomodo ignoras quae sit via spiritus et qua ratione compinguntur ossa in ventre pregnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Solus Deus scit quae sit via spiritus, idest contritionis, et qua ratione compinguntur ossa, idest virtutes, in ventre praegnantis, idest in mente poenitentis. Unde subdit Apostolus: Et discretor cogitationum et intentionum cordis; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius, quia, ut dicit Ecclesiasticus, ‘oculi Domini sunt in omni loco’; omnia nuda et aperta sunt ante oculos eius, coram quo, ut dicit Iob, ‘nudus est infernus et nullum operimentum perditioni’. Vere, vere ergo dixerunt discipuli: Nunc scimus quia tu scis omnia, et non opus est ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi. Filius a Deo exivit, ut tu exires a mundo; venit ad te, ut tu ires ad se. Quid est a mundo exire et ad Christum ire, nisi vitia refrenare et animam vinculo amoris Deo religare?

13 – Unde habes concordantiam in tertia particula epistolae hodiernae missae: Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. “Religio dicta, quia per eam religemus uni Deo animas nostras ad cultum divinum”. “Religio est quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque affert”. Audiat religiosus, spiritu inflatus, lingua dissolutus, a regno Dei

religatus: Si quis putat se religiosum esse etc. “Lingua est dicta a ligando”, quam qui silentio non ligat, se sine religione esse comprobat. Religionis initium est linguae frenum. Unde Salomon in Parabolis: Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? scilicet, ne bona inordinate dicam, idest pro tempore taceam et pro tempore bona dicam. Ideo signanter dicit signaculum; illud enim quod signo clauditur, ideo clauditur ut non pateat inimicis sed amicis. Audiant religiosi nostri temporis, qui multiplici varietate institutionum, diversis regulis praeceptorum, religionis suae fabricam onerant, qui tamquam pharisaei in exterioris munditiae apparentia gloriantur. Deus primo homini, in tantae excellentiae gradu constituto, unum tantum breve praeceptum dedit, scilicet: De ligno scientiae boni et mali, ne comedas; et illud tantillum non servavit. Hominibus vero nostri temporis, in tantae infelicitatis miseria constitutis et iam in finibus saeculi, immo, ut verius dicam, in faecibus positis, multa et nova praecepta, longae institutiones imponuntur; et putasne ipsas servabunt? Immo transgressores efficiuntur. Audiant isti quid dicat Dominus in Apocalypsi: Non mittam super vos aliud pondus; tamen id quod habetis, tenete, scilicet evangelium. Dicit GLOSSA: Audiant, inquit, isti quae sit vera religio. Religio, inquit Iacobus, munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas etc. Nota quod “vera religio in duobus consistit, in misericordia scilicet et innocentia; nam in eo quod pupillos et viduas visitare iussit, cuncta quae erga proximum agere debemus insinuat. Quae immaculatos ab hoc saeculo iubet custodire, universa, in quibus nos castos esse debet, ostendit”. Rogemus ergo, fratres carissimi, ut Dominus Iesus Christus nobis gratiam suam infundat, qua petamus et accipiamus veri gaudii plenitudinem, roget de nobis Patrem, veram concedat nobis religionem, ut ad vitae aeternae regionem pervenire mereamur. Ipso praestante, qui est laudabilis, principium et finis, admirabilis, ineffabilis per aeterna saecula. Dicat omnis religio munda et immaculata: Amen. Alleluia.

DOMINICA VI POST PASCHA

Themata sermonis

Evangelium in sexta dominica post Pascha: Cum venerit Paraclitus quod in duabus clausulis dividitur. In primis sermo de resurrectione, animae scilicet et corporis, ibi: Vivent mortui. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de sancta Trinitate, ibi: Cum venerit Paraclitus. Item sermo contra illos qui sunt in angustia diaboli, in mortali existentes, ibi: Pharao proposuit filiis Israel, et de natura ranae et araneae. Item sermo contra illos qui sunt in deliciis, ibi: Posuerunt Asa. Item sermo contra saeculi vanitatem, quae spiritualem virum etiam decipit, ibi: Propheta senex fefellit virum Dei. Item sermo ad consolandum in tentatione positum, ibi: Cum transieris per aquas tecum. Item sermo de gratiae infusione et mentis compunctione, ibi: Filiae Sion, exultate et laetamini. Item sermo de viro iusto renuntianti saeculo, ibi: Iacob transivit vadum Iaboc. Item sermo de oratione, ibi: Exaudi, Domine, vocem meam. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de patientia, ibi: Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Item sermo contra multos praedicatores, et de natura vaccae agrestis, quae stercore venatorem percutit, ibi: Scis quia pharisaei audito hoc verbo. Item sermo de hospitalitate: Hospitales invicem.

Exordium. De resurrectione animae et corporis

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit etc. Dicit Dominus per Isaiam: Vivent mortui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus. "Ros dictus, eo quod est rarus et non spissus, ut pluvia". Tunc autem longior ros fertur arva perfundere, cum serenior nox fit et luna clarior lucet, et humorem terrae, quem tota die solis ardor siccaverit, eumdem exiguo noctis tempore ros deponat. Paraclitum, Spiritum veritatis, ros significat, quia, suaviter in mentem peccatoris descendens, calorem solis, idest concupiscentiam carnis, refrigerat. Unde in Ecclesiastico: Ros obvians ab ardore venienti humilem efficit eum. Peccatori, venienti ab ardore vitiorum, gratia Spiritus Sancti obvians, quasi ros ardorem refrigerat, et dum quot et quantis vitiis mens sit involuta ipsi peccatori demonstrat, et sic ad luctum humiliat, ut quod fecit doleat. Unde Ieremias: Postquam, inquit, ostendisti mihi, percussi femur meum. Postquam Sancti Spiritus gratia ostendit peccatori iniquitatis suae cumulum, ipse poenitentiae flagellis percutit femur, idest corpus suum. Et nota quod Spiritus Sanctus recte dicitur ros lucis. Ros, quia refrigerium praestat; lucis, quia illuminat. Adveniente ergo rore lucis, mortui peccatis vivent vita gratiae, et interfecti gladio culpae resurgent in resurrectione prima, quae est poenitentia. Expergiscimini ergo, qui somno peccati aggravamini, et laudate Deum, confessione criminis, qui habitatis in pulvere terrenae vanitatis, quia ros lucis est Spiritus Sanctus, pater poenitentium, consolator gementium, de quo Filius dicit in hodierno evangelio: Cum velerit Paraclitus etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur. Primum, Paracliti missio, cum praemittitur: Cum venerit Paraclitus etc. Secundum, discipulorum Christi persecutio, cum additur: Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. In hac dominica cantatur in introitu missae: Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: et legitur epistola beati Petri: Estote prudentes, quam volumus dividere in duabus particulis et cum duabus evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Estote prudentes etc. Secunda: Hospitales invicem sine murmuratione etc.

I – De Paracliti missione

3 – Dicamus ergo: Cum venerit Paraclitus etc. Nota primum quod in hoc evangelio Sanctae Trinitatis fides aperte manifestatur. A Patre et Filio mittitur Spiritus Sanctus; 'qui tres unius sunt substantiae et inseparabili aequalitate. Unitas est in essentia, et pluralitas in personis'. Unde "Dominus Unitatem divinae essentiae ac personarum Trinitatem aperte insinuat, dicens in Matthaeo: 'Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti'. In nomine utique, ait, non in nominibus, ut unitas essentiae ostendatur. Per nomina tria, quae supposuit, tres esse personas ostendit". "In illa enim Trinitate summa origo est omnium rerum, et perfectissima pulchritudo et beatissima delectatio. Summa autem origo, ut AUGUSTINUS ostendit in libro De vera religione, intelligitur Deus Pater, a quo sunt omnia, a quo Filius et Spiritus Sanctus. Perfectissima pulchritudo intelligitur Filius, scilicet veritas Patris, nulla ei ex parte dissimilis, quam cum ipso et in ipso Patre veneramur, quae forma est omnium, quae ab uno facta sunt et ad unum

referuntur. Beatissima delectatio et summa bonitas intelligitur Spiritus Sanctus, qui est donum Patris et Filii; quod donum Dei, cum Patre et Filio aeque incommutabile, colere et tenere nos convenit. Per considerationem itaque creaturarum, unius substantiae Trinitatem intelligimus, scilicet unum Deum Patrem, a quo sumus, et Filium, per quem sumus, et Spiritum Sanctum, in quo sumus; scilicet principium, ad quod recurrimus, et formam, quam sequimur, et gratiam, qua reconciliamur". Mens vero nostra, ut ad contemplationem Creatoris se extendat et Unitatem in Trinitate et Trinitatem in Unitate indubitanter credat, videamus quale Trinitatis vestigium in ipsa mente appareat. Dicit AUGUSTINUS in libro De Trinitate: "Licet humana mens non sit eius naturae, cuius Deus est, imago tamen illius, quo nihil melius est, ibi quaerenda est et invenienda, quo natura nostra nihil melius habet, idest in mente. Ecce mens meminit sui, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus trinitatem, non quidem Deum, sed imaginem Dei. Hic enim quaedam apparet trinitas: memoriae, intelligentiae et amoris vel voluntatis. Haec igitur tria non sunt tres vitae, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; non tres essentiae, sed una essentia. Memoria vero dicitur ad aliquid, et intelligentia et voluntas sive dilectio similiter ad aliquid dicitur; vita vero ad seipsam et mens et essentia. Haec igitur tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia". "Haec autem tria, cum sint distincta a se invicem, dicuntur tamen unum esse, quia in animo substantialiter existunt. Et est ipsa mens quasi parens, et notitia eius quasi proles eius. Mens enim, cum se cognoscit, notitiam sui gignit, et est sola parens suae notitiae. Tertius est amor, qui de ipsa mente et notitia procedit, dum mens cognoscens se diligit se; non enim posset se diligere nisi cognosceret se. Amat etiam placitam prolem, idest notitiam suam; et ita amor quidam complexus est parentis et prolis. Ecce in his tribus verbis qualecumque Trinitatis vestigium apparet".

4 – Dicamus ergo: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis etc. Nota ista tria verba: Paraclitum, Spiritum et veritatis. In huius exilii miseria sunt tria mala, scilicet angustia crucians, culpa mortificans, vanitas decipiens. De angustia cruciante dicitur in Exodo, quod Pharao praeposuit filiis Israel magistros operum, ut affligerent eos oneribus, et aedificaverunt urbes tabernaculorum Pharaoni: Phithom et Ramesses'. 'Sic diabolus nominetenus christianis praeponit magistros operum, idest daemones, cuilibet vitio deputatos, qui affligant eos oneribus peccatorum'. Unde ipsi dicunt gementes, in Threnis Ieremiae: Cervicibus minabamur et lassis non dabatur requies. Aegypto dedimus manum et Assyriis, ut saturaremur pane. Babylonii, idest daemones, hominis quem captivum ducunt, cervici onera gravia imponunt, et tamquam bovem vel asinum, per funem ad collum ligatum, minando trahunt; et lasso nullam requiem dant, dum de peccato in peccatum praecipitant. Heu! quanta dementia in via lassari et viam nolle finire! 'Dedimus, inquiunt, manum, idest fecimus nos servos, Aegypto, idest mundo, et Assyriis, idest daemoniis, ut saturaremur pane, idest carnis voluptate'. Hi aedificant civitates tabernaculorum Pharaoni, 'idest diabolo': Phithom et Ramesses. "Phitom, os abyssi, Ramesses malitia de tinea interpretatur". Phitom luxuriam significat, quae est os abyssi, quae numquam dicit: Sufficit, carens lumine gratiae et fundo sufficientiae. "Voluptas enim, ut dicit HIERONYMUS, semper sui famem patitur". De hoc abysso habes in Psalmo: Abyssus abyssum, idest luxuria luxuriam, invocat, sicut rana ranam. "Rana habet vocem propriam, et est: Coax; et non facit hoc nisi in aqua tantum. Et proprie mas tempore coitus clamat feminam per vocem cognitam. Et rana

multiplicat vocem, quando posuerit mandibulam inferiorem aequaliter in aqua, et extenderit superiorem. Et per extensionem duarum mandibularum lucent oculi eius sicut candelae". Item, modi aranearum, cum voluerint coire. "Mulier attrahit marem per fila telae, et mas postea feminam. Et non cessabit attractio quousque coniungantur". Luxuriosi sunt sicut ranae, qui in aqua carnalis voluptatis, signis et vocibus se ad luxuriam invitant, quorum oculi pleni sunt adulteriis, accensi libidine, qui tamquam araneae, quasi per quaedam fila verborum et promissionum, se attrahunt et in suae perditionis abyssum se coniungunt. Ramesses avaritiam significat, quae, tamquam vermis vestimentum, mentem corrodit. Unde "tinea dicta, quod teneat, et eousque insedeat quo corrodat". Sic avaritia mentem avari corrodit, ut plura multiplicet, sed miser sua multiplicatione plus esuriet. Unde beatus BERNARDUS: "Non aliter cor hominis satiatur auro, quam corpus hominis aura". PHILOSOPHUS: "Avaro quid mali optes nisi ut vivat diutius?" Item: "Avarus, nisi cum moritur, nihil recte facit". Hae sunt civitates diaboli, luxuriae scilicet et avaritiae. Et quae maior angustia quam abysso incarcerari et tinea cooperiri ?

5 – De culpa mortificante dicitur in Genesi, quod mortua est Rachel et sepulta in via, quae ducit Ephratam. "Ephrata interpretatur frugifera", et significat abundantiam temporalium, qua infelix anima suffocatur et, sepulta, mole malae consuetudinis premitur. Unde 'dives purpuratus, quia hic sepultus fuit in deliciis, postmodum fuit sepultus in inferni poenis'. Unde dicitur in secundo libro Paralipomenon quod 'posuerunt Asa in lectum suum, plenum aromatibus et unguentis meretriciis, quae erant arte pigmentariorum confecta, et combusserunt super eum ambitione nimia'. "Asa interpretatur attollens", et significat huius saeculi divitem superbum, de quo dicit Propheta: Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Huius 'lectus est corpus, in quo iacet dissolutus tamquam paralyticus', quod repletur aromatibus et unguentis meretriciis, idest honoribus, divitiis et deliciis, quae arte pigmentariorum, idest daemonum, sunt confecta. Postmodum vero infelix anima, cum infelici corpore, in igne inextinguibili gehennae, combustione nimia, comburetur. Omnis homo primum bonum vinum ponit, deinde id quod deterius est. Quia bibisti de calice aureo Babylonis, potabis usque ad faeces de puteo aeternae damnationis.

6 – De vanitate decipiente dicitur in tertio libro Regum, quod propheta senex fefellit virum Dei et reduxit eum secum in domum suam, qui comedit panem in domo eius et bibit aquam. Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via et occidit; et erat cadaver eius proiectum in terra; asinus autem stabat iuxta illum, et leo stabat iuxta cadaver. Nec laesit asinum leo, nec comedit de cadavere. Propheta senex est mundi vanitas, quae semper falsa prophetat. Unde Ieremias in Threnis: Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta. 'Prophetae nostri sunt mundi vanitas et carnis voluptas', quae, si viderint nos mundum contemnere, carnem affligere, statim prophetant nobis egestatem et infirmitatem. Si tua, inquiunt, dederis, unde vives? Si carnem amixeris, in infirmitatem cades. Heu! quot deceperunt isti prophetae! Isti sunt prophetae, qui loquuntur in nomine suo et non in nomine Domini. Bene ergo dicitur, quod propheta senex fefellit virum Dei. Et bene mundi vanitas dicitur propheta senex; a mundi enim principio usque ad has saeculi faeces, decipiendo duravit et durabit. In cuius domo vir Dei deceptus comedit panem et bibit aquam. Panis gloriae mundanae

excellentiam significat, de qua dicit Salomon in Parabolis: Suavis est homini panis mendacii, sed postea implebitur os eius calculo. Panis mendacii est gloria mundi, quae se mentitur aliquid esse, cum nihil sit. Unde AUGUSTINUS: 'Omne quod fine claudendum est pro transacto habendum est'. Haec gloria, quia est suavis homini, ideo os eius implebitur calculo, idest lapide ignito, idest poena aeterna, quae non potest transglutiri, nec evomi. Et bibit aquam. Aqua est luxuria vel avaritia, 'quam qui biberit sitiet iterum'. Qui hunc panem comederit et hanc aquam biberit, a leone, scilicet diabolo, occidetur. Et nota quod leo non laesit asinum, nec comedit de cadavere, quia diabolus non curat de pecunia vel de corpore, sed ut tantum animam possit interficere. Unde: Dixit rex Sodomorum Abrahae: Da mihi animas, cetera tibi tolle. Christus emit animam 'ponendo in morte suam animam'; et ideo diabolus tantum emptorem tanto labore vult fraudare, cum animam nostram vult occidere.

7 – Sed Dominus contra haec tria mala supradicta, scilicet angustiam, culpam, vanitatem, misit Spiritum Sanctum Paraclitum veritatis: Paraclitum contra angustiam, Spiritum contra culpam, veritatis contra vanitatem. Paraclitus consolatur nos in angustia tribulationis. Unde dicit in Isaia: Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit te. Nota ista quattuor verba: aquas, flumina, ignem et flammam. In aquis, gula et luxuria; in fluminibus, prosperitas mundana; in igne, adversitatis angustia; in flamma diabolicae persecutionis malitia designatur. Dicit ergo: Cum transieris per aquas etc. Mentem, quam Spiritus Sanctus igne caritatis consolidat, nec aquae gulae et luxuriae, nec flumina prosperitatis mundanae, dissolvere possunt. Unde Salomon in Canticis: Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam; quia lampades eius lampades ignis atque flammarum. Mentem etiam, quam Spiritus Sanctus inflammat, nec ignis adversitatis, nec flamma diabolicae persecutionis consumere potest. 'Ipse enim Spiritus, ut dicitur in Daniele, excutit flammam ignis de fornace, et facit medium fornacis quasi ventum roris flantem'. Item, misit Spiritum contra culpam, ut vivificaret animam. Unde in Genesi: Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. Spiraculum vitae est Sancti Spiritus gratia, quam cum Deus in faciem animae inspirat, procul dubio animam de morte ad vitam resuscitat. Et hic Spiritus dicitur veritatis contra mundi vanitatem, quam ipsa veritas expellit. Unde dicit Ioel: Filiae Sion, exultate et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum. Et implebuntur areae frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Benedictus sit Dominus Deus noster, Dei Filius, in quo nos filii Sion, "idest Ecclesiae" militantis et triumphantis, debemus exultare corde, laetari opere, quia dedit nobis doctorem iustitiae, Spiritum scilicet gratiae, qui docet nos unicuique suam iustitiam exhibere. In cuius datione imbrem matutinum, idest compunctionem pro peccatis propriis, et serotinum, pro peccatis alienis, ad nos fecit descendere. Qui enim pie plangit aliena, perfecte diluit propria. In doctoris iustitiae descensu areae, idest mentes fidelium, repletae fuerunt frumento fidei, et torcularia, idest ipsorum corda, vino compunctionis et oleo pietatis redundaverunt. Bene ergo dicitur: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. In cordibus enim fidelium Spiritus veritatis perhibet testimonium de Christi Incarnatione, ipsius Passione et eiusdem Resurrectione. Et nos testimonium

debemus perhibere omni homini, quia Christus fuit vere incarnatus, vere passus, qui et vere resurrexit.

8 – Huic primae clausulae evangelii concordat prima: particula hodiernae epistolae: Estote prudentes et vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Nota quod beatus Petrus ad tria nos invitat: prudentiam, vigilantiam et orationum instantiam. De prudentia dicit Salomon in Proverbiis: Beatus vir qui affluit prudentia: melior est enim acquisitio eius negotiatione argenti et auri. Qui autem negligens et improvidus fuerit, multis patet periculis. De vigilantia autem dicitur in Genesi, quod Iacob transivit vadum Iaboc; transductisque omnibus quae ad se pertinebant, remansit solus; et ecce vir luctabatur cum eo usque mane; qui dixit ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. "Iacob interpretatur supplantator"; 'Iaboc, torrens pulveris', qui significat temporales delectationes, quae transeunt ut torrens, steriles sunt et excaecant oculos sicut pulvis. Hunc torrentem poenitens, cum omnibus bonis Domini, quae sibi Dominus dedit, debet transire et solus remanere. Ille solus remanet, qui nihil sibi sed totum Domino attribuit; propriam voluntatem alienae voluntati subicit; illatae iniuriae non meminit; sperni se non spernit. Et si ita solus remanserit, bene cum Domino luctari poterit et impetrare ab eo quod voluerit, et audire merebitur: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Aurora finis est noctis et initium diei. Haec est mors iusti, finis miseriae et ingressus beatitudinis, in qua viro iusto dicit Dominus: Dimitte me, iam aurora ascendit. Aurora, quasi dicat: Non amplius est opus luctamine, finit tibi miseria et incipit gloria. Unde de iusti anima dicitur in Canticis: Quae est ista quae ascendit quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? Luna dicta, quasi luminum una. Anima iusti, cum ab huius miseriae incolatu ascendit, beatitudinem ingreditur, in qua est pulchra ut luna, quia sanctarum animarum lumini, tamquam una ex ipsis, associatur. Et est electa ut sol, quia totius Trinitatis splendore illuminatur.

9 – De orationis instantia dicitur in introitu hodiernae missae: "Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te: tibi dixit cor meum, quaesivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram, ne avertas faciem tuam a me". Nota quod triplex est oratio: mentalis, vocalis et manualis. De prima dicit Ecclesiasticus: Oratio humiliantis se penetrat caelos. De secunda, Psalmus: Intret oratio mea in conspectu tuo. De tertia, Apostolus: Sine intermissione, inquit, orate. 'Non cessat orare, qui non cessat bene facere'. Dicit ergo: Exaudi, Domine, vocem meam, cordis, oris et operis, qua clamavi ad te. Tibi dixit cor meum: Quaesivi vultum tuum. 'Vultus Domini est illa imago, secundum quam ad ipsius similitudinem et imaginem creati sumus, quam tunc perdimus cum mortale incurrimus'; faciei enim divinae faciem diaboli superscribimus; quod prohibet Ecclesiasticus, dicens: 'Ne assumas faciem contra faciem'. Quot mortalia committis tot facies diaboli divinae faciei superponis. De quibus in Psalmo: Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? Ut autem vultum Domini perditum invenire valeamus, 'lucernam accendamus, diligenter domum evertamus, donec inveniamus', idest pro peccatis conteramur, angulos conscientiae in confessione perscrutemur, operibus poenitentiae insistamus; et sic tandem vultum Domini perditum invenire poterimus, et exultantes decantabimus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine etc. Et quia vultus Domini caritate reformatur et finaliter conservatur, ideo de ea subdit Petrus: Ante omnia

autem mutuam etc. Sicut Deus est principium omnium, sic caritas, virtus principalis, ante omnia debet haberi; quae, si fuerit mutua et continua, omnem 'operiet multitudinem peccatorum'. Mutua, idest alterna et communis; continua, idest nec adversis nec prosperis deficiens, sed perseverans et finalis debet esse. Vel, 'caritas est Paraclitus, Spiritus veritatis', qui, tamquam oleum omnem liquorem, operit multitudinem peccatorum. Sed nota quod, si exsufflatum fuerit, quidquid prius latebat apparet. Sic gratia Dei, quae operit per poenitentiam multitudinem peccatorum, si per reiterationem mortalis peccati exsumata fuerit, quod iam dimissum erat redit, quia 'qui peccat in uno, scilicet caritatis praecepto, factus est omnium reus'. Et ideo, si mortale iterum commiseris et ad novum confessorem accesseris, omnia te confiteri oportebit. Spiritus Sanctus, qui est amor Patris et Filii, multitudinem peccatorum nostrorum sua caritate operire dignetur. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

II – De Christi discipulorum persecutione

10 – Sequitur secundum. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis. Quia "iacula quae praevidentur minus feriunt", ideo Dominus suos praemunivit milites, ut, clypeo patientiae persecutionis iaculis opposito, non, invento discrimine, scandalizarentur. Haec, inquit, locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Ego Verbum Patris vobis loquor, a quo exemplum patientiae debetis suscipere, ut non scandalizemini. Qui in tribulatione scandalizatur, suae impatientiae scandalo, a Christi discipulis disiungitur. "Absque synagogis, idest extra synagogam, facient vos". Unde in Ioanne: Iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis confiteretur Christum extra synagogam fieret. Christus dicit: Ego sum veritas. Qui veritatem praedicat, Christum confitetur. Qui vero eam in praedicatione tacet, Christum negat. "Veritas odium parit", et ideo quidam, ne odium quorumdam incurrant, silentii pallio ora velant. Si veritatem, ut res se habet et ipsa veritas requirit et divina Scriptura aperte praecipit, praedicarent, nisi fallor, odium carnalium incurrerent, et forte extra synagogam eos facerent; quia vero secundum hominem ambulant, ideo hominis scandalum timent, 'cum veritas non sit relinquenda propter scandalum'. Unde habes in Matthaeo quod dixerunt discipuli ad Iesum: Scis quia Pharisaei, audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite illos: caeci sunt et duces caecorum. O caeci praedicatores, quia scandalum caecorum timetis, ideo animae caecitatem incurritis. Vobis faciunt isti sicut vacca agrestis venatori. Dicitur in NATURALIBUS quod 'vacca agrestis, venatori se insequenti, stercus suum remote proicit, et eum percutit, a quo, dum venator detinetur et retardatur, ipsa evadit' . Certe sic faciunt hodie aliqui praelati: 'vaccae pingues in monte Samariae', 'boves pulchrae et crassae nimis, in locis palustribus pascentes', quae venatori, idest praedicatori, dant stercora temporalium, ut eius increpationes effugiant. Unde in Ecclesiastico: In lapide luteo lapidabitur piger. Et propter hoc dicit Dominus per Isaiam: Suscitabo super eos Medos "idest praedicatores", qui argentum non quaerant, nec aurum velint; sed sagittis, 'sanctae scilicet praedicationis', parvulos, idest mundi amatores, interficiant.

11 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Hospitales invicem sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat tamquam ex virtute quam administrat Deus. 'Hospes est qui recipit et qui recipitur', dictus, "quod inferat ostio pedem, vel ostio patens, unde ospitalis dicitur". Hospitales sunt praedicatores, qui peccatoribus ostium praedicationis debent aperire; et hoc sine murmure, idest sine scandalo. Murmur enim sine scandalo non potest fieri. Et bene praedicatores dicuntur hospitales, quia gratiam multiformis praedicationis, quam acceperunt, sicut boni dispensatores debent administrare. Sicut enim multiformia sunt peccata, sic multiformis debet esse praedicatio, ut vitiorum formis animae deformatae, praedicationis forma informentur. Unde Petrus praelatis praedicatoribus loquitur: Pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis. Unde adhuc subdit: Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Sermones Dei loquitur "qui scientiam loquendi, quam habet, non sibi sed Deo imputat. Qui sermones Dei loquitur timeat, ne praeter voluntatem Dei, vel praeter auctoritatem sanctarum Scripturarum, vel praeter utilitatem fratrum, doceat, vel quod docendum est taceat". Si quis ministrat, sive in verbo sive alio quocumque caritatis officio, tamquam ex virtute non sua, sed quam administrat Deus, ut in omnibus "actibus nostris" honorificetur Deus per Iesum Christum, Dominum nostrum. Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut Paraclitum, Spiritum veritatis, nobis infundat et ut in tribulatione, ne scandalizemur, patientiam tribuat. Cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA PENTECOSTES

Themata sermonis

Epistola in die sancto Pentecostes, quae in quinque clausulis dividitur. In primis sermo de ipso Spiritu Sancto, et de proprietate chrysolithi, ibi: Spiritus vitae erat in rotis. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo in eiusdem Spiritus Sancti solemnitate, ibi: Iam advenerat dies tertius. Item de tribus linguis, scilicet serpentis, Evae et Adam, et de quattuor naturis ignis et eorum significatione. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de Sancti Spiritus infusione et animae resuscitatione et quadruplici mundi parte et ipsius significatione, ibi: A quattuor ventis venit. Item sermo de arca Noe et ipsius quinque cameris et earum significatione, ibi: Arca Noe. Item sermo de quinque sensibus corporis et eorum dispositione et proprietate et significatione, ibi: "Prima camera dicitur stercoraria". DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de triplici soni genere et ipsius significatione, ibi: Factus est repente. Item sermo ad poenitentes vel religiosos, ibi: Iam advenerat dies tertius. Item de proprietate terrae et eius significatione, ibi: Spiritus Domini replevit orbem. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo de confessione, circumstantiarum manifestatione et satisfactionis ardore, et linguae proprietate et dispositione et ipsius significatione, ibi: Et apparuerunt illis dispertitae linguae. DE QUINTA CLAUSULA. Sermo de Spiritus Sancti missione, ibi: De excelso misit ignem, et ibi: Adduxit Dominus spiritum super terram. Item sermo contra illos qui multa praedicant et pauca aut nulla faciunt, ibi: Coeperunt loqui variis linguis.

Exordium. De Spiritu Sancto et de proprietate chrysolithi

1 – Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco etc. Dicit Ezechiel: Spiritus vitae erat in rotis. Rotae volubiles fuerunt apostoli, Dei Filium per totum mundum deferentes. His rotis, ut idem propheta subinfert, erat species quasi visio lapidis chrysolithi. 'Chrysolithus lapis quasi aurum fulget, unde et dicitur'; chrysos enim graece, aurum latine. 'Hic lapis videtur ex se emittere quasdam ardentes scintillas', et omne genus serpentium fugat, 'et significat apostolos, qui, auro septiformis gratiae splendidi, scintillas praedicationis alios incendentes ex se emiserunt', quibus omne genus daemonum effugaverunt. 'In his rotis, ut in eodem habes propheta, erat statura et altitudo et horribilis aspectus'. In apostolis enim fuit "statura in rectitudine praeceptionis, altitudo in celsitudine supernae promissionis, horribilis vero aspectus in minis atque terroribus supplicii sequentis". Unde dicit poenitens in Canticis: Anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab. "Aminadab interpretatur spontaneus, et significat Iesum Christum, qui sponte pro nobis se obtulit in cruce", cuius quadrigae fuerunt apostoli, de quibus dicit Habacuc: Et quadrigae tuae salvatio", idest 'propter quas das salvationem'; propter quas, idest propter quarum praedicationem, anima mea, inquit poenitens, conturbavit, idest simul turbavit, me ad poenitentiam. Unde Habacuc: 'Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas; audivi et conturbatus est venter meus'. Dominus in mare, "idest in mundum", misit equos, "idest apostolos", qui aquas multas, "idest populos multos", sua praedicatione ad poenitentiam conturbarunt. Quorum praedicationem audivi, inquit poenitens, et conturbatus est venter meus, 'idest carnalitas mea'.

I – De inspiratione gratiae Spiritus Sancti apostolis in linguis igneis

2 – In his rotis erat spiritus vitae omnia vivificans, de quo dicitur in hodierna epistola: Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco; et factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis; et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto; et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. "Pentecostes graece, latine quinquagesimus, et antiquus populus quinquagesimum diem observabat; a die enim immolationis agni, per quem egressi sunt filii Israel de Aegypto, data est lex quinquagesimo die in igne. In novo etiam Testamento quinquagesimo die a Pascha Christi descendit Spiritus Sanctus in apostolos, in igne apparens. Lex in monte Sina, Spiritus in monte Sion. Lex in sublimi montis loco, Spiritus datur in cenaculo". Cum ergo complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. "Nullus absens erat, vel quia numerus duodecimus completus erat, unum cor et unam animam habentes". "In eodem loco, scilicet in cenaculo, quod ascenderant. Qui enim Spiritum desiderat, carnis domicilium, mentis contemplatione transcendens, calcat". Factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. "Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, secundum illud: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Cum sono venit qui suos venerat docere". Unde habes concordantiam in Exodo: Iam advenerat dies tertius et mane inclaruerat; et ecce coeperunt audiri tonitrua et micare fulgura, et nubes densissima operire montem,

clangorque bucinae vehementius perstrepebat, timuitque populus qui erat in castris. Primus dies fuit Christi Incarnatio; secundus, eiusdem Passio; tertius, Spiritus Sancti missio, quo adveniente coeperunt audiri tonitrua, quia factus est repente de caelo sonus etc.; et micare fulgura, "idest apostolorum miracula"; et nubes densissima, idest cordis compunctio et poenitentia, operire montem Sinai, idest populum, qui erat in Ierusalem; unde in Actibus apostolorum dicitur, quod compuncti corde dixerunt ad Petrum, et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres? clangorque bucinae, "idest praedicationis", vehementius perstrepebat; unde Petrus: Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti; timuitque omnis populus, qui erat in castris, et ideo baptizati sunt et appositae sunt in hac die animae circiter tria millia.

3 – Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis; seditque supra singulos eorum; quia per linguas, scilicet serpentis, Evae et Adam, 'mors intravit in orbem terrarum'. Lingua serpentis, venenum in Evam; lingua Evae venenum infudit in Adam; et lingua Adam voluit retorquere in Deum. Lingua est membrum frigidum, natat enim in humido, et ideo 'malum inquietum, plenum veneno mortifero', quo nihil frigidius. Ideo Spiritus Sanctus in linguis igneis apparuit, ut linguas linguis, ignem veneno mortifero apponeret. Et nota quod "ignis quattuor habet naturas: urit, purgat calefacit, illuminat. Similiter Spiritus Sanctus exurit peccata purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuminat. Ignis etiam incorporeus et invisibilis est in sua natura, sed assumpto aliquo corpore videtur diversi coloris apparens, propter materias in quibus ardet. Sic Spiritus Sanctus videri non potest, nisi per creaturas, in quibus operatur". Nota quod "dispersio linguarum est facta in turre Babel, secundum quod dispersit superbia, recolligit humilitas. In superbia, dispersio; in humilitate fit concordia. Ecce completur promissio Domini: 'Non vos relinquam orphanos, sed mittam Spiritum Paraclitum', qui eorum advocatus pro eis omnibus locutus est. Linguas attulit qui pro verbo venit. Cognationem habet lingua cum verbo, ut ab invicem non possint separari; sic Verbum Patris, idest Filius, et Spiritus Sanctus inseparabiles sunt, immo et unius naturae". Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. "Ecce signum plenitudinis: plenum vas erumpit, ignis non potest occultari. Linguis omnibus loquebantur, vel sua, idest hebraea, lingua loquentes, ab omnibus intelligebantur, ac si propriis singulorum loquerentur. Spiritus Sanctus, dividens singulis prout vult, ubi vult, quomodo vult, quantum vult, quando vult, quibus vult suam gratiam spirat". Quam nobis spirare dignetur, qui hodierna die in linguis igneis gratiam suam apostolis inspiravit. Cui sit semper laus et gloria per aeterna saecula. Amen.

II – De Sancti Spiritus infusione et animae resuscitatione

4 – Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Dicit Ezechiel: A quattuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos et reviviscant. Quattuor venti, "quattuor partes mundi" sunt: oriens, occidens, aquilo et meridies. In oriente, Christi Incarnatio; in occidente, eiusdem Passio; in aquilone, ipsius tentatio; in meridie Spiritus Sancti missio designatur. Vel, in oriente, recordatio nostri miserabilis ingressus; in occidente, memoria lamentabilis egressus; in aquilone, consideratio infelicis status; in meridie, cognitio nostri reatus. Ab his quattuor ventis venit Spiritus Sanctus et

insufflat, flatu gratiae, super interfectos gladio culpae, ut reviviscant vita poenitentiae. Unde in Actibus apostolorum dicitur quod, adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Unde dicitur in hodierna Actuum apostolorum lectione: Cum complerentur dies Pentecostes etc. Nota quod hic quattuor notantur. Primum, quinquagesimae completio, cum praemittitur: Cum complerentur etc. Secundum, Spiritus Sancti inspiratio, cum subinfertur: Et factus est repente de caelo sonus etc. Tertium, in linguis igneis apparitio, ibi: Et apparuerunt illis dispertitae linguae. Quartum, apostolorum in omnibus linguis locutio, ibi: Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto etc. Dicamus ergo: Cum complerentur dies Pentecostes. Pentecostes graece, quinquagesima dicitur latine: quinque decies ducti quinquaginta fiunt. Quinque sunt corporis sensus, decem praecepta decalogi. Si quinque sensus nostri corporis decem decalogi praeceptis fuerint perfecti, tunc procul dubio in nobis complebitur dies Pentecostes sacratissimus, in quo datur Spiritus Sanctus. De hac quinquagesima dicitur in Genesi, quod arca Noe 'habebat in latitudine quinquaginta cubitos'. Sed prius notandum quod 'ipsa arca habuit quinque cameras. Prima fuit stercoraria; secunda, apothecaria; tertia, immitium animalium; quarta, mitium; quinta, hominum et volucrum'. 'Noe est vir iustus', cuius arca est proprium corpus, quod bene dicitur arca. "Arca dicta, quod arceat furem"; sic corpus viri iusti a se debet arcere omne vitium, quod venit ut virtutes furetur. Huius arcae quinque camerae sunt quinque sensus, scilicet gustus, odoratus, tactus, auditus et visus.

5 – Prima camera dicitur stercoraria. Haec est oris lingua, per quam in confessione omnia peccatorum stercora debemus emittere. Haec est porta sterquilinii, de qua dicitur in libro Esdrae, quod portam sterquilinii aedificavit Melchias filius Rechab, et statuit valvas, et seras, et vectes. Sterquilinium, locus stercore plenus, dictum eo quod stercore liniatur et inficiatur. Mens peccatoris, stercore diaboli foetens et infecta, per portam confessionis est purganda. Hanc aedificat Melchias filius Rechab. 'Melchias, chorus Domino'; "Rechab ascendens" interpretatur. Melchias est poenitens, qui in tympano et choro, 'idest mortificatione carnis et consonantia caritatis', Domino hymnum personat. Hic est Iesu Christi filius, ad dexteram Patris ascendentis. Hic Melchias debet constituere linguae suae valvas, quae sunt interiora ostia, 'a velando dictae, quae intus clauduntur', ut scilicet omnia bona sua interius claudat, illum versiculum Isaiae in fronte conscientiae habens scriptum: Secretum meum mihi, secretum meum mihi; et seras, ut animi impetus, foris prorumpere volentes, seris divini amoris et timoris cohibeat; et vectes, ut pro tempore et loco utilia proponat et semper a malis taceat.

6 – Secunda camera, apothecaria, est olfactus narium. "Nares dictae, quod per eas aer vel spiritus manat. In his tria sunt officia: unum ducendi spiritum, alterum capiendi odoris, tertium purgamentum cerebri deducendi". Et inconveniens est quod sit anhelitus nisi per nares, secundum quod est rectitudo in creatione. Anhelitus vero oris est propter necessitatem et est foedus, quoniam est contra naturam. Et est via sternutationis per nares, quando multiplicatur in cerebro ventus et exierit subito. 'In naribus, ut saepe dictum est, discretio et prudentia designatur'; per has, tamquam per nares, spiritum contemplationis et supernae caritatis attrahimus et boni exempli odorem capimus et cogitationum superfluitates purgamus. Et sicut recta et conveniens via anhelitus est per nares, sic per discretionem et prudentiam recta via attrahitur spiritus amoris divini et emittitur in

consolatione et aedificatione proximi. Et sicut anhelitus oris est propter necessitatem et est foedus, sic confessio oris est propter necessitatem. Quia peccasti, necesse est confiteri; si non vis confiteri, necesse est te damnari. Et est foedus, quia portat sterquilinium, de cuius foetore dicitur in Luca: Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora. Ficus est anima; fossio est contritio; stercoratio, peccatorum confessio, quae animam sterilem facit fructificare. Et cum ventus superbiae vel vanaegloriae in cerebro, idest mente, multiplicatur, per viam discretionis et prudentiae subito egreditur.

7 – Tertia camera, immitium animalium, est tactus manuum, quibus debemus apprehendere disciplinam et pro indisciplinatis cogitationibus, inordinatis verbis, irregularibus operibus, nos ipsos sine misericordia debemus percutere, ut 'quot habuimus in nobis oblectamenta, tot de nobis inveniamus holocausta'. Et nota quod, sicut in manibus decem sunt digiti, sic decem sunt genera disciplinae, scilicet mortificatio propriae voluntatis, abstinentia potus et cibi, censura silentii, vigiliarum in oratione pernoctatio, lacrimarum effusio, lectionis discreta occupatio, corporalis exercitatio, in alterius necessitate compassio, vilitas habitus, sui despectus. Istis decem digitis debemus apprehendere disciplinam, et sicut immites, feroces et immisericordes nos ferire, ut in die flagelli, ossa comminuentis, misericordiam mereamur invenire.

8 – Quarta camera, mitium animalium, est auditus. Nota quod "compositio auris est ex cartilagine et carne. Quod est in interiori auris est foramen tortuosum, simile armillae, et finis eius est in osse, similis in creatione et forma auri. Et tinnitus et omnis sonus pervenit ad ipsum, et ab ipso redditur ad cerebrum; et exit a cerebro una vena et pervenit ad aurem dextram et alia vena pervenit ad sinistram. Et omne animal, habens aures, habet eas mobiles, praeter hominem". Cartilago ossis speciem habet, fortitudinem non habet. "Caro dicta, quod cara sit". In cartilagine ergo et carne, ex quibus auris componitur, mansuetudo et humilitas designatur, quibus Deo et hominibus nihil carius. Ex his duobus omnis hominis auditus debet componi, ut in omni percussione, molestia et contumelia verborum mansuete et humiliter respondeat. Et hoc ipsum ipsa natura docet, quae in interiori auris foramen non rectum sed tortuosum fecit, ut, cum quod non placet audieris, non subito animum percutiat, sed quasi per cuiusdam tortuositatis viam, sermo praepeditus transeat; ut tandem, amissa virtute, debilis perveniat, ut parum aut nihil te pungat. Et duae venae, quae exeunt a cerebro, quarum una pervenit ad aurem dexteram et alia ad sinistram, sunt temperantia et obedientia. 'In dextera prosperitas, in sinistra adversitas designatur'. Cum audis prospera et quod tibi placet, temperantia est necessaria; cum vero quod tibi praecipitur displicet et audis adversa, tunc obedientia magis est necessaria, quia magis fructuosa. Et omne animal habens aures habet eas mobiles, praeter hominem. Hominis appellatione vere est dignus, qui non habet aures mobiles, idest qui non movetur a suae mentis stabilitate, propter ventum verborum. Omnis vero homo, qui habet prurientes aures, qui omni verbo credit, qui adulationi libenter aurem bibulam opponit, non homo sed brutum animal dignus est appellari.

9 – Quinta camera, hominum et volucrum, est visus oculorum, quibus pauperes, necessitatem patientes, misericorditer debemus respicere, et caelestia attente considerare, quia, sicut dicit Apostolus, invisibilia Dei, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.

Ecce iam habes de quinque cameris, idest quinque sensibus, arcae Noe, idest corporis viri iusti. Et nota quod arca Noe ad modum humani corporis fuit facta; 'habuit enim in longitudine tercentos cubitos, in latitudine quinquaginta, in altitudine triginta'. 'In corpore humano longitudo sexies est maior latitudine et decies maior altitudine. Est autem longitudo a planta usque ad verticem; est latitudo a crate lateris ad cratem; altitudo, a dorso ad ventrem'. Si ergo quinque corporis sensus decem decalogi praeceptis fuerint perfecti, tunc vere arca Noe quinquaginta cubitis dilatabitur et quinquagesima adimplebitur, et vir iustus in fine suae vitae perfecte consummabitur. Unde in libro Sapientiae: Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima eius. Bene ergo dicitur: Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Discipuli viri iusti sunt affectus rationis et purae cogitationes mentis. Qui vere tunc sunt pariter in eodem loco, cum dies Pentecostes, idest quinque sensuum perfectio, adimpletur. Nota ista duo verba: pariter et in eodem loco. Pariter, idest coaequaliter et simul. Illae mentis cogitationes pariter sunt quae, sub aequali regula rationis, ordinate componuntur et discrete procedunt, ut una non altior altera, nec alia inferior alia in mente appareat; quod si fieret, ipsa inaequalitas esset occasio ruinae virtutum fabricae. 'Omnia, inquit Apostolus, ordinate fiant', ut 'dicat huic: Vade, et vadat, et alii: Veni, et veniat, et servo, idest corpori suo: Fac hoc, et faciat'. Sint etiam discipuli pariter, ut cogitationes mentis simul et in unum congregatae, 'tamquam acies militum', 'aereas potestates fortiter valeant impugnare'. Sint et in eodem loco, non in diviso, quia mens divisa non impetrat. Unde dicit Ecclesiasticus: Fili, ne sint in multis actus tui; et iterum: Vae peccatori terram ingredienti duabus viis. Et GREGORIUS: 'Fluvius, qui in multos rivos dividitur, a suo alveo desiccatur'. Et BERNARDUS: "Animus distentus in multa, multis laceretur curis necesse est". Si dies Pentecostes primum fuerint completi, pariter et in eodem loco, erunt omnes discipuli ad suscipiendum parati gratiam Spiritus Sancti, quam nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De poenitentia ad religiosos

10 – Sequitur secundum. Factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. "Sonus est quidquid sensibile auditur". "Huius tria sunt genera: voce ut per fauces, flatu sicut per tubam, pulsu sicut per lyram". 'Sonus spiritus vehementis est contritio cordis', quam tamquam sonum percipit poenitens aure cordis. Unde dicit Dominus in Ioanne: "Spiritus, inquit, ubi vult spirat, quia in potestate habet cuius cor illustret, et vocem eius audis, et nescis unde veniat aut quo vadat". Vox Spiritus Sancti est compunctio, loquens in corde peccatoris, "quam etsi audis, nescis unde veniat, idest quomodo cor illius intraverit, vel quomodo redierit, quia natura eius est invisibilis". Nota etiam quod iste sonus fit tribus modis, scilicet voce praedicationis, flatu fraternae compassionis, pulsu paternae correptionis. Ex his tribus solet oriri sonus compunctionis in corde peccatoris. Bene ergo dicitur: Factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. Unde habes concordantiam in Exodo: Iam advenerat dies tertia, et mane inclaruerat, ut supra. Dies primus est peccati cognitio; secundus, ipsius abominatio; tertius, pro ipso cordis contritio, qua adveniente et mane gratiae inclarescente, tunc audiri incipiunt tonitrua gemituum, suspiriorum et accusationum, et micare fulgura confessionum, et nubes densissima, idest obscuritas

poenitentiae, operire montem, idest poenitentem, de valle faecis et miseriae, tamquam montem, elevatum; clangorque bucinae, idest bonae vitae et famae, vehementius perstrepebat, 'ut ubi superabundavit delictum superabundet etiam et gratia'. Et sic timet omnis populus daemonum, qui sunt in castris, quia semper parati ad impugnandum; sed, cum haec viderint, non audent procedere ad bellum. Unde in Iob: Nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem. Cum enim maligni spiritus vident quod sonus advenientis spiritus vehementis replet totam domum, idest mentem poenitentis, in qua 'sedens, idest se humilians', 'recogitat annos suos in amaritudine animae suae', non audent ultra progredi, nec ei suggestionis verbum loqui. Et nota quod vehemens dicitur, idest vae aeternum adimens, vel sursum vehens mentem. Sic cordis contritio vae aeternum adimit et sursum mentem vehit.

11 – Unde dicitur in introitu hodiernae missae: Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. "Orbis a rotunditate circuli dicitur". Terra est obscura, frigida et immunda. Orbis est cor peccatoris, qui in circuitu tamquam rota ambulat, mundum circuit nunc in oriente nunc in occidente, qui est superbia obscurus, avaritia frigidus, luxuria immundus. Sed orbem terrarum Spiritus Domini replet, cum cordi peccatoris gratiam compunctionis infundit, et sic ei vae aeternum adimit. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Et hoc, idest homo, 'animal rationale, quod continet omnia quattuor elementa', ex quibus omnia constant, habet scientiam vocis, quia intelligit quando Spiritus sibi loquitur. Unde beatus BERNARDUS: 'Toties nobis Spiritus Sanctus loquitur, quoties bona cogitamus'. Unde Propheta: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; et sic sursum mentem vehit. Unde dicit PHILOSOPHUS, de descriptione spiritus: 'Spiritus est vehiculum virtutum, per quem virtutes exeunt ad suas peragendas operationes'. Rogemus ergo Dei Filium, ut spiritum contritionis nobis infundat, vae aeternum adimat, ad caelestia mentem vehat. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

IV – De confessione laudis et criminis

12 – Sequitur tertium. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. Nota ista tria: linguae, dispertitae et ignis. In linguis, confessio; in dispertitis, circumstantiarum manifestatio; in igne, confessionis et satisfactionis ardor. Nota quod "lingua est instrumentum sensus gustus, et ille sensus maxime est in extremitate linguae. Illud autem quod est de lingua amplum est minoris sensus. Et lingua sentit omne illud quod est commune omni corpori in sensu, scilicet caliditatem et frigus, duritiem et mollitiem. Et hoc facit per omnes suas partes". Et creatio Iinguae est ad gustandum humiditates et ad sermocinandum. "Et lingua hominis est absoluta valde, mollis et lata, ut utatur in duabus operationibus, gustu scilicet et sermone. Et lingua mollis et lata conveniens est ad bonitatem sermonis, quoniam extenditur et contrahitur et gyratur circumquaque in ore modis diversis, et quando lingua fuerit absoluta et lata potest sermocinari bene. Et hoc manifestum est ex illis qui habent linguas ligatas, quoniam quidam sunt trauli, idest blaesi. Et quidam habent aliam occasionem in lingua. Et hoc accidit nonnisi in quibusdam litteris, quando lingua fuerit stricta et non fuerit lata; quoniam parvum est in magno, magnum autem non est in parvo. Et propter hoc avis latae linguae potest proferre aliquas litteras vel verba, magis avibus strictae linguae". In lingua,

ut dictum est, confessio designatur, in qua debet revelari omne illud quod est commune toti corpori, idest quod communiter committitur in toto corpore, scilicet in caliditate ignitae superbiae, in frigore malitiae et pigritiae, in duritia avaritiae, in mollitie lasciviae et luxuriae. Et sicut creatio linguae est ad gustandum et ad sermocinandum, sic duplex est linguae confessio, scilicet laudis et criminis. In confessione laudis, utpote in officiis et psalmodiis; quae si devote agimus, gratiam compunctionis et dulcedinem contemplationis degustamus. Unde GREGORIUS: "Vox, inquit psalmodiae, cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae mysteria vel compunctionis gratiam infundat. Unde scriptum est: Sacrificium laudis honorificabit me etc. Dum enim per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine pervenitur".

13 – In confessione criminis debemus sermocinari, idest absolute et nude et aperte peccata nostra confiteri. Et hoc ipsa natura docet fieri, quia lingua hominis est absoluta, mollis et lata; sic criminis confessio debet esse absoluta in omnium circumstantiarum manifestatione, mollis in lacrimarum effusione, lata in totius illatae iniuriae remissione et totius male ablati restitutione et firmi propositi non relabendi stabilitate. Talis linguae confessio facit animam extendi usque ad Deum per contemplationem, contrahi se ad seipsam per humilitatem, circumquaque gyrari ad proximum per compassionem. Sed peccatores, miseri, blaesi et fatui, habent linguam strictam et occasionatam, qui quando confitentur, balbutiendo et semiplene confitentur. Bene ergo dicitur: Et apparuerunt illis dispertitae linguae, tamquam ignis. Linguae confessionum debent esse dispertitae, quia peccator debet habere cor et linguam in confessione in multis partibus partitam: cor, ut multipliciter pro multis commissis doleat; linguam, ut divisim omnes circumstantias, prout commisit aperiat. Et de hoc plenius invenies in sermone: Ductus est Iesus in desertum. Et nota quod sicut ignis frigida calefacit, dura mollificat, mollia indurat, alta humiliat et incinerat, quem si quis servare voluerit, sub cinere reservat; sic confessionis et satisfactionis ardor frigidos igne amoris calefacit, dura corda mollificat compunctione, mollia, idest lasciva, indurat sancti propositi firmitate, alta, idest superba, humiliat et incinerat propriae fragilitatis et iniquitatis recordatione; sub tali cinere talis ignis continue potest reservari. Obsecramus ergo vos, fratres carissimi, ut iste ignis sedeat, 'idest requiescat super singulos vestrum', qua vestrae linguae sint dispertitae in confessione peccati et ipsius circumstantia, ut absolute, nude et plenarie confitentes, ad confitendum nomini Domini cum angelis in caelesti Ierusalem pervenire mereamini. Ipso praestante, 'cuius ignis in Sion et cuius caminus in Ierusalem', qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

V – De fructibus gratiae Sancti Spiritus

14 – Sequitur quartum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Spiritu Sancto replentur qui solus animam replet, quam totus mundus replere non potest. "Alterum non recipiunt Spiritum, quia plena non recipiunt augmentum". Unde dictum est beatae Mariae: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Nota quod in medio istorum duorum verborum: gratia plena et benedicta tu in mulieribus, Dominus tecum dicitur, quia ipse Dominus et plenitudinem gratiae servat interius et benedictionem foecunditatis, idest

sanctae operationis, operatur exterius. Recte quoque post gratia plena, dicitur Dominus tecum, quia sicut sine Deo nihil possumus facere vel habere, sic nec sine eo habita custodire. Ideo post gratiam necesse est, ut Dominus sit nobiscum et custodiat quod ipse solus dedit. Cum enim in danda gratia nos praeveniat, adiutores eius sumus in custodiendo eam; nec vigilat super nos, nisi et nos vigilemus cum eo. Unde hanc nostram diligentiam exigere videtur, cum dicit Apostolis: Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Bene ergo dicitur: Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. De quo dicit Dominus in hodierno evangelio: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis. Pater misit Paraclitum in nomine Filii, idest in gloria Filii, idest ad gloriam Filii manifestandam. Ille, inquit, vos "docebit, ut sciatis; suggeret, idest subministrabit, ut velitis"; gratia enim Spiritus Sancti dat scire et velle. Unde cantatur hodie in missa: "Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium", ut scientiam habeant, "et tui amoris ignem in eis accende", ut quod sciverint operari velint. Item cantatur: "Emitte Spiritum tuum et creabuntur, tua scientia, et renovabis faciem terrae", bona voluntate. De his duobus habes concordantiam in Threnis Ieremiae: De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me. Pater de excelso, idest Filio, misit hodierna die ignem, "idest Spiritum Sanctum", in ossibus meis, "idest in apostolis" dicit Ecclesia, et per ipsos erudivit me, ut sciam et velim.

15 – Dicatur ergo: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. De quo habes concordantiam in Genesi: Adduxit Dominus spiritum "sanctum" super terram, et imminutae sunt aquae. Et clausi sunt fontes abyssi et cataractae caeli, et prohibitae sunt pluviae de caelo. Nota ista quattuor: aquae, fontes, cataractae et pluviae. In aquis, divitiae; in fontibus abyssi, cogitationes animi; in cataractis caeli, oculi; in pluviis verborum abundantia designantur. Cum ergo Dominus adducit Spiritum Sanctum super terram, idest peccatoris mentem, tunc aquae divitiarum diminuuntur, quia pauperibus erogantur. De his aquis dicitur in Genesi: Congregationes aquarum appellavit maria. Divitiarum congregatio nihil aliud est quam tribulationis et doloris amaritudo. Unde Habacuc: Vae qui multiplicat non sua! Usquequo aggravat contra se densum lutum? Lutum in domo congregatum foetorem exhalat; dispersum, terram foecundat. Sic divitiae, cum congregantur, et maxime de non suo sed ex alieno, peccati et mortis foetorem generant; si vero pauperibus dispergantur, et propriis dominis restituantur, terram mentis foecundant et fructificare faciunt. 'Abyssus est cor hominis', de quo dicit Ieremias: Pravum est cor hominis et inscrutabile; quis cognoscet illud? Fontes huius abyssi sunt cogitationes, quae tunc clauduntur, cum gratia Spiritus Sancti infunditur. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Paralipomenon, quod Ezechias congregavit plurimam multitudinem; et obturaverunt cunctos fontes et rivum qui fluebat in medio terrae, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum et inveniant aquarum abundantiam. Ezechias est vir iustus, qui debet congregare plurimam multitudinem bonarum cogitationum et obturare fontes iniquarum et perversarum cogitationum et rivum concupiscentiarum, ne daemones, aquarum abundantia inventa, per ipsam destruant animae civitatem. Cataractae caeli sunt fenestrae. 'Fenestrae dictae, quod lucem ferant vel quia per eas foras videmus. Phos enim graece, lux dicitur latine'. 'In capite, quasi in firmamento posita, sunt duo luminaria, idest duo oculi', tamquam duae fenestrae per quas videmus; quae tunc clauduntur a mundi vanitate, cum menti infunditur lumen gratiae. "Pluviae dictae, quasi fluviae", sunt verba, quae sine

obice vel obstaculo largiter undique fluunt. Unde Salomon in Parabolis: Qui dimittit aquam caput est iurgiorum. Et ideo consulit Ecclesiasticus: Ne des aquae tuae exitum, nec modicum. Hae pluviae tunc prohibentur, cum, Sancti Spiritus gratia, lingua in sui Creatoris laude et in sui criminis confessione formatur. Bene ergo dicitur: Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.

16 – Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Qui Spiritu Sancto repletur variis linguis loquitur. Variae linguae sunt varia de Christo testimonia, utpote humilitas, paupertas, patientia et obedientia, quibus tunc loquimur, cum eas in nobis ipsis aliis ostendimus. Viva loquela, cum loquuntur opera. Cessent, obsecro, verba, loquantur opera. Verbis sumus pleni, sed operibus vacui, et ideo a Domino maledicti, quia ipse 'maledixit ficulneae, in qua non invenit fructum sed folia tantum'. 'Lex, inquit GREGORIUS, praedicatori posita est, ut ea quae praedicat operetur. Frustra iactat legis notitiam, qui operibus destruit doctrinam'. Sed apostoli loquebantur prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Beatus qui loquitur prout dat Spiritus Sanctus, non prout suus animus. Sunt enim quidam, qui ex suo spiritu loquuntur, verba aliorum furantur et ea ut sua proponunt et sibi attribuunt. De talibus et his similibus dicit Dominus in Ieremia: Ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt: Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis; cum ego non misissem eos, nec mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. Loquamur ergo prout Spiritus Sanctus dederit eloqui nobis, ipsum humiliter et devote postulantes, quatenus gratiam suam infundat, ut diem Pentecosten in quinque sensuum perfectione et decalogi observatione compleamus, et spiritu vehementi contritionis repleamur, et linguis igneis confessionis accendamur, ut accensi et illuminati in splendoribus sanctorum Deum trinum et unum videre mereamur. Ipso praestante, qui est trinus et unus Deus, benedictus in saecula saeculorum. Dicat omnis spiritus: Amen. Alleluia.

PROLOGUS

Confisi de gratia Verbi Incarnati, quod 'dat os et sapientiam' et linguas infantium facit disertas, 'cuius manus, ut dicit Ezechiel, est sub pennis animalium', opus, quod, in ipso omnium creaturarum principio, agressi sumus, ipso duce, ipso via, ad ipsius honorem et fidelium utilitatem, proponimus consummare. In principio operis proposuimus cum evangeliis dominicalibus per anni circulum historias Veteris ac Novi Testamenti, prout in Ecclesia leguntur, et epistolas dominicales cum introitu missae dominicalis, etsi non plenarie saltem semiplene, concordare. Unde notandum quod ab hac dominica prima post Pentecosten usque ad primam dominicam augusti legitur in Ecclesia liber Regum, qui in quattuor libris dividitur, et in isto tempore sunt octo dominicae. Volumus ergo quattuor cum octo sic concordare, scilicet unius libri aliquas historias, prout melius viderimus, cum duobus evangeliis, et sic de ceteris, adaptando.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica post Pentecosten: Homo quidam erat dives, quod dividitur in quattuor clausulis. In primis sermo ad praelatum vel praedicatorem Ecclesiae, qui in funda et lapide, idest opere et sermone, debet devincere diabolum, unde ibi: Tulit baculum. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo contra divites huius mundi, ibi: Erat vir quispiam in solitudine Maon. Item sermo contra delectationem quinque sensuum, ibi: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem. Item sermo contra gulosos, ibi: Veniebat sacerdotis puer. Item sermo de caritate, ibi: Deus caritas est. Item sermo moralis de divite, idest corpore, et Lazaro, idest anima peccatrice, ibi: Homo quidam. Item sermo de piscina et eius quinque porticibus et eorum significationibus, ibi: Erat Ierosolymis probatica piscina. Item sermo ad praedicatores, ibi: Sed canes veniebant. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Sermo de divite et paupere, ibi: Erant duae feminae, Phenenna scilicet et Anna. Item sermo de damnatione divitis et gloria pauperis, ibi: Dagon iacebat in terra, et ibi: In nidulo meo moriar. Item sermo de sepultura impii, ibi: Haec dicit Dominus ad Ioachim, et ibi: Cum morietur homo. [DE TERTIA CLAUSULA]. Sermo contra detractores, ibi: Noli esse in conviviis populi, et de triplici gladio detractionis. Item notandum quod in mortali existenti bona de genere bonorum quae facit ad quinque prosunt. Item sermo contra illos qui divitiis et deliciis vivunt, quibus cito carebunt, ibi: Tulit David hastam et scyphum aquae. [DE QUARTA CLAUSULA]. Sermo de domo Patris et quinque fratribus divitis et de eorum significationibus, ibi: Rogo te, pater. Item sermo de servitute quinque sensuum, ibi: Festinavit et surrexit Abigail.

Exordium. Sermo ad praelatum vel praedicatorem Ecclesiae

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide etc. Dicitur in primo libro Regum quod David tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philisthaeum. Nota ista quattuor verba: baculum, quinque lapides, peram et fundam. “In baculo crux Christi”, ‘in quinque lapidibus scientia Veteris Testamenti, in pera gratia Novi’, in funda aequa libra iudicii. David ergo, idest praedicator, debet accipere baculum, idest Christi crucem, ut, ipsi innixus, facilius possit sustinere viae laborem. De hoc baculo dicitur in Genesi: In baculo meo transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior. Vir iustus in baculo crucis Iesu Christi transit fluxibilem amorem huius saeculi, et sic cum duabus turmis, idest vitae activae et contemplativae praemiis, revertitur in terram promissionis. Hunc baculum semper praedicator debet habere in manibus, idest operibus. Unde Habacuc: Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius. Splendor sanctae vitae et praedicationis est lux peccatoris: Vos estis, inquit, lux mundi. In ipsius praedicatoris manibus debent esse cornua crucis, ut, in ipsis manibus affixus, ad nulla illicita ipsas extendat. Et elegit quinque limpidissimos lapides de torrente et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum. ‘Pera vas est, in quo lac reponitur, et significat Novum Testamentum, in quo gratia, lacti comparabilis, invenitur’. Lacte enim nihil gratius, quoniam mater lac

gratis praebet filio, nihil requirens ab eo. ‘Quinque lapides sunt quinque libri Moysi’, per quos scientiam totius Veteris Testamenti intelligimus, quos praedicator in adiutorium suae praedicationis de torrente, idest abundantia Sacrae Scripturae, debet tollere et in peram evangelii reponere. In Novo enim Testamento Veteris intelligentia reponitur, quia rota est in medio rotae. Vel, per quinque lapides quinque sensuum durae increpationes designantur, quibus carnis sensibus dediti durissime sunt feriendi. Nam Veteris Testamenti transgressores, lapidibus obruti, figurabant Novi Testamenti peccatores, duris increpationibus feriendos. Et fundam, inquit, manu tulit et processit adversus Philisthaeum. In funda, quae aequales habet habenas, doctrinae et vitae aequalitas designatur. Hanc fundam praedicator manu debet tollere, ut manus ori, conversatio praedicationi aequaliter respondeat; et sic adversus Philisthaeum poterit procedere et ipsum interficere. “Philisthaeus interpretatur potione cadens” et significat huius mundi divitem purpuratum, potione gulae et luxuriae inebriatum, qui a gratia cadit in culpam et a culpa postmodum ruiturus in gehennam, de quo dicitur in hodierno evangelio: Homo quidam erat dives etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio quattuor notantur. Primum, divitis purpurati et Lazari mendici inaequalis conversatio, cum praemittitur: Homo quidam. Secundum, utriusque defunctio, cum adiungitur: Factum est autem, ut moreretur mendicus etc. Tertium, divitis poena et Lazari gloria, ibi: Elevans autem oculos suos etc. Quartum, divitis pro quinque suis fratribus deprecatio, ibi: Rogo ergo te, pater, etc. His quattuor clausulis quasdam historias primi libri Regum, prout Dominus dederit, concordabimus. Nota etiam quod in introitu istius dominicae cantatur: Domine, in tua misericordia speravi; et legitur epistola beati Ioannis: Deus caritas est, quam in quattuor particulis volumus dividere et cum quattuor supradictis evangelii clausulis concordare. Prima particula: Deus caritas est. Secunda: In hoc perfecta est caritas. Tertia: Timor non est in caritate. Quarta: Nos ergo diligamus Deum.

I – De divitis purpurati et Lazari mendici inaequali conversatione

3 – Dicamus ergo: Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide etc. Iste dives, “quasi ignotus apud Deum, nomine non designatur”. Dignum utique fuit, ut eius nomen non scriberetur in hoc sancto evangelio, quod numquam erat scribendum in vitae aeternae libro. ‘Ad cuius exprobrationem praemittitur: Homo quidam. De eo enim quem exprobramus vel nescimus solemus dicere: Homo quidam’. Iste homo quidam omnis hominis mundani, ‘carnalis et venundati sub peccato’, personam gerit, de quo dicitur in Psalmo: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in vanitate sua. Nota ista tria: non posuit, speravit et praevaluit. His tribus illa tria evangelii verba respondent: Homo quidam erat dives, et ideo non posuit Deum adiutorem suum. Et induebatur purpura et bysso, quia speravit in multitudine divitiarum suarum. Et epulabatur quotidie splendide, et sic praevaluit in vanitate sua. Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum: Ecce vir quispiam in solitudine Maon, et possessio eius in Carmelo; et homo ille magnus nimis. Et ecce erat ei convivium in domo eius quasi convivium regis, et cor eius iucundum: erat enim ebrius nimis. Nomen autem viri illius erat Nabal. “Nabal, stultus”; “Maon, habitatio”; “Carmelus mollis interpretatur”. Huius auctoritatis tria verba tribus

sancti evangelii verbis respondent. In evangelio dicitur: Homo quidam erat dives; in primo libro Regum: Erat vir quispiam. Ibi dicitur: Et induebatur purpura et bysso; hic: Et homo ille magnus nimis. Ibi: Et epulabatur quotidie splendide; hic: Et ecce erat ei convivium etc.

4 – Dives huius mundi est stultus, 'quia non sapit ea quae sunt Dei'; hic est in solitudine Maon, idest habitationis, de qua dicitur: Fiat habitatio eorum deserta; et possessio eius in Carmelo, idest in mollitie. Unde Amos propheta: Vae vobis qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris. Et homo ille magnus nimis. Unde David: Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et Iob: Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini eius statim. Et ecce erat ei convivium in domo eius, quasi convivium regis etc. Unde Amos: Vae vobis qui opulenti estis in Sion, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti. Et Isaias: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis! Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. In his quinque instrumentis quinque sensuum delectatio figuratur. Cithara, 'quae in se chordas mortui animalis habet extensas', est visus, qui rei, quam ardenter aspicit, quasi se extendit. "Lyra, dicta a varietate vocum, quod diversos sonos efficiat", est auditus, qui varietate vocum delectatur. Tympanum, quod manibus percussum resonat, est tactus. Tibia est olfactus narium, per quas tamquam per tibiam flatum emittimus. Vinum ad gustum refertur. Istis quinque sensibus dediti opus Domini, quod 'operatus est in medio terrae', scilicet passionem et mortem ipsius, non respiciunt; nec opera manuum eius, idest pauperes eius, quos ipse, tamquam figulus lutum, in rota praedicationis suis manibus formavit et in camino paupertatis excoxit, nolunt respicere.

5 – Dicamus ergo: Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Nota quod in purpura saecularis dignitas, in bysso vestium pretiositas, in epulis gulae voluptas designatur. "Purpura color regii habitus est, conchis marinis ferro circumcisis emissa". "Conchae dictae, quia deficiente luna cavantur, idest vacuantur", pauperes significant, qui luna, idest mundi prosperitate, deficiente, bonis suis evacuantur. Istos homo quidam dives, saecularis potestas, ferro potentiae circumcidit et sanguinem pecuniae extrahit, et inde sibi dignitatis purpuram facit. Unde de talibus dicit Iob: Agrum non suum demetunt, et vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. 'Tali purpura illa meretrix, ut dicitur in Apocalypsi, erat circumdata'. Homo quidam et meretrix idem significant: homo, 'quia humum sapit', meretrix, quia diabolo se exponit. "Byssus est genus lini candidi et mollissimi", in quo vestium mollities designatur. Et qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt, idest daemonum. In vestitu, inquit Ecclesiasticus, ne glorieris; et Petrus: Non sit, inquit, exterius capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus cordis est homo incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Et epulabatur quotidie splendide. Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, quod veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in caldariam aut in ollam; et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Veniebat etiam puer sacerdotis et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam

sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Sacerdos est venter. Puer huius sacerdotis, gulae appetitus, de quo dicit Salomon in Parabolis: Puer qui relinquitur voluntati suae confundet matrem suam. Si enim gulae appetitus non refrenatur, sed propriae voluntati relinquitur, matrem suam confundit, idest carnem, quae aliquando propter cibi immoderantiam aegritudinem incurrit, et quandoque ad laqueum ipsam perducit. Iste puer habet fuscinulam tridentem, idest trium dentium, in qua notatur triplex gulae rapina: aut enim aliena devorando comedit, aut sua prodige vivendo consumit, aut in cibis concessis tempus et modum non custodit. His tribus dentibus omne quod fuscinula levat sacerdos venter sibi vindicat, qui non carnem coctam sed crudam, ut lupus, sibi dari desiderat, ut eam accuratius praeparet. Bene ergo dicitur: Et epulabatur quotidie splendide.

6 – Et erat quidam mendicus nomine Lazarus etc. Oppone singula singulis; oppone aurum plumbo, ut plumbi vilitas ex auri splendore vilior habeatur. Ille quidam homo, iste nomine Lazarus. Ille dives, iste mendicus. Ille induebatur purpura et bysso, iste ulceribus plenus. Ille epulabatur quotidie splendide, iste cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius. “Hos nec ipse poterat removere a se, nec visitator erat qui removeret”. O divina dispensatio! O mendici beatitudo! O infelicis divitis damnatio! “Nihil, inquit HIERONYMUS, infelicius felicitate peccantium. AUGUSTINUS: ‘Non est evidentius signum aeternae damnationis, quam cum temporalia ad nutum succedunt’. Sanctis autem Deus subtrahit temporalia, ne amittant aeterna. Unde GREGORIUS: ‘Pueris nummos subtrahimus, quibus tamen totam hereditatem servamus’. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus. “Pauper humilis per approbationem ex nomine scitur”. Iste Lazarus, “qui interpretatur adiutus”, omnium pauperum Iesu Christi personam gerit, quos ipse in necessitatibus adiuvat et sublevat. Unde ista duo verba, mendicus et Lazarus, congrue coniunguntur. “Mendicus dicitur, quia minus habet unde vitam degat, sive manu dicens, quia mos erat apud antiquos egentium os claudere et manum extendere, quasi manu dicere”. Ille pauper a Domino est adiutus, quia verbis impatientiae os claudit et manum devotae mentis extendit. Qui iacebat, inquit, ad ianuam divitis. Ecce arca Domini iacet coram Dagon. Sed attende paulisper et audies, versa vice, Dagon eiectionem et arcae erectionem. Pauper ianuam divitis non intravit, nec dives foris ipsi beneficium refectionis impendit. Non autem talis erat Iob, qui dicit: Foris non mansit peregrinus, et ostium meum viatori patuit. Et iterum: Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Ulceribus plenus. “Ulcus, quod nascitur in cute, putredo ipsa”. Ulceribus plenus erat, qui paulo post per manus angelorum in sinum Abrahae erat deportandus. Cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat. Mica dicta, quod in minimum cadens de pane. Verus pauper minimo est contentus, minimum cupit; quod minimum, cum Dei magno adiunctum, ipsum satiat et reficit. Sed qui panis micam noluit dare, aquae guttam non meruit accipere. Sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius. Ibi dicit GLOSSA: “Si qua reprehensibilia in pauperibus videmus, non debemus despicere, quia fortasse quos morum infirmitas vulmerat, hos medicina paupertatis curat”. “In una re duo iudicia Dei explentur, et ex visione pauperis diviti non miserenti cumulus damnationis infertur. Et rursum ex visione divitis quotidie tentatur pauper et probatur, quem ad maiorem ipsius probationem paupertas simul et aegritudo et visa divitis copia et nulla sibi adhibita consolatio

afficiunt". Unde iste, ab omni humano auxilio destitutus et de solius Dei misericordia confisus, dicit in introitu hodiernae missae: Domine, in tua misericordia speravi. Exultavit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi. Nota quod tria dixit: speravi, et exultavit cor meum, et cantabo Domino. Verus pauper sperat in Dei misericordia, exultat cor eius in mundi miseria, et sic cantabit Domino in gloria aeterna.

7 – Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Deus caritas est. Cum ceteris virtutibus caritas sit principalior, ideo de ea brevi et speciali sermone aliqua proponamus. "Eadem sane dilectio est, qua diligitur Deus et proximus, quae est Spiritus Sanctus, quia Deus caritas est". "Haec regula, ut ait AUGUSTINUS, dilectionis divinitus constituta est, ut Deum propter se et toto corde, et proximum sicut teipsum diligas, idest ad quod et propter quod teipsum diligere debes. In bono enim et propter Deum teipsum diligere debes. In bono ergo diligendus est proximus, non in malo, et propter Deum. Proximum vero omnem hominem oportet intelligi, quia nemo est cum quo sit male operandum". "Dilectionis Dei modus insinuatur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, idest ex toto intellectu, ex tota anima, idest voluntate, ex tota mente, idest memoria, ut omnes cogitationes, omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea quae confers. Haec dicens nullam partem vitae nostrae relinquit, quae vacare debeat; sed quidquid venerit in animum, illuc rapiatur, quo dilectionis impetus currit". Beatus Ioannes in hodierna epistola de caritate Dei et proximi multa proposuit, et ad ipsam nos invitavit: In hoc, inquit, apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Deus Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum. Quanta fuit Patris circa nos caritas, qui Filium suum unigenitum pro nobis misit ad nos, ut viventes per eum diligeremus eum, sine quo vivere est mori, quia qui non diligit, manet in morte. Si sic Deus dilexit nos, ut sibi dilectum, per quem omnia fecit, nobis daret, et nos debemus invicem diligere. Mandatum, inquit, novum do vobis, ut diligatis invicem. Quod mandatum dives purpuratus quia non custodivit, ideo in morte mansit. Vivens enim sepultus fuit, quia vitam, quae est caritas, non dilexit; peccavit, quia ordine praepostero usus fuit. Dicit AUGUSTINUS: "Quattuor sunt diligenda: unum quod supra nos est, scilicet Deus; alterum quod nos sumus; tertium quod iuxta nos est, scilicet proximus; quartum quod infra nos est, scilicet corpus". Quod dives primo et principaliter dilexit: de Deo, sua anima et proximo non curavit, ideo damnatus fuit. "Corpus nostrum, inquit beatus BERNARDUS, sicut aegrum commendatum habere debemus, cui etiam multa volenti inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda. Sic de eo agere debemus sicut de non nostro, sed eius a quo 'pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro'. Caveamus ne cuique nostrum improperet Dominus per Ezechielem: Oblita es mei, et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas". Quarto ergo et ultimo loco debemus diligere corpus, "non tamquam propter illud vivamus, sed tamquam sine quo vivere non possumus". De cuius miserabili vita ad se vitam qui vivit in aeternum nos perducere dignetur. Qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

8 – MORALITER. Homo quidam erat dives etc. Per hominem corpus, per Lazarum animam intelligimus. "Homo, dictus ab humo", est corpus de humo creatum, de quo dicit Ieremias: Maledictus homo qui confidit in homine, idest in corpore suo. Maledictus qui in maledicto confidit. Corpus nostrum est maledictum. Unde in Genesi: Maledicta terra,

“idest corpus”, in opere tuo, idest propter opus tuum, “idest propter peccatum” inobedientiae. Et, qua maledictione maledictum? Spinas, inquit, et tribulos germinabit tibi. In spinis fames, sitis et moriendi necessitas, in tribulis carnis tentatio, animam tribulans, designatur. Ecce maledicta terra quales fructus nobis germinat. De hoc maledicto dicit Moyses in Deuteronomio: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Lignum aridum est huius mundi gloria, in qua homo iste fune terreni amoris pendet suspensus, et ideo maledictus. Bene ergo dicitur: Homo quidam erat dives. Heu! quantis divitiis homo iste affluit et affluere appetit, cui totus mundus non sufficit. Unius hominis corpusculo tot possessiones tot divitiae non sufficiunt. Iste miser homo in egressu ab utero matris non purpura et bysso, sed secundina, viscosa et horribili, exivit indutus, et in fine suae vitae ingreditur terram nudus et vacuus. Et hoc clarius possumus videre per ipsius corporis augmentum, statum et declinationem. Nota quod, “cum completur homo erit pars superior sui corporis minor inferiori. Et dico partem superiorem, quae est a capite usque ad exitus superfluitatum; et deinde usque ad extrema pedum dico partem inferiorem. Cum ergo fuerit homo puer, erit pars superior sui corporis maior, et cum decrepescit, erit e converso. Et haec causa diversitatis motus eius, cum fuerit in augmento, statu, declinatione. Quoniam infans in principio sui motus extra ambulat super pedes et manus, deinde erigit suum corpus paulatim donec iuvenescat et vigorescat; et cum processerit in aetatem incurvabitur”. Istud miserum corpus in principio suae vitae est minimum, in senectute incurvatum, in medio vero, scilicet in iuventute, divitiis dilatatur, vestibus decoratur, epulis, tamquam porcus glandibus, impinguatur. Bene ergo dicitur: Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.

9 – Sequitur: Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Lazarus mendicus est anima misera, pauper et mendica, quae iacet ad ianuam divitis, ulceribus plena. Ianua divitis sunt quinque corporis sensus, in quibus anima mendica iacet, ulceribus peccatorum plena. Unde dicitur in Ioanne: Erat Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. Piscina dicta, quod sit piscibus plena, est corpus plenum piscibus, idest vanis et curiosis cogitationibus. Haec piscina habet quinque porticus, idest quinque sensus. ‘Porticus dictus, quod sit apertus’; quinque enim corporis sensus vitiis sunt aperti. Unde Ieremias: Mors intravit per fenestras nostras. Et Nahum: Inimicis tuis ad apertionem pandentur portae terrae tuae; devorabit ignis vectes tuos. Cum ignis concupiscentiae carnalis devorat vectes, idest gratuita et naturalia dona, quibus anima munita custoditur, tunc portae terrae nostrae, idest quinque sensus corporis nostri, inimicis nostris, idest vitiis et daemoniis, aperiuntur. In his quinque porticibus anima iacet languida, caeca, clauda et arida. Languida, quia virtutum viribus destituta; caeca, quia lumine rationis privata; clauda utroque pede, scilicet affectu bonae voluntatis et effectu boni operis; arida, humore compunctionis. Haec sunt ulcera quibus ad ianuam divitis plena iacet, cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis. Mensa huius mundi prosperitatem significat, cuius quattuor sunt pedes: divitiae, honores, voluptates et corporis sanitas. De hac dicit Apostolus ad Corinthios: Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum. Mensa Domini fuit paupertas, cui ipse cum suis apostolis participavit; mensa daemoniorum est prosperitas saecularium, de qua Propheta: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum. Prosperitas fit carnalibus in laqueum peccati, in retributionem Dei, qui retribuet eis mala

inferni pro bonis saeculi, et in scandalum proximi. Micae de hac mensa cadentes sunt immundae cogitationes, variae sollicitudines, diversae occupationes, de animi ulcere tamquam vermes scaturientes. His infelix anima cupit saturari, sed non potest. Unde Ieremias in Threnis: Dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam. Pretiosa quaeque sunt virtutes, quas carnales vendunt pro cibo, idest carnis delectatione, quae non satiat, sed aliquantulum videtur animam refocillare.

10 – Huic mendico Lazaro, ulceribus pleno, unum remanet solatium, lingua scilicet canum. Unde subditur: Sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius. 'Canes, 'a canore latratus sic dicti', praedicatores significant', de quibus in Psalmo: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, 'idest a Domino: qui fuerunt inimici tui facti sunt amici tui', sicut contigit quando de Saulo factus est Paulus. Et nota quod 'sicut lingua canis est medicinalis, sic lingua praedicatoris, qui est medicus animarum'. Unde Ieremias: Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est tibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiae populi mei? 'Galaad, "qui interpretatur acervus testimonii", est sancta Ecclesia, in qua coacervata sunt testimonia Scripturarum', 'in qua est resina poenitentiae, et medicus, idest praedicator, ipsam conficiens'. Quare ergo plaga animae peccatricis non est sanata et cicatrix obducta? Veniebant ergo canes et lingebant ulcera eius. Et nota quod in hoc verbo lingebant duo notantur: aviditas et lenitas, unde dicitur lingo, idest leniter ago. Praedicator enim debet cum aviditate, lingua praedicationis, ulcera peccatorum curare et cum lenitate lingere, ut 'mel et lac sit sub lingua sua', idest dulcis et lenis doctrina. Unde Apostolus: Si quis praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite eum in spiritu lenitatis. Rogemus ergo Dominum Iesum Christum, ut hominem istum divitem, corpus scilicet miserum, pauperem voluntarium faciat, cinere et cilicio induat, panem artum et aquam brevem ei tribuat, ulcera animae lingua doctrinae sanet et in sinu Abrahae collocet. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De Epulonis et Lazari defunctione

11 – Sequitur secundum. Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Impletum est autem quod dixerat Anna in primo libro Regum: Arcus fortium superatus est et infirmi accincti sunt robore, et cetera usque ad solium gloriae teneat. Super hunc locum evangelii habes concordantiam in principio primi libri Regum, quod erant duae feminae, Phenenna scilicet et Anna. Fueruntque Phenennae filii; Annae autem non erant liberi. Affligebat quoque eam aemula eius, idest Phenenna, et vehementer arguebat, in tantum, ut exprobraret, quod conclusisset Dominus vulvam eius, et sic provocabat eam. Porro Anna flebat et non capiebat cibum. Phenenna, "quae interpretatur conversio", divitem purpuratum significat, cuius conversio non ad Deum sed ad mundum, non ad caelum sed ad infernum fuit. Anna, "quae interpretatur gratia", Lazarum mendicum significat, qui, praeventus Dei gratia, meruit transire in gloriam, cui gratiam et gloriam dedit Dominus. Phenennae fuerunt filii. Filius dicitur a philos, quod est amor. Dives enim tot habuit filios quot ex carnis amore et mundi vanitate generavit opera. Unde dicitur in libro Iudicum quod 'Ierobaal filius Ioas habuit septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius, eo quod plures uxores habuit'. Nota quod Phenenna septem habuit filios, ut dicitur in

HISTORIIS, et Ierobaal septuaginta, qui numerus idem significat quod septem, ‘in quo numero universitas vitiorum designatur’. “Ierobaal, superior”; “Ioas temporalis interpretatur”. Dives in hoc mundo Lazaro mendico superior fuit. Filius, temporalis successus, qui ex superbia, gula, avaritia et vanagloria, quasi ex uxoribus, universitatem vitiorum generavit. Annae vero non erant liberi, quia sterilis; quia Lazaro mendico, viro iusto, non sunt malorum operum filii, et est sterilis, idest sine illo fructu, de quo dicitur: A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt. In frumento divitiarum opulentia, in vino carnis laetitia, in oleo gulae lautitia designatur. His tribus multiplicatus fuit ille dives, de quo dicitur: Homo quidam erat dives, ecce frumentum; et induebatur purpura et bysso, ecce vinum; et epulabatur quotidie splendide, ecce oleum. Ille, sic multiplicatus, in inferno est sepultus. Ego vero, inquit pauper, in pace in idipsum dormiam et requiescam, in sinu Abrahae. Et nota quod Phenenna quattuor mala faciebat Annae: affligebat, arguebat, exprobrabat et provocabat eam. Sic dives quattuor faciebat mendico Lazaro. Affligebat eum, quia beneficium, quod ei dare debebat, subtrahebat. Unde Isaias loquitur his, qui res pauperum non dant pauperibus: Rapina pauperum in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? dicit Dominus. Et arguebat eum. ‘Arguere est convincere vel ostendere’. Nullo modo plumbum ita bene convincitur vel ostenditur esse vile, sicut ex oppositione auri; sic paupertas ex opposito divitiarum. Divitis ergo abundantia arguebat mendici inopiam. Et exprobrabat. Lazaro ulceribus pleno dives exprobrabat, cum ante eum, prae suis foribus iacentem, purpuratus incedebat; et sic ipsum ad maiorem Dei amorem provocabat. Unde sequitur: Porro Anna flebat et non capiebat cibum. Lazarus flebat pro huius exilii miseria et pro dilatione gloriae, et non capiebat cibum, quia cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat. Et, usquequo, Domine Deus, ille prosperabitur et iste affligetur? Quare, inquit Ieremias, via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui praevaricantur et inique agunt? Et Habacuc: Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio iustiorem se? Dic, Domine Iesu, usquequo fiet istud?

12 – Factum est, inquit, cum moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Ecce: Arcus fortium superatus est, usque solium gloriae teneat. Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod Dagon iacebat in terra coram arca Domini; caput autem Dagon et duae palmae manuum eius abscissae erant super limen: porro Dagon truncus solus remanserat in loco suo. Arca Domini est Lazarus mendicus, in quo, sicut in arca Domini, fuerunt tria: manna, tabulae et virga. Fuerunt in eo manna patientiae, tabulae dilectionis geminae, virga disciplinae. Haec arca requievit in sinu Abrahae, coram qua Dagon prostratus iacuit. “Dagon interpretatur piscis tristitiae”. Hic est dives purpuratus, qui fuit piscis perambulans semitas maris, in hoc mundo tristitiae et in inferno. Cuius caput et duae palmae manuum abscissae erant super limen. In capite temporalis excellentia, in duabus palmis manuum potentia et abundantia, in limine egressus vitae et ingressus mortis designatur. Cum ergo cecidit Dagon, idest mortuus est dives, caput honoris eius et excellentiae, duae palmae potentiae et abundantiae, abscissae ab eo, remanserunt in limine, idest egressu vitae, et sic ipse, tamquam truncus, solus, nudus et vacuus, sepultus est in loco suo, idest in inferno. Bene ergo dicitur: Mortuus est et dives, et sepultus est in inferno. Ecce quanta Dei iustitia! Mendicus iacebat ad ianuam divitis ulceribus plenus; modo iacet dives, quasi truncus, solus. Unde Salomon in Parabolis: Iacebunt mali ante

bonos, et iniqui ante portas iustorum. Mortuus est Lazarus in nidulo paupertatis, de quo Iob: In nidulo meo, inquit, moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Qui in nidulo paupertatis moritur, in domo aeternitatis et aeternae viriditatis sicut palma plantatur. Iustus, inquit, ut palma florebit.

13 – Dives autem sepultus est in inferno. De hac sepultura dicit Ieremias: Haec dicit Dominus ad Ioachim, filium Iosiae, regem Iuda: Non plangent eum: Vae, frater! et: Vae, soror! Non concrepabunt ei: Vae, domine! et: Vae, inclyte! Sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem. Nota quod sepultura asini talis est: dominus eius pellem retinet, carnes canes devorant. Per ossa, quae diu durant, anima significatur; pellem, 'idest exteriora bona', filii retinent; carnes vermes devorant; animam daemones rapiunt. Unde Ecclesiasticus: 'Cum morietur homo, hereditabunt eum bestiae, serpentes et vermes'. Bestiae, idest bestiales filii; "serpentes, idest daemones" et vermes. Talem sepulturam habuit dives purpuratus, qui in inferno fuit sepultus. Huic secundae clausulae concordat secunda particula hodiernae epistolae: In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii; quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Ibi dicit GLOSSA: "Per hoc ostendimur perfecte diligere Deum, si non timemus adventum iudicis, non timentes apparere iudici". Lazarus mendicus, quia perfecte diligebat Deum, ideo non timebat adventum iudicis, quem se non iudicaturum, sed remuneraturum expectabat. Dives vero purpuratus, in quo nulla fuit caritas, ideo non habuit fiduciam in die iudicii, quia hic noluit misereri pauperi. Sed viri iusti per hoc habent fiduciam, quia imitantur perfectionem dilectionis eius, in mundo amando etiam inimicos; sicut ille pluit super iustos et iniustos, consistens in caelo. Rogamus ergo, Domine Iesu, nos mendici et pauperes tui, ut in paupertatis nidulo cum Lazaro mendico facias nos mori, et ab angelis in sinum Abrahae deportari. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De divitis poena et Lazari gloria

14 – Sequitur tertium. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans ait: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dives oculos suos elevavit, sed frustra, quia hic 'oculos suos statuerat declinare in terram'. Unde Isaias: Aspiciens in terram, et ecce tenebrae tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine eius. Quia dives in amore terrenorum aspexit, ideo tenebrae tribulationis operuerunt eum, et lux, idest prosperitas ipsius, obtenebrata est in caligine eius, idest inferni. Vidit, inquit, Lazarum in sinu Abrahae. Quanta autem sit afflictio malorum videntium gaudium bonorum, ostenditur in libro Sapientiae: Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, gementes prae angustia spiritus, dicentes intra se, poenitentiam agentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisu et in similitudine improperii. Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore; quomodo ergo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham etc. 'Guttam aquae petiit qui micam dare noluit'. 'De extremo Lazari digito aquam in ore suo cupit distillare, qui micas panis, de mensa cadentes, eidem dare noluit'. Nominat digitum, non quod Lazarus digitum habuerit, sed per hoc ostenditur quod dives etiam

minimum suffragium, sicut esset digiti intinctio, magnum beneficium reputaret, si consequi posset quod petivit. Unde subdit: Ut refrigeret linguam meam. Linguam non habuit, sed pro peccato linguae poenam sustinuit, "quia, sicut mos est etiam inter convivantes, loquacitati studuit. Torquebatur ante iudicium, quia luxurioso deliciis carere poena est". Nota quod non tantum in gulae vitio, sed etiam in lingua peccavit, cum in convivio loquacitati studuit. Contra quod dicit Salomon in Parabolis: Noli esse in conviviis potatorum, et in commessationibus eorum, qui carnes conferunt ad vescendum. Per proximi scilicet detractionem non solum carnes, sed etiam stercora comedunt, quia non tantum bonis detrahunt operibus, sed etiam in mendaciis; et ideo tales carnes non tantum ferinas, sed, quod abominabile est, humanas comedunt, cum etiam opera fratrum laudabilia dente detractionis rodunt. Heu! quam multi religiosi hodie carnes non comedunt, sed fratres suos dente detractionis laniant. De talibus dixit SENECA: "Sicut foetent inferius sic et superius". Et beatus BERNARDUS: "Detrahere an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim". Et iterum: 'Gladius triceps est lingua detractoris; nimirum quia tres uno ictu interficit', scilicet detrahentem, audientem et illum cui detrahitur, cum pervenerit ad ipsum ipsa detractio.

15 – Sequitur: Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter vos et nos, chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. "Nota quod iste dives aliquid boni habuit", idest aliqua bona de genere bonorum fecit, licet non in caritate, quae divinae misericordiae abundantia ei in temporalibus compensavit. Et Lazarus similiter mala. Pro malis quae fecit, venialiter peccando, malum adversitatis in recompensatione accepit. Et ideo hic nunc consolatur, tu vero cruciaris. Et nota quod in peccato mortali existenti, bona de genere bonorum, quae facit, ad quinque prosunt. Primo, quia habilior fit ad gratiam suscipiendam; secundo, ad bonum exemplum proximi; tertio, ad suefactionem boni; quarto, ad recompensationem temporalis beneficii, sicut isti diviti; quinto, ad mitiorem poenam inferni, si decesserit in mortali. Sequitur responsio Abrahae super petitionem divitis: Inter nos et vos etc. "Sicut reprobi a poenis ad gloriam sanctorum transire volunt, ita iusti per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis, ut eos liberent. Sed non possunt, quia iustorum animae, etsi in naturae suae bonitate misericordiam habent, iam tunc auctoris sui iustitiae coniunctae tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur". "Inter pauperem et divitem chaos est, ut hi qui volunt etc., quia post mortem nequeunt mutari merita".

16 – Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur, quod 'tulit David hastam et scyphum aquae, quae erat ad caput Saul. Cumque transisset David ex adverso et sederet in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos, clamavit et dixit ad Abner: Vide nunc ubi sit hasta regis et ubi sit scyphus aquae, qui erat ad caput eius'. "David manu fortis", "Saul abutens interpretatur". In hasta divitiae, in scypho aquae voluptas gulae designatur. David Lazarum mendicum, qui in tantae adversitatis angustia fortis fuit; Saul divitem purpuratum, qui bonis a Deo sibi concessis abusus fuit, significat. David tulit Sauli hastam et scyphum aquae, quia Lazarus, eo quod noluit sibi misereri, abstulit Sauli, causative intellige, hastam, idest potentiam divitiarum, et scyphum aquae, idest voluptatem gulae. Et Lazarus transivit de angustia ad quietem et

sedit in vertice montis de longe, idest requievit in sinu Abrahae, qui erat longe a poenis divitis. Et elevans oculos a longe etc. Et clamavit David ad Abner: Vide ubi est hasta regis, et ubi est scyphus aquae, qui erat ad caput eius. O epulo dives, ubi est nunc hasta divitiarum, qua solebas percutere pauperes? Ubi scyphus aquae, ubi voluptas gulae? Modo intinguat linguam tuam, qui in flamma cruciaris. Bene ergo dicitur: Hic consolatur, tu autem cruciaris. Huic tertiae clausulae concordat tertia particula hodiernae epistolae: Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet; qui autem timet non est perfectus in caritate. In caritate Lazari mendici non fuit timor, quem perfecta caritas foras misit, quia, ut ibi dicit GLOSSA, "praesentes tribulationes facit non timeri caritas". Timor vero divitis, qui timuit amittere quod habebat, ipsum ad poenam mortis perduxit. Rogamus, Domine Iesu Christe, ut de siti inextinguibili et de igne ardenti nos liberes et in sinu Abrahae cum beato Lazaro colloces. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

IV – De divitis pro quinque suis fratribus deprecatione

17 – Sequitur quartum. Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. "Serus iste dives magister incipit esse, cum iam non discendi tempus habet nec docendi. Postquam ardenti diviti de se spes tollitur, ad propinquos recurrit", dicens: Rogo te, pater etc. Nota ista tria: domum, patris mei et quinque fratres. Pater divitis fuit diabolus, scilicet imitatione. Cuius domus est mundus, "idest mundani", in qua sunt quinque fratres, idest omnes illi qui sunt dediti quinque sensibus corporis. Dives, quia propter quinque sensus corporis, quos tamquam fratres caros habuit, se damnatum videt, ideo his quinque sensibus deditis quadam misericordia, qui sibi immisericors fuit, praevidere studet. Et nota quod quinque sensus corporis carnales diligunt sicut fratres. Iusti vero habent eos sicut servos. Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod festinavit et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellae ierunt cum ea, pedissequae eius; et secuta est nuntios David, et facta est illi uxor. "Abigail interpretatur patris mei exultatio", 'et significat animam poenitentem, super qua gaudium est in caelo'. Haec super asinum ascendit, idest carnem reprimit; et vadunt cum ea quinque pedissequae eius, idest quinque corporis sensus: visus scilicet intelligentiae, auditus obedientiae, gustus approbationis, odoratus investigationis, tactus operationis. Et sic sequitur nuntios David, idest paupertatem, humilitatem, Passionem Iesu Christi, quae nobis annuntiant de eo qualis in hoc mundo fuerit. Et ita fit ei uxor, anulo fidei formatae subharrata.

18 – Sequitur: Et ait illi Abraham: Habent Moysen et prophetas; audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad illos, poenitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. 'Hic conicitur quod iste dives fuit iudaeus, eo quod fratres sui legi Moysi et prophetis erant subiecti; pro quo forsitan Abraham vocavit eum filium, et ipse eum patrem'. "Qui verba Dei despexerat, haec audire non posse suos sequaces aestimabat". "Qui verba legis despiciunt, Redemptoris praecepta, qui ex mortuis surrexit, quanto subtiliora sunt tanto haec difficilius implebunt. Et cuius dicta implere renuunt ei proculdubio credere recusant". Carnales, carnis sensibus dediti, nec Moysen, idest

Ecclesiae sanctum praelatum, nec prophetas, idest praedicatores, audiunt; et, quod deterius est, Christo a mortuis resurgenti, non credunt. Credidit Saul Samueli, per spiritum pythonicum suscitato, et nos vero Dei Filio, per Deum Patrem vere resurgenti, non credamus? Sic habes concordantiam in primo libro Regum. Dixit Saul ad mulierem pythonissam: Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem dixero tibi. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem suscita mihi. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei rex: Noli timere. Quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: "Virum senem et gloriosum, et amictum pallio sacerdotali. Et intelligens Saul quod Samuel esset, adoravit eum. Et ait anima Samuelis, ut dicit IOSEPHUS: Quare inquietasti me", ut suscitarer? "De hac suscitatione – ut habetur in HISTORIIS – dicitur a quibusdam quod spiritus malignus apparuit in specie Samuelis, vel phantastice imago eius ibi apparuit, quae dicta est Samuel. Tradunt quidam quod, Deo permittente, anima ipsius tantum, consimili corpore induta, apparuit ibi. Alii vero quod corpus tantum suscitatum est spiritu vivifico – idest vegetativo, quem habemus communem cum brutis –, anima in loco suo quiescente". Nos vero quinque sensus corporis non tamquam fratres, sed tamquam servos habeamus; Moysen et prophetas audiamus; Christo, a mortuis resurgenti et ad dextram Patris sedenti, credamus, credentes diligamus.

19 – Unde huic quartae clausulae concordat quarta particula epistolae: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Ibi dicit AUGUSTINUS: "Si eum quem videt humano visu spirituali caritate diligeret, videret Deum, qui est ipsa caritas, visu interiori, quo videri potest. Qui ergo fratrem quem videt non diligit, Deum, qui est dilectio, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere?" Rogemus ergo, fratres carissimi, Deum, qui est caritas, ut det nobis diligere paupertatem mendici Lazari, abhorrere divitias divitis purpurati, a sepultura inferni liberari et in sinu Abrahae collocari. Ipso praestante, cui est honor et gloria, decus et imperium, per aeterna saecula. Dicat omnis verus pauper: Amen. Alleluia.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in dominica secunda post Pentecosten: Homo quidam fecit cenam magnam, quod dividitur in tribus clausulis. In primis sermo de pugna daemonum et iustorum, ibi: Congregantes Philisthiim. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo ad religiosos, ibi: Anna lactavit filium suum. Item sermo de convivio caelestis gloriae, ibi: Faciet Dominus exercituum. Item sermo ad poenitentes, ibi: Vocavit Dominus Deus exercituum. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra sollicitudinem temporalium, ibi: Villam emi, et ibi: Arca foederis Domini. Item sermo contra libidinem dominandi, ibi: Saul, necessitate compulsus, etc. Item sermo de quinque iugis boum et eorum significatione, ibi: Iuga boum emi quinque. Item sermo de vitiorum infestatione et carnis mortificatione, ibi: Ascendit Naas Ammonites. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo contra amatorem mundi,

qui, cum a mundo despectus relinquitur, a Christo assumitur, ibi: Puer aegyptius, servus viri.

Exordium. De pugna daemonum et iustorum

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam fecit cenam magnam, et vocavit multos. Et misit servum suum hora cenae dicere invitatis ut venirent'. Dicitur in primo libro Regum: Congregantes Philisthiim agmina sua in proelium, convenerunt in Socho Iudae, et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommim. Porro Saul et filii Israel congregati convenerunt in valle Terebinthi et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthim. "Philisthiim potione cadentes", 'Socho tabernacula', "Iudas confessio", "Azeca decipula", 'Dommim rubra interpretantur'. "Philisthiim sunt daemones, qui, potione superbiae inebriati, de caelo ceciderunt". Hi, congregantes agmina sua, conveniunt in proelium in Socho Iudae, idest ad proeliandum contra illos qui militant in tabernaculis poenitentiae; et inter Socho et Azeca, quae est in finibus Dommim, castrametantur. Daemones enim ad hoc impugnant viros iustos, ut decipula perversae suggestionis decipiant et, decipientes, in sanguinem peccati perducant. Unde dicitur in tertio libro Regum quod 'canes linxerunt sanguinem Achab'. Canes sunt daemones, qui lingunt sanguinem Achab, "qui interpretatur fraternitas paternitatis", idest illius qui solebat habitare in fraternitate poenitentium, qui unum Deum habent Patrem. Filii vero Israel, idest veri praedicatores, in unitate fidei congregati, debent dirigere aciem mentis et praedicationis ad pugnandum contra daemones. Sed, in quo loco? In valle utique Terebinthi, idest in humilitate crucis, 'ex qua emanavit praestantissima resina"' sanguinis Iesu Christi, qui dicit in hodierno evangelio: Homo quidam fecit cenam magnam etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, cenae magnae praeparatio et per servum ad ipsam invitatio, cum praemittitur: Homo quidam. Secundum, invitatorum excusatio, cum additur: Et coeperunt omnes simul excusare. Tertium, pauperum, debilium, caecorum et claudorum ad cenam introductio, cum subiungitur: Tunc iratus paterfamilias etc. Istis tribus clausulis aliquas historias primi libri Regum concordabimus. In hac dominica in introitu missae cantatur: Factus est Dominus protector meus, et legitur epistola beati Ioannis: Nolite mirari si odit vos mundus, quam volumus dividere in tribus particulis et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima est: Nolite mirari. Secunda: In hoc cognovimus caritatem Dei. Tertia: Qui habuerit substantiam mundi huius.

I – De cenae praeparatione et ad ipsam invitatione

3 – Dicamus ergo: Homo quidam fecit cenam magnam. Nota quod duplex est cena: poenitentiae et gloriae. Sed quia sine prima non pervenitur ad secundam, ideo primam praeparemus, et quae cibaria sint necessaria videamus. Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur, quod Anna lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactavit, in vitulis tribus et tribus modiis farinae et amphora vini; et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Anna, "quae interpretatur gratia", 'Sancti Spiritus gratiam significat', quae duobus uberibus, gratia scilicet praeveniente et subsequente, poenitentem lactat, donec eum a lacte concupiscentiae carnalis et mundanae vanitatis omnino amoveat. Nota quod, sicut mater, quae filium

suum amovere vult a lacte, mammillam inungit succo amaro, ut dum infans quaerit dulcedinem inveniat amaritudinem, per quam a dulcedine separetur, sic Sancti Spiritus gratia temporalium mammillam amaro tribulationis succo perungit, ut homo dulcedinem istam, amaritudine respersam, abhorreat et veram dulcedinem perquirat. Unde subditur: Et adduxit eum postquam lactavit in, 'idest cum', tribus vitulis. Ecce quae cibaria, ad cenam poenitentiae praeparandam, sunt necessaria. Gratia adducit poenitentem cum tribus vitulis, in quibus triplex notatur oblatio, scilicet vitulus cordis contriti et contribulati. Unde in Psalmo: Imponent super altare tuum vitulos. Super altare, idest cordis contritionem, poenitentes imponunt vitulos, idest sacrificant lascivias et immundas cogitationes. Item, vitulus "confessionis". Unde in fine Osee: Tollite, inquit, vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Verba secum tollit qui, quod audit, adimplere satagit, et sic ad Dominum se convertit. Cui et dicit: Omnem aufer iniquitatem, quam commisi, et accipe bonum, quod dedisti. Non mihi Domine non mihi, sed nomini tuo da gloriam. Et sic vitulos labiorum, idest confessionem criminis et laudis, reddam tibi. Item, vitulus corporis, per poenitentiam mortificati. "Vitulus et vitula a viridi aetate dicti sunt". Vitulus vel vitula carnem nostram significant, quae in viridi aetate iuventutis per captivae prata licentiae lasciviens discurrit. De qua dicit Samson in libro Iudicum: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. Samson est spiritus; vitula, caro nostra, in qua si aramus, idest ipsam affligimus, inveniemus propositionem, quae est: Quid dulcius melle, quid fortius leone de tribu Iuda? Quid dulcius melle, idest contemplatione; quid fortius leone, idest praedicatore? Ad cuius rugitum omnia animalia debent figere gradum. Quid dulcius melle mansuetudinis? Quid fortius leone severitatis? Bene ergo dicitur: Et adduxit eum cum tribus vitulis. Et tribus modiis farinae. Granum molitur et comminuitur in farinam. Farina aqua commixta solidatur in panem, 'qui confirmat cor hominis'. In hunc modum granum operis nostri molendum est per discussionem, comminuendum per examinationem, ut ad modum farinae purgetur. Haec autem examinatio debet esse triplex, per tres modios designata. Examinandum enim est genus operis, origo et finis. Et postea opus commiscendum est aquis lacrimarum, ut ploretur pro 'irriguo inferiori et superiori': aut enim opus offerimus pro redemptione mali operis praeteriti, aut pro desiderio aeterni gaudii, quod 'in turturibus duobus oblatis in Lege designatur, quorum unus offerebatur pro peccato, alter in holocausto cremabatur'. Ex farina ergo et aqua panis compingitur, qui confirmat cor hominis, quia ex opere lacrimis commixto hominis conscientia saginatur. Sequitur: Et amphora vini, 'quae tres habet mensuras'. In vino, mentis hilaritas, quae in tribus consistit, scilicet in testimonio bonae conscientiae, in profectu proximi, in spe aeterni gaudii. Cum his omnibus, mater Anna, scilicet Sancti Spiritus gratia, adducit filium suum, virum iustum, ad domum Domini in Silo, "quae interpretatur translata", idest in vitam aeternam, in quam sancti de hac mundi peregrinatione sunt translati, in cuius gloriae cena cum beatis angelis epulantur.

4 – "Cena dicitur a communione vescentium", quia 'antiquitus semel in die, idest sero communiter, comedebant'. Cena gloriae aeternae refectionem significat, in qua sancti communiter de Dei visione satiabuntur, quia 'unus reddetur denarius in vinea laborantibus'. De huius cenae convivio dicit Isaias: Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium

medullatorum, vindemiae defaecatae. Ecce quomodo concordat evangelium cum Isaia. Dominus dicit: Homo fecit cenam magnam. Isaias: Faciet Dominus exercituum etc. Quod ibi cena magna, hic convivium pinguium dicitur. Nota ista quattuor verba: convivium, pinguium, medullatorum et vindemiae defaecatae. In convivio, 'quod dicitur a multorum victu', omnium sanctorum gloriosa societas; in pinguedine, ipsorum caritas; in medulla, animarum de Dei visione exultatio; in vindemia defaecata corporum glorificatio designatur. In monte ergo hoc, "idest caelesti Ierusalem", faciet Dominus exercituum, 'idest angelorum', convivium pinguium, idest conventum omnium sanctorum, qui caritatis pinguedine erunt saginati, de Dei visione gaudio inextimabili repleti, et corporum glorificatione beati. Tunc vere erit vindemia defaecata. Vindemia, 'vineae demptio', idest uvarum collectio, dicitur defaecata, "idest sine faece" vel sordibus purgata. In vindemia generalis resurrectionis erit corporum sanctorum collectio defaecata, idest totius corruptionis et mortalitatis faece purgata et in caelesti apotheca reposita. Bene ergo dicitur: Homo quidam fecit cenam magnam. Nota quod in illa cena magna magna cibaria comedemus, illos scilicet fructus quos filii Israel, ut dicitur in libro Numeri, 'attulerunt de terra promissionis, uvas scilicet et ficus et malogranata'. In uva, ex qua exprimitur vinum, significatur gaudium, quod habebunt sancti de visione Verbi Incarnati. Ipsi homines videbunt Deum hominem, cum angeli non videbunt Deum angelum; super quos suam naturam videbunt exaltatam. De quo gaudio dicit Habacuc: Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo. Et bene dicit: Iesu meo. Qui, ut me salvaret, de me me, idest carnem meam, accepit et super chorum angelorum elevavit. Item, in ficu, "quae a foecunditate dicitur" et omnibus pomis est dulcior, dulcedo, quam sancti de totius Trinitatis visione habebunt, designatur. De qua Propheta: Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te. Abscondisti, inquit, ut ferventius quaereretur, quaesita inveniretur, inventa dulciter amaretur, amata aeternaliter possideretur. Et iterum: Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. Non dicit quid paravit, quia illud quod paravit verbis non potest exprimi. Unde Apostolus: Quod oculus non vidit, quia absconditum est; nec auris audivit, quia in quiete est et dici non potest; nec in cor hominis ascendit, quia incomprehensibile est. Item, in malogranatis triumphantis Ecclesiae unitas et praemiorum diversitas designatur. Malogranata dicuntur eo quod grana habeant intus olentia. Nota quod, sicut in malogranato omnia grana latent sub uno cortice et tamen quaelibet grana habent per se distinctas cellas, sic in vita aeterna omnes sancti habebunt unam gloriam et tamen, secundum proprium laborem, unusquisque magis vel minus recipiet mercedem. Unde Dominus: In domo Patris mei, ecce cortex; mansiones multae suntu, ecce cellae distinctae.

5 – Ecce qualia cibaria comedemus in cena magna, de qua dicitur: Homo quidam fecit cenam magnam. 'Iste homo est Iesus Christus, Deus et homo, qui fecit cenam magnam, poenitentiae scilicet et gloriae, ad quam multos vocavit, sed multi venire contemnunt'. Unde dicit in Parabolis: Vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non erat qui respiceret. Patris Verbum vocavit per se; vocat et per verba aliorum; et renuunt venire. 'Extendit manum suam in cruce', multa beneficia daturus, et non est qui respiciat. Sed veniet tempus, quando de manu extensa faciet pugnum, 'cum quo percutiet impie'. Vocat Dominus ad primam cenam, scilicet poenitentiam. Unde Isaias: Vocavit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci. In his quattuor vera poenitentia continetur. In fletu, contritio; in planctu, confessio; in

calvitio, temporalium abrenuntiatio; in cingulo sacci satisfactio designatur. Ad hanc cenam vocat Dominus, sed nolunt venire, quia faciunt sibi aliud convivium, de quo subditur: Ecce gaudium et laetitiam, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum: comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Item, vocat Dominus ad cenam caelestis gloriae. Unde dicitur in libro Esdrae, quod Cyrus traduxit vocem in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens: Quis est ex vobis de universo populo Dei caeli? Sit Deus illius cum ipso; ascendat in Ierusalem, quae est in Iudaea, et aedificet domum Domini Dei Israel: ipse est Deus qui est in Ierusalem. Cyrus 'interpretatur hereditas' et 'significat Iesum Christum', qui est hereditas nostra. Unde Propheta: Hereditas mea praeclara, idest prae aliis sanctis clara, est mihi. Hic praecipit omni populo, ut ascendant in Ierusalem caelestem, quae aedificatur ut civitas 'de lapidibus politis, idest animabus iustis'. Sed iste populus dicit in Aggaeo propheta: Nondum venit tempus Domini domus aedificandae. Dominus, 'cuius misericordiae non est numerus', non tantum vocat per se, sed etiam per ordinem praedicatorum, de quo sequitur: Et misit servum suum hora cenae dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata sunt omnia. Dicit ibi GLOSSA: "Hora cenae finis saeculi. Unde Apostolus ad Corinthios: Nos sumus in quos fines saeculorum devenerunt. In hoc fine mittitur servus, idest ordo praedicatorum, ad invitatos per legem et prophetas, ut repulso fastidio, ad gustandam cenam se praeparent, quia iam omnia parata sunt. Christo enim immolato, introitus regni patet". Regni apertio est Christi Passio, per quam Ecclesia vel vir iustus, in primam cenam ingressus et in secundam ingressurus, dicit in introitu hodiernae missae: Factus est Dominus protector meus; et deduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me. Dominus factus est, extensis brachiis in cruce, protector meus in sua Passione; eduxit me in latitudinem in Sancti Spiritus missione; salvum me fecit in inimicorum infestatione, quoniam voluit me ingredi ad cenam vitae aeternae. Huic primae clausulae evangelii concordat prima particula hodiernae epistolae, in qua loquitur beatus Ioannes commensalibus cenae vitae aeternae: Nolite, inquit, mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Mundus, "idest mundi amatores", odiunt aeternae vitae cives. Nec mirum, quia odiunt se ipsos. Et 'qui sibi nequam est, quomodo aliis bonus potest esse?' Unde habes concordantiam in primo libro Regum: Factus est Saul inimicus David cunctis diebus. Non rectis oculis Saul aspiciebat David a die illa et deinceps. Nolite ergo mirari si odit vos mundus. Nos scimus quia translati sumus de morte peccati ad vitam et cenam poenitentiae, quoniam diligimus fratres. Fratrum dilectio est ad cenam vitae aeternae introductio. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut ad cenam poenitentiae nos introducat et de ipsa ad cenam caelestis gloriae nos transferat. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

II – De invitatorum excusatione

6 – Sequitur secundum. Et coeperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam; rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. Et reversus servus nuntiavit haec domino suo. Nota ista tria: villam, quinque iuga boum et uxorem. 'Villa, a vallo, idest aggere terrae vel fossa dicta', 'est amor dominandi', de quo dicit beatus BERNARDUS: 'Non ignem, non

gladium sic timeo, sicut libidinem dominandi', qua qui ardent, stipati quasi vallo divitiarum et honorum incedunt. Haec est illa villa Gethsemani, in qua Dominus fuit traditus et ligatus. "Gethsemani interpretatur vallis pinguium". Ad vallem decurrunt stercora, quibus impinguatur. In villa ergo Gethsemani, idest in illis qui 'aliis praeesse et non prodesse cupiunt", qui in valle, idest carnis voluptate, requiescunt, stercoribus temporalium tamquam porci impinguati, traditur Iesus Christus, idest destruitur fides Iesu Christi. Fides enim temporalia abicit, dominari non appetit, subesse cupit, contumeliis crescit. Haec villa Gethsemani emitur, quae utinam nec gratis haberetur, quia compellit exire ab intrinseca Dei contemplatione ad exteriorem sollicitudinem. Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod 'arca foederis Domini exercituum, sedentis super cherubim, venit in castra, quae capta est a Philisthiim'. 'Arca est vir contemplativus', 'in quo est manna suavitatis, tabulae utriusque legis, virga correctionis'. Hic dicitur arca foederis Domini, cum quo foedus iniit, ut ei serviret in perpetuum, 'qui sedet super cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiae, idest super illam animam, quae caritate repletur. Plenitudo enim legis caritas'. Haec arca, peccatis exigentibus, ab abscondito faciei Dei, a sanctis sanctorum egreditur in castra, villam emit, praeesse cupit. Dum sic elevatur, a daemonibus capitur et in Azotum, 'quae interpretatur incendium, idest concupiscentiae carnalis ardorem', ducitur. Dicit ergo: Villam emi.

7 – Et necesse habeo exire et videre illam. Nota ista verba: necesse habeo, exire et videre. Qui villam dominationis terrenae sibi acquirit, necessitas sibi incumbit; qui, cum liber esset, se miserabili servitute servum fecit. Sic Saul, ut dicitur in primo libro Regum, necessitate compulsus, descendit ad pythonissam, quae erat in Endor; unde et dixit: Coarctor nimis. Siquidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me et exaudire me noluit. Villa et pythonissa idem significant. "Endor interpretatur fons generationis", per quem intelligimus Adam, qui fuit fons et origo humanae generationis, qui, dato paradisi pretio in suae animae dispendio, villam dominandi emere voluit, cum falso audivit: Eritis sicut dii. Unde illi qui dominationem quaerunt, 'secundum veterem et non secundum novum hominem, Iesum Christum, ambulant'; 'qui, ut dicit Ioannes, cum cognovisset quia venturi erant homines, ut raperent eum et facerent regem, fugit in montem'. "Pythonem quidam tradunt esse artem suscitandi mortuos", a quo mulier, illam artem sciens, pythonissa nuncupatur. Heu! quantos religiosos, mundo mortuos, in claustris sepultos, a somno contemplationis, quietis et pacis, haec pythonissa, idest amor dominandi, suscitavit et in publicum eduxit. Unde dicit Isaias: Humiliaberis, de terra loqueris; et de humo audietur eloquium tuum, et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit. Ecce quid villam ementi et pythonissam consulenti et de quietis sepulcro egredienti eveniat: Humiliaberis, idest deicieris, dum credis ascendere; de terra, idest terrenis, loqueris, qui prius loqui consueveras de caelestibus; et de humo, idest ventre et gula, cibis et potibus humida, audietur eloquium tuum, qui prius de mentis dulcedine et abstinentia gulae eloquium ignitum solebas emittere; et erit quasi pythonis de terra, idest praelatura, vox tua, quae prius solebat esse de abiectione et humilitate; et de humo mussitabit eloquium tuum, idest murmurabit, qui prius 'in silentio et spe fortitudinem tuam collocaveras'. Ecce quanta necessitas et quanta perversitas. Dicit ergo: Villam emi; necesse habeo. Sequitur: Exire. De hoc habes in Genesi quod 'egressus est Esau vir agricola ad venationem, et Iacob, vir simplex, manens in mentis habitaculo, illi subripuit benedictionem'. Cum enim quis per amorem rerum temporalium ad

venandum villam, ad consulendum pythonissam, a mentis quiete egreditur, ei procul dubio benedictio aeterna subripitur. Necesse, inquit, habeo exire et videre illam, quasi diceret: ut semel videam, priusquam moriar. Hic est unicus fructus divitiarum. Unde in Ecclesiaste: Ubi opes sunt multae, multi sunt qui comedunt eas; et quid prodest possessori, nisi quod cernit eas oculis suis? Ecce aperte habes, quod qui villam terrenae dominationis emit ad cenam Domini non venit, sed, falsam praetendens excusationem, dicit: Rogo te, habe me excusatum. "Humilitas sonat in voce, cum dicit: Rogo, et superbia est in affectione, cum venire contemnit"'. Sic frequenter dicitur ad virum iustum: "Ora pro me, quia homo peccator sum", 'in quo sonat humilitas, dum requiritur oratio, et manet superbia, dum non receditur a peccato'. De hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dixit Saul ad Samuelem: Nunc, quaeso, porta peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum.

8 – Et alter dixit: Iuga boum emi quinque etc. Nota quod 'per quinque iuga boum quinque sensus corporis intelligimus'. Sicut enim boves in iugo combinantur, ita duo instrumenta sensus nobis serviunt. Duae enim sunt aures, duo oculi, duae nares; in gustu etiam duo instrumenta, lingua et palatum; in tactu duae manus. Hi sunt decem principes, de quibus dicit Salomon in Ecclesiaste: Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. "Sapientia, dicta a sapore", est amor et contemplatio Dei, qui confortat sapientem, idest animam, quae amoris saporem degustat, super decem principes civitatis, idest super omnem delectationem decem sensuum corporis. Illa enim vere satiat, ista totum evacuat. Illa indulcat, ista amaricat. Qui illi servit, liber est; qui isti, miser est. Iuga ergo boum emit qui infelici commercio, sapore amoris divini contempto, se quinque sensuum infelici delectationi subicit, miserabili servitute. Utinam 'tolleret homo super se iugum Domini, quod suave est', et non iugum diaboli, quod asperum est, de quo dicit Isaias: Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Ecce quomodo concordat Isaias cum evangelio. Quod evangelium dicit villam, hoc Isaias virgam, et quod dicit iuga boum, hoc iste iugum oneris, et quod uxorem, hoc iste sceptrum. Sicut Gedeon, "qui interpretatur circuiens in utero", 'superavit, ut dicitur in libro Iudicum, Madian cum trecentis et cum tubis et cum lampadibus', sic poenitens, qui debet circuire in utero, idest mentis contritione, quid commisit et quid omisit, cum trecentis, 'idest fide sanctae Trinitatis', cum tubis confessionis et lampadibus dignae satisfactionis, debet superare iugum oneris diaboli, idest delectationem quinque sensuum, qua diabolus onerat animam, et virgam humeri eius, idest cupiditatem dominandi, qua diabolus pungit hominem, sicut rusticus virga asinum suum, et sceptrum exactoris eius, idest carnis petulantiam, quae in duobus consistit, gula scilicet et luxuria. Sceptrum dominans est luxuria, quae omnibus fere principatur. Exactor, gula, quae quotidie usuram voluptatis sub specie necessitatis appetit.

9 – Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod ascendit Naas Ammonites et pugnare coepit contra Iabes Galaad; dixeruntque viri Iabes ad Naas: Habeto nos foederatos, et serviemus tibi. Respondit ad eos Naas: In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium omnibus gentibus in universo populo Israel. Ubi et subditur: Et insiluit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba haec; et iratus est furor eius nimis. Et assumens utrumque bovem concidit in frusta. 'Naas interpretatur serpens, quod bene convenit diabolo, qui in

serpente primos parentes decepit. Ammonites interpretatur populus moeroris, vel comprimens vel coangustans. Naas ergo est rex Ammonitarum, quia antiquus serpens, qui et satanas, princeps est malignorum, qui sunt in moerore tristitiae', quae, secundum Apostolum, mortem operatur'. Hi comprimunt et coangustant vitam sanctorum. Unde Ecclesiasticus: 'Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio iusto'. Impius vivit pio, idest ad utilitatem pii, quia contubernia malorum frixoria sunt iustorum. Naas ergo pugnat contra Iabes Galaad. "Iabes interpretatur exsiccata, Galaad acervus testimonii". Haec est anima, quae prius a vitiis debet exsiccari et postmodum dominicae Passionis testimoniis repleri. Naas ergo pugnat contra viros Iabes Galaad, ut eis oculos dextros eruat, sciens quod, illo eruto, unusquisque ad bellum minus utilis existat. Oculus dexter est visus discretionis, quem nititur diabolus eruere et sinistrum amoris mundani relinquere, sciens quod qui aeterna non desiderat terrenam prosperitatem amat: si per terrena tenetur, de facili bello cedit. Qui animam suam ab obsidione et infestatione diaboli voluerit liberari, necesse est quod faciat quod sequitur: Et insiluit spiritus Domini in Saul etc. 'Saul interpretatur inunctus', qui in sui regni principio, quo hanc civitatem liberavit, bonus fuit, et ideo significat virum iustum gratia Dei inunctum, in quem cum spiritus Domini, idest contritio cordis insilit, tunc peccatis suis praeteritis irascitur, et sic utrumque bovem in frusta concidit. Uterque bos sunt duo oculi; uterque bos sunt duae aures, et sic de ceteris. Utrumque bovem in frusta concidit qui oculos, quibus illicita concupivit, lacrimis conterit. Utrumque bovem concidit qui duas aures, ne de cetero audiant detractionem vel adulationem, spinis sepit, et sic de ceteris sensibus, ut 'quot habuerit in se oblectamenta, tot de se inveniat holocausta'.

10 – Et alius dixit: Uxorem duxi etc. Multos non matrimonium sed abusio matrimonii abducit et retrahit a cena Domini. Nam "non propter prolis foecunditatem, sed propter carnis desideria contrahunt matrimonia". Unde notandum quod "tribus pro causis uxor debet duci. Prima causa, pro prole procreanda. Unde in Genesi: Crescite et multiplicamini. Secunda causa, adiutorii. Unde ibi: Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi. Tertia causa, incontinentiae. Unde Apostolus: 'Si quis est non continens, nubat, tantum in Domino'. Qui alia de causa praeter istas duxerit uxorem, vae illi. Praeterea, licet bonum sit in se matrimonium, multum tamen portat secum periculum. Unde Apostolus ad Corinthios prima: Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est, ad duplicem sollicitudinem, scilicet Dei et uxoris. Difficile est sic inter medium incedere, ut sic sit divisus inter duo, ut non separetur ab altero. Unde dicitur in primo libro Regum, quod duae uxores David captivae ductae fuerunt, et contristatus est David valde. Si uxores non habuisset, in tantum procul dubio contristatus non fuisset. Nota quod in hoc loco "per uxorem carnis luxuria intelligitur", quam non emisse, sed duxisse dicitur; quoniam unusquisque peccator peccatum carnale ab exordio suae nativitatis secum traduxit. Sed quaeritur, cur duo praemissi rogaverunt se haberi excusatos, tertius vero minime? Ad quod dicendum, quod voluptas carnis ita detinet hominem in deliciis, quod ad delicias aeternas venire non desiderat, nec excusari curat; et per hoc patet quod Deum non diligat, qui, precibus patrum Veteris Testamenti ad desponsandam sibi naturam humanam invitatus, benigne descendit ad nuptias. Unde huic secundae evangelii clausulae concordat secunda particula epistolae: In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animam ponere. Nota quod hic beatus Ioannes tria tangit,

scilicet Deum, nos et fratres. Qui Deum diligit, villam dominationis non emit. Qui animam suam diligit, iuga quinque sensuum reprimit. Qui proximum, pro quo tenetur animam ponere, diligit, uxorem luxuriae, qua ipsum scandalizat et offendit, omnino non ducit. Rogamus ergo, Domine Iesu, ut villam totius dominationis nobis auferas, delectationes quinque sensuum reprimas, et sine uxore maledictae concupiscentiae nos esse facias, quatenus ad cenam tuam liberi venire valeamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De introductione ad cenam eorum qui a mundo despiciuntur

11 – Sequitur tertium. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis; et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduc huc. Tribus primis recusantibus venire ad cenam Domini, servus mittitur, ut introducat pauperes, debiles, caecos et claudos. "Raro enim delinquunt, quibus peccandi illecebrae desunt; et citius convertuntur ad gratiam, qui non habent in mundo unde delectentur". Unde felix est miseria, quae ducit ad meliora, et felix nigredo, quae candorem parit. Destituti enim a mundanarum rerum abundantia ut pauperes, a corporis sanitate ut debiles, caeci et claudi, quibus peccandi deest illecebra, facilius introducuntur ad cenam Domini. Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod 'puer aegyptius, servus viri amalecitae, contemptus est a domino suo et dimissus, quia aegrotare coepit; quem David invenit et pavit, et ducem itineris sui fecit'. "Puer aegyptius est amator huius saeculi, opertus nigredine peccatorum, qui, quia cum mundo currente in mundanis operibus currere non potest, a mundo despectus et infirmus relinquitur. Quem Christus invenit, quia, quos mundus despectos deserit, ipse in amorem suum convertit et cibo verbi Dei pascit et ducem itineris sui facit, quia quandoque talem in praedicatorem assumit". Et nota quod istos quattuor non sine causa specialiter nominavit, scilicet pauperes, debiles, caecos et claudos. Pauper dictus, parum imperans, vel parum habens. "Debilis dictus, quod per bilem factus sit fragilis; bilis enim humor est fellis, afficiens corpus". Unde debilitas et debilitare, idest debilem reddere. "Caecus dictus, quod careat visu, qui utroque oculo non videt". Claudus dictus, quasi clausus in eundo. Per istos quattuor genera hominum designantur qui quattuor vitiis, idest avaritia, ira, luxuria, superbia sunt irretiti. Avarus est pauper, qui non sibi sed ipsa pecunia imperat; non possessor sed possessus; qui, cum multa habeat, parum se credit habere. Unde PHILOSOPHUS: "Cui sua non videntur amplissima, et si totius mundi dominus sit, miser est". Idem: "Non puto pauperem, cui quantulumcumque superest, sat est". Debilis est iracundus, qui, fellis amaritudine respersus, accenditur ad iram, 'quam, cum habet, iustitiam Dei operari non potest'. De quo Iob: Virum stultum interficit iracundia. Luxuriosus est caecus, qui visu gratiae caret, utroque oculo, idest ratione et intellectu, privatus. Superbus est claudus, qui rectis gressibus per viam humilitatis non potest incedere. De his et similibus vitiis dicit PHILOSOPHUS: "Fugienda est omnibus modis et scindenda igni et ferro totoque artificio separanda, languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, seditio a civitate et ab homine discordia". Istos quattuor peccatores in plateis, idest carnis voluptate, et vicis, idest mundi vanitate, detentos misericors Dominus, per praedicatorem sanctae Ecclesiae, vocat ad cenam caelestis patriae. Nota etiam quod tertio dicitur servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea etc. 'Per istos qui compelluntur intrare significantur illi, qui per flagella et adversitates compelluntur intrare

ad cenam Domini'. Unde in Osee dicit Dominus: Ecce ego sepiam vias tuas spinis, et sepiam eas maceria, et semitas suas non inveniet; et sequetur amatores suos et non apprehendet eos, et quaeret eos et non inveniet, et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene tunc mihi erat magis quam nunc. 'Animae peccatricis vias, idest actiones pravas, per quas sequitur amatores suos, idest daemones, Dominus sepe adversitatis et maceria infirmitatis claudit, ut ad ipsum priorem virum se convertat'; cuius amoris dulcedinem experta, tunc, cum eius perfruebatur contemplatione, melius et longe melius dicit sibi fuisse quam nunc, cum miserae carnis abutitur voluptate.

12 – Huic tertiae clausulae, in qua de pauperibus agitur, concordat tertia particula epistolae: Qui habuerit substantiam mundi huius, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. Dicit Dominus in Luca: Verumtamen quod superest date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis. Ibi dicit GLOSSA: "Quod necessario victui et vestimento superest, date pauperibus". Qui ergo habuerit substantiam mundi, ex qua, victus et vestitus retenta necessitate, quod superest, si viderit fratrem suum, pro quo Christus mortuus est, necessitatem habere, debet ei dare. Et si non dat et viscera sua claudit a fratre paupere, dico quod peccat mortaliter, quia caritas Dei non est in illo; in quo si esset, utique pauperi fratri libenter daret. Vae ergo illis, qui cellaria vino et grano habent plena et duo vel tria vestium paria, et pauperes Christi ventre vacuo, corpore nudo ad ipsorum clamant ostia; quibus, si vix aliquid datur, parum datur, et non de meliori sed de deteriori. Veniet, veniet hora, quando et ipsi clamabunt, stantes foris ad ianuam: 'Domine, Domine, aperi nobis, et audient, qui audire noluerunt: Amen, amen dico vobis nescio vos'. 'Ite, maledicti, in ignem aeternum'. Qui obturat aurem suam, dicit Salomon, ne audiat vocem pauperis, ipse clamabit et non exaudietur.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut qui nos vocavit ista praedicatione, vocare nos dignetur suae gratiae inspiratione ad cenam caelestis gloriae, in qua satiati contemplabimur 'quam suavis sit Dominus'. Cuius suavitatis nos faciat participes trinus et unus Deus, benedictus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis fidelis anima, ad istam cenam introducta: Amen. Alleluia.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in tertia dominica post Pentecosten: Erant appropinquantes ad Iesum publicani, quod in tribus clausulis dividitur. In primis sermo de praedicatore vel Ecclesiae praelato, qui murum Ecclesiae aedificare et leonem in cisternam debet interficere, ibi: Banaias filius Ioiadae. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de conversis peccatoribus, ibi: Convenerunt ad David, et de natura apum. Item sermo in Annuntiatione sanctae Mariae, ibi: Surrexit rex David et sedit in porta. Item de reconciliatione peccatoris cum Deo, ibi: Vocatus Absalom intravit ad regem. Item de eodem, ibi: Miphiboseth comedebat super mensam David. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de innocentia baptismali, ibi: Quis ex vobis homo. Item de planctu et dolore pro ipsius amissione et

restauratione, ibi: Planxit David planctum. Item sermo de contritione, ibi: Si ros in solo vellere fuerit. Item de confessione, ibi: Dabo vobis pluvias. Item de satisfactione, ibi: Abraham plantavit nemus. Item sermo de poenitente, ibi: Issachar asinus fortis. Item de Dei et angelorum gaudio super peccatore converso, ibi: Dico vobis quod gaudium. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de anima poenitente et ipsius confessione et carnis mortificatione, ibi: Ingressa mulier Thecuitis ad regem. Item de drachma et eius partibus et quid significent, ibi: Si perdiderit drachmam unam. Item sermo quomodo diabolus occidit in nobis caritatem Dei et proximi, ibi: Ioab filius Sarviae. Item de quattuor quae sunt in lucerna et eorum significatione, ibi: Nonne accendit.

Exordium. Sermo de praedicatore vel Ecclesiae praelato

1 – In illo tempore erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores, ut audirent illum etc. Dicitur in secundo libro Regum, quod Banaias, filius Ioiadae, descendit et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis. “Banaias interpretatur caementarius Domini”, ‘et significat praedicatorem, qui caemento verbi divini lapides vivos, idest Ecclesiae fideles, coniungit in unitate spiritus’. De hoc caementario dicit Dominus ad Amos prophetam: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam caementarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei. “Trulla est ferrum latum, quo parietes liniuntur, dicta quod trudat, idest includat, calce vel luto lapides”. Trulla est praedicatio, quam Dominus posuit in medio populi christiani, ut omnibus communis esset et sua latitudine ad iustum et peccatorem se extenderet, quae calce caritatis in Christo credentes coniungeret. Iste caementarius dicitur filius Ioiadae, “qui interpretatur sciens vel cognoscens”. Praedicator debet esse filius scientiae et notitiae. Debet enim primo scire quid, cui et quando praedicet, et postea in seipso debet cognoscere si secundum quod praedicat vivat. Ista notitia caruit ille Balaam, qui de seipso dicit in libro Numeri: Dixit homo, cuius obturatus est oculus; dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visionem Omnipotentis Dei videt, qui cadens apertos habet oculos. Sic perversi praedicatoris obturatus est oculus rationis, qui, quamvis doctrinam Altissimi et visiones Omnipotentis videat per scientiam, non tamen novit per experientiam. Qui cadens, eo quod careat notitia, apertos habet oculos in scientia. Sed Banaias, filius Ioiadae, descendit a contemplatione Dei ad instructionem proximi et interficit leonem, “idest diabolum”, vel mortale peccatum, qui est in cisterna, idest anima frigida peccatorum. Et hoc facit in diebus nivis, idest quando frigus malitiae et nequitiae congelat mentes peccatorum, de quibus dicitur in hodierno evangelio: Erant appropinquantes ad Iesum etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, peccatorum ad Iesum appropinquatio et pharisaeorum murmuratio. Secundum, ovis perditae inventio. Tertium, drachmae amissae recuperatio. Nota etiam quod in ista et sequenti dominica aliquas historias secundi libri Regum cum clausulis evangelii, Deo dante, concordabimus. In introitu hodiernae missae cantatur: Respice in me et miserere mei, Domine. Et legitur epistola beati Petri: Humiliamini sub potenti manu Dei, quam volumus in tribus particulis dividere et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Humiliamini. Secunda: Sobrii estote. Tertia: Deus autem omnis gratiae.

I – De peccatorum ad Iesum appropinquatione

3 – Dicamus ergo: Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant pharisaei et scribae dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. De hoc habes in primo libro Regum, quod convenerunt ad David omnes qui erant in angustia constituti et oppressi aere alieno et amaro animo; et factus est eorum princeps. Nota ista tria: in angustia constituti, oppressi aere alieno et amaro animo. 'David est Christus, ad quem peccatores, qui in angustia diabolicae tentationis et concupiscentiae carnalis sunt constituti, et aere alieno, idest mortali peccato, a diabolo invento, sunt oppressi, debent convenire. Qui si fuerint amaro animo, idest amaritudinem contritionis habentes pro peccatis, ipse Christus erit eorum princeps'. "Princeps dictus, quod primus capiat". Christus enim in morte vere poenitentium praevenit diabolum, et primus ipsorum capit animas, et defert in caelum. Bene ergo dicitur: Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores etc. Nota ista quattuor verba: appropinquantes, audirent, recipit et manducat. In hoc verbo appropinquantes, cordis contritio; in audirent, omnimodae confessionis et satisfactionis adimpletio; in recipit, divinae misericordiae cum peccatore reconciliatio; in manducat gloriae aeternae refectio designatur. Ille ad Iesum appropinquat qui pro peccatis suis conteritur. Unde dicitur in Genesi: Accedens propius Iudas, confidenter ait ad Ioseph: Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo. 'Iudas, qui interpretatur confitens, poenitentem significat qui, cordis contritione propius accedens, de misericordia Dei confisus, confidenter loquitur verbum confessionis in auribus sui confessoris'. Item, Iesum audit qui in omnibus et per omnia satisfacere satagit. Unde Iob: Auditu auris audivi te; nunc oculus meus videt te. Ideo me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere. Item, Iesus Christus peccatores recipit, cum poenitentibus reconciliationis gratiam infundit. Unde in Luca: Occurrens pater cecidit super collum filii et osculatus est eum. 'Osculum patris significat gratiam divinae reconciliationis'. Item, Iesus manducat cum illis, scilicet poenitentibus, quos sua gloria in requie opulenta satiabit.

4 – Nota quod de his quattuor habes concordantiam in secundo libro Regum. De primo sic in eodem dicitur: Venerunt universae tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum et caro tua sumus. "Tribus a tributo dictae, vel ab eo quod a principio trifarie fuerunt dispertitae a Romulo, idest in senatoribus, militibus et plebibus". Universae tribus Israel omnium poenitentium congregationem significant, qui tributum servitii, officii quotidie Domino persolvunt. In tribus dividuntur: in senatoribus, idest contemplativis; militibus, idest praedicatoribus; plebibus, idest activis. Hi omnes debent convenire mentis unitate ad David, idest Iesum Christum, in Hebron, "quod interpretatur coniugium meum", idest in cordis contritione, in qua gratia Sancti Spiritus tamquam sponsus coniungitur animae quasi sponsae pro peccatis contritae. Ex tali coniugio nascitur heres vitae aeternae. Ecce, inquiunt, nos os tuum et caro tua sumus. Sic poenitentes debent dicere Christo: Miserere nostri, dimitte peccata, quia os tuum et caro tua sumus. Propter nos homines homo factus es, ut nos redimeres. 'Ex his enim quae passus fuisti misereri didicisti'. Angelo non possumus dicere: Ecce nos os tuum et caro tua sumus. Sed tibi Deo, Dei Filio, qui 'non angelos sed semen Abrahae apprehendisti', vere possumus dicere: Ecce nos os tuum et caro tua sumus. Miserere ergo ossi tuo et carni tuae. Et quis 'umquam carni suae odio habuit?' 'Frater et caro nostra es', et ideo teneris misereri et

miseriis fratrum tuorum compati. Tu et nos unum patrem habemus; sed tu natura, nos gratia. Tu ergo, qui potens es in domo paterna, noli nos privare illa hereditate sancta, quia os tuum et caro tua sumus. 'Filii Israel detulerunt de Aegypto ossa Ioseph in terram promissionis', et tu de huius Aegypti tenebris defer nos, ossa tua, in terram beatitudinis, quia os tuum et caro tua sumus. Bene ergo dicitur: Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores. Poenitentes enim debent facere sicut faciunt apes, 'quae, ut dicitur in NATURALIBUS, cum rex earum volat extra alvearium, cum ipso volant et cum magno stipatu ipsum ambiunt, et ipse est in medio, et apes circumquaque; et quando rex ipsarum nequit volare, tunc ferunt ipsum turba apum, et si moritur, morientur ipsae'. Iesus Christus, rex noster, extra alvearium, idest sinum Patris, ad nos volavit. Quem nos, tamquam bonae apes, debemus sequi, et cum ipso advolare, et ipsum, idest fidem ipsius, in medio, idest in corde nostro, collocare, et cum magno stipatu virtutum munire, et si in aliquo membro suo in peccatum ceciderit, praedicatione et oratione eum debemus sublevare; et cum ipso mortuo et crucifixo debemus mori, 'membra nostra cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes'. Bene ergo dicitur: Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores.

5 – Sequitur: Ut audirent illum. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod surrexit rex David et sedit in porta, et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta; venitque universa multitudo coram rege. Iesus Christus rex regum, noster David, qui nos liberavit de manu inimicorum nostrorum, surrexit, cum a sinu Patris exivit, et sedit in porta, 'idest humiliavit se' in beata Virgine Maria, de qua dicit Ezechiel: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa principi; princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Nota quod dicit clausa principi, et princeps sedebit in ea: 'huius enim mundi principi, idest diabolo', clausa fuit, quia nulli ipsius tentationi mens eius patuit; et princeps Christus solus in ea sedit per assumptae carnis humilitatem; ut comederet panem coram Domino, idest faceret voluntatem Domini. 'Meus, inquit, cibus est ut faciam voluntatem Patris mei'. Et omni populo nuntiatum est per apostolos, quod rex sederet in porta, idest quod carnem assumpsisset de beata Maria. Et sic universa multitudo poenitentium et fidelium venit coram rege, eius in omnibus et per omnia praeceptis parata obedire.

6 – Sequitur: Et murmurabant pharisaei et scribae dicentes etc. "Dupliciter errant, quia et se iustos putant, cum sint superbi, et alios reos, cum iam poeniteant". Hic peccatores recipit. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod vocatus Absalom intravit ad regem et adoravit super faciem terrae coram eo, et osculatus est rex David Absalom. 'Absalom, qui interpretatur pax patris, significat in hoc loco poenitentem, qui cum Deo Patre, quem peccando offendit, poenitendo pacem fecit'. Hic vocatus per cordis contritionem intrat ad regem per confessionem, et adorat, super faciem terrae coram eo, per satisfactionem, terram carnis suae affligendo, seipsum vilem et indignum reputando; et hoc coram eo, non coram hominibus. Et ita rex recipit poenitentem tamquam filium per reconciliationis osculum. Unde de hac receptione dicit peccator conversus in introitu hodiernae missae: Respice in me et miserere mei, Domine; quoniam unicus et pauper sum ego. Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea, Deus meus. Respice in me, oculo misericordiae, qui Petrum

respexisti; et miserere mei, peccata dimittendo; quoniam unicus, ut tu unicum et solitarium comiteris; et pauper sum ego, idest vacuus, ut tu vacuum impleas. Vide humilitatem meam, in confessione, et laborem meum, in satisfactione; et dimitte omnia peccata mea, Deus meus.

7 – Sequitur: Et manducat cum illis. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod 'Miphiboseth comedebat super mensam David, quasi unus de filiis regis, et habitabat in Ierusalem, quia de mensa regis iugiter vescebatur'. 'Miphiboseth interpretatur vir confusionis' et significat in hoc loco poenitentem, qui de peccatis suis confunditur; quae confusio adducet ei gloriam, cum habitabit in caelesti Ierusalem et comedet super mensam regis, tamquam unus de sanctis apostolis, quibus dicit Dominus in evangelio: Dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno caelorum. Huic primae clausulae sancti evangelii concordat prima particula hodiernae epistolae, in qua loquitur Petrus conversis peccatoribus: Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis; omnem vestram sollicitudinem proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sub potenti manu Dei, 'qui potentes deponit et humiles exaltat', humiliamini, ut vos exaltet ad mensam illam caelestem, in tempore visitationis, idest mortis vel ultimi examinis; omnem vestram sollicitudinem in eum, qui sollicitus est plus de vestra salute quam vos ipsi, proicite, quia ipse fecit nos, et non ipsi nos. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut nos peccatores faciat ad se appropinquare, se audire; nos dignetur suscipere, et in mensa vitae aeternae secum reficere. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De ovis perditae inventione

8 – Sequitur secundum. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quae perierat donec inveniat illam? etc. Quia Dominus Iesus Christus, in huius sancti evangelii duplici parabola, peccatores ad se appropinquantes instruxit, qualiter perdita restaurarent et restaurata conservarent, et de commissis paenitentiam agerent, ideo quid homo, quid ovis perdita et humeris deportata, moraliter significent, videamus. Homo iste quemlibet paenitentem significat, qui secundum novum hominem ambulat, qui se humum reputat. Hic habet centum oves. "Centenarius numerus perfectionem significat". Centum oves dona gratuita et naturalia significant, quae qui habet perfectus est, viae scilicet perfectione. Et bene dona gratuita et naturalia dicuntur oves, quia sicut oves sunt animalia simplicia, innocentia et quieta, sic dona gratuita et naturalia faciunt hominem simplicem, idest sine plica fraudis, ad proximum, innocentem ad seipsum, quietum ad Deum. Sequitur: Et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit etc. Ovis perdita primam innocentiam, quae collata fuit in Baptismo, hominis significat. Unde haec innocentia per illa duo quae baptizato confereruntur significatur: datur ei a sacerdote alba tunica et lumen in candeia. In tunica alba, innocentia; in lumine, exemplum bonae vitae. In his duobus omnis hominis consistit innocentia: haec est ovis simplex et innocua. Hanc ovem homo perdit, cum tunicam baptismalem polluit et lumen candelae extinguit. Et ideo homini valde est dolendum, cum talem ovem perdit.

9 – Unde, de huius ovis amissione et amissae dolore, habes concordantiam in secundo libro Regum: Planxit David planctum huiuscemodi super Saul et super Ionatham filium eius: Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint ibi agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saulis, quasi non esset unctus oleo. Homo et David poenitentem significant, qui debet plangere super Saul et Ionatham, super oviculam perditam, super primam innocentiam amissam. Saul interpretatur inunctus, et significat innocentiam Baptismatis, quae datur per inunctionem chrismatis. "Ionathas interpretatur donum columbae, et signicicat Spiritus gratiam", Baptismo collatam. Quia ista duo homo perdidit, ideo debet plangere planctum huiuscemodi: Montes Gelboe etc. 'Gelboe interpretatur decursus vel acervus pluens, et significat superbiam, quae est semper in decursu, quia superbia casum habet', et divitiarum abundantiam, quae tamquam acervus lapidum in malum Domini congregantur. In his montibus nec ros nec pluvia nec agri primitiarum inveniuntur. In rore contritio, in pluvia confessio, in agris primitiarum satisfactio designatur. De rore contritionis dicitur in libro Iudicum: Si ros, inquit Gedeon, in solo vellere fuerit et in omni terra siccitas, sciam quod, per manum meam, liberabis Israel. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. Signum liberationis est Israel, idest animae nostrae, si ros, idest gratia compunctionis, fuerit in solo vellere, idest in corde, et in omni terra, idest toto corpore nostro, fuerit siccitas vitiorum. Et dum in nocte huius exilii sumus, consurgere, idest simul surgere, spiritu scilicet et corpore, ad opera poenitentiae debemus, et vellus cordis amore gloriae et timore gehennae, quasi quibusdam manibus, debemus exprimere, et concham oculorum 'aqua compunctionis, in vitam aeternam salientis', replere. De pluvia confessionis dicit Dominus in Levitico: Dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur: apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem; et comedetis panem vestrum in saturitate'. Cum Dominus dat poenitenti pluviam, idest abundantiam confessionis, tunc ipse gignit germen suum non alienum. Germen est 'initium boni operis, quod gignitur per pluviam confessionis. Et pomis arbores replebuntur. Arbor a robore derivatur; "poma ab opimo, de fertilitate, sunt dicta". Arbores sunt mentes poenitentium, quae firmo proposito non relabendi roborantur. Hae pomis, idest fertilitate virtutum, replentur. Apprehendet messium tritura, idest carnis afflictio, vindemiam, idest mentis laetitiam, et vindemia occupabit sementem, idest vitam aeternam, in qua comedemus panem in saturitate. Unde: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ecce quanta bona facit confessio! Item, de agro satisfactionis dicitur in Genesi: Abraham plantavit nemus in Bersabee et invocavit ibi nomen Dei aeterni; et fuit colonus terrae Philisthinorum diebus multis. Nota ista tria: plantavit, invocavit, colonus fuit. Abraham est vir iustus, qui in Bersabee, "quae interpretatur puteus saturitatis", idest in mente sua, plantat nemus caritatis. "Nemus, a numine dictum", significat caritatem, qua diligimus Deum et proximum. Et nota quod mens viri iusti dicitur puteus propter humilitatem, saturitatis propter contemplationis dulcedinem. Et invocavit ibi nomen Pei aeterni. Nomen Dei aeterni est Iesus, "quod interpretatur Salvator". Vir ergo iustus nomen Salvatoris invocat, ut salutem tribuat et aeternaliter conservet. Et fuit colonus terrae Philisthinorum. Philisthaei, ut saepe dictum est, interpretantur "potione cadentes", et significant quinque sensus corporis, qui, dum potione mundanae vanitatis inebriantur, in peccatum cadunt. Terra horum Philisthinorum est corpus, quod quinque sensibus regitur. Istius terrae vir iustus debet esse colonus, ut ipsam vigiliis et abstinentiis, dolore et labore excolat, ut fructum primitiarum afferat.

Bene ergo dicitur: Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum. In altitudine enim superbiae et in abundantia temporalium non invenitur ros compunctionis, nec pluvia confessionis, nec agri primitiarum satisfactionis; immo ibi abicitur clypeus fortium, clypeus Saul. Clypeus est fides. Unde Apostolus: Assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Fides temporalia abicit, quia in ipsorum abundantia deperit. In hoc clypeo viri iusti fortiter solent pugnare. Unde dicitur in libro Iosue: Leva, inquit Dominus ad Iosue, clypeum qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tradam eam tibi. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiae quae latebant surrexerunt confestim, et pergentes ad civitatem ceperunt et succenderunt eam. Clypeus in manu est fides in opere, quam cum a terrenis elevamus, Hai, 'quae interpretatur acervus lapidum', idest abundantia temporalium, capitur et succenditur. Capitur, ut pauperibus dispergatur; succenditur, cum fervore spiritus quasi pulvis et cinis reputatur. Clypeum cum manu contra Hai elevat, qui fidem opere adiuvat, quibus mundi superbiam et abundantiam, contemnendo, devastat. Bene ergo dicitur: Quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. Superbi et avari fidem Iesu Christi et gratiam Baptismi, qua sunt inuncti, in sterquilinium divitiarum abiciunt, dum ipsa temporalia quaerunt. Bene ergo dicitur: Nonne dimittit nonagintanovem in deserto, et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat illam? Omnia debet relinquere, omnia postponere, super montes Gelboe plangere, superbiam et abundantiam temporalium deflere, in quibus oviculam perdidit, tunica innocentiae se expoliavit, candelam boni exempli extinxit, et ideo lacrimis, vigiliis et abstinentiis debet insistere, donec inveniat illam.

10 – Et cum invenerit illam, imponit in humeros suos gaudens; et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quae perierat. Nota quod 'in humeris labor poenitentiae designatur'. Unde in Genesi: Issachar asinus fortis, accubans in terminis. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima. Supposuit humerum suum ad portandum. "Issachar interpretatur merces" et 'significat poenitentem, qui sola aeternae mercedis retributione laborat'. Hic dicitur asinus fortis ad sustinendum fortes pro Christo tribulationes, accubans in terminis. Duo sunt termini, ingressus scilicet et egressus vitae, in quibus poenitens habitat, quia attente ingressum et egressum suum considerat. Sed carnales non habitant in terminis, sed inter terminos, quibus dicit Debora in libro Iudicum: Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? Inter terminos habitat, qui non infelicem ingressum nec miserabilem egressum attendit, sed voluptatibus proprii corporis deservit; et sic audit sibilos gregum, 'idest subtilem et suavem persuasionem quinque sensuum'. Sensualitas autem videtur habere vocem gregum, sed eius suggestio sibilus est serpentum, gregum praetendens innocentiam, lupi tegens versutiam, et sic venena serpentum effundit in animam. Iste Issachar videt oculo fidei, intuitu contemplationis, requiem aeternae beatitudinis quod sit bona et terram aeternae stabilitatis quod sit optima. Ideo gaudens supponit humerum suum ad portandum quam perdiderat oviculam. Et veniens domum, idest propriam conscientiam, convocat amicos et vicinos, idest affectus rationis, qui sunt amici et vicini, et congaudet eis dicens: Congratulamini mihi etc. 'De bono communi commune debet esse gaudium'. Cum enim innocentia restituitur, gratia reparatur. Non est mirum si homini et eius conscientiae est gaudium, cum hoc ipsum sit Deo et angelis in caelo.

11 – Unde sequitur: Dico autem vobis quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam supra nonagintanovem iustis, qui non indigent poenitentia. Ego, Verbum Patris, dico vobis, quod super uno peccatore poenitentiam agente, innocentiam recuperante, gaudium est in caelo. De quo gaudio dicit Dominus in hoc eodem evangelio: Cito proferte stolam primam et induite illum; et date annulum in manu eius, et calceamenta in pedibus eius. Epulari et gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus erat et revixit, perierat et inventus est. 'In stola prima, baptismalis innocentia; in annulo fidei formatae, signaculum, quo illuminatur anima; in calceamentis, carnis mortificatio', peccati abominatio, mundi despectio designatur. Haec filio poenitenti dantur, super cuius poenitentia est maius gaudium in caelo quam super nonagintanovem iustis, scilicet tepidis, qui reputant se iustos. Unde dicit Ecclesiastes: Noli esse nimium iustus. Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Sobrii estote, et vigilate in oratione, quia adversarius vester etc. Nota quod dicit primo: sobrii, et postea: vigilate. Sobrii, idest sine ebrietate, qua qui detinetur vigilare non potest. Sobrietas ergo et vigilantia sunt necessaria, quia diabolus, adversarius noster, tamquam leo, circuit quaerens oviculam, quam devoret. Cui in fide, quam in Baptismo recepimus, resistamus, innocentiam custodiamus, ut cum vere poenitentibus ad gaudium angelorum pervenire mereamur. Ipso praestante, qui ovem perditam, Adam cum posteritate sua, de fauce lupi diaboli eripuit et in propriis humeris, cruce affixis, ad domum beatitudinis aeternae revertens, gaudens deportavit. Super cuius inventione etiam angelis gaudium fecit, qui "gaudent de reconciliato sibi homine. Quod incendit nos ad probitatem, ut agamus quod illi gratum sit, quorum et affectare patrocinium et offensam timere debemus". Ad quorum consortia ipse nos perducat, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

III – De drachmae amissae recuperatione

12 – Sequitur tertium. Aut quae mulier habens drachmas decem; et si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et evertit domum, et quaerit diligenter, donec inveniat eam? etc. MORALITER. Haec mulier significat animam, de qua habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod ingressa fuit mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram et adoravit, et dixit: Serva me, rex. Et ait ad eam rex: Quid causae habes? Quae respondit: Heu, mulier vidua ego sum, mortuus est vir meus. Et ancillae tuae erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro, nullus quidem erat qui eos prohibere posset; et percussit alter alterum et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus illum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus heredem. Et quaerunt extinguere scintillam meam quae relicta est mihi. Quid rex, quid mulier Thecuitis et vir eius, quid duo filii et eorum rixa, et unius illorum mors, quid cognatio et quid scintilla significent, videamus. Rex est Christus; mulier Thecuitis, anima poenitens; vir mortuus, mundus; duo filii, ratio et sensualitas; rixa, utriusque discordia; mors unius, mortificatio carnalis appetitus; cognatio, primi motus; scintilla, lumen rationis. Dicamus ergo: Ingressa mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo etc. "Thecuitis interpretatur tuba"'. Mulier Thecuitis est anima poenitentis, quae tuba confessionis dulciter resonat in aure sui Creatoris. Et nota quod tuba in Veteri Testamento vocabat ad tria, 'scilicet ad bellum, ad epulum et ad festum'. Sic tuba confessionis vocat

ad bellum daemonum – diabolus enim, per confessionem contemptus, surgit in scandala –, ad epulum poenitentiae, ad festum gloriae. Nota ista tria verba: ingressa ad regem, cecidit coram eo et adoravit. 'Rex est Christus', qui 'regit gentes in virga ferrea', "idest in inflexibili iustitia". Ad hunc anima ingreditur per spem, cadit coram eo per humilitatem, adorat per fidem. Et dicit: Serva me, rex. Heu, mulier vidua ego sum etc. Nota ista tria verba: heu, mulier, et vidua. Heu dicit, quia dolet de peccato; mulier, quia mollis et fragilis; vidua, quia destituta ab omni humano auxilio; et ideo: Serva me, rex, dolentem, fragilem et destitutam. Serva me, quia serva tua sum. Serva me, quia mortuus est vir meus. Vir animae poenitentis fuit mundus, qui tunc ei moritur, cum ipsa mundo moritur. Unde dicit cum Apostolo: Mihi mundus mortuus est et ego mundo. Sequitur: Et ancillae tuae erant duo filii, qui rixati sunt etc. Duo filii animae duae partes ipsius, superior et inferior, ratio scilicet et sensualitas, inter quas est maxima rixa, quia 'spiritus concupiscit adversus carnem, et caro adversus spiritum'. Unde de hac rixa habes in Genesi: Facta est rixa, inquit Moyses, inter pastores gregum Abraham et Lot. Dixit autem Abraham ad Lot: Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est. Recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Per Abraham ratio, per Lot sensualitas intelligitur. Pastores gregum sunt affectus et motus utriusque, inter quos est rixa quotidiana. Sed Abraham dicit: Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te. Haec est castigatio rationis ad sensualitatem, volentis eam pacificare sibi, unde et dicit: Fratres sumus, noli me impugnare, noli rixam commovere. Ecce universa terra coram te, 'ut vivas ad necessitatem non ad voluptatem'. Utere licitis; vive discrete, quia Dominus 'dedit terram filiis hominum', non bestiarum. Sed quia video 'quia sensus et cogitatio tua in malum sit prona ab adolescentia tua', ideo, quaeso, recede a me, quia duo contraria insimul esse non possunt. Et 'quae conventio lucis ad tenebras? Et quae pars fidelis cum infideli?' Recede ergo, quaeso, a me, quia, si non recesseris, timeo ne ex convictu formentur mores. "Uvaque conspecta livorem ducit ab uva". "Malignus comes, ut dicit PHILOSOPHUS, innocenti et simplici socio scabiem vel rubiginem suam applicuit". Recede ergo, quaeso, a me. Si ad sinistram ieris etc. Nota: quod est dextrum carni, sinistrum spiritui est; et quod est dextrum spiritui, sinistrum est carni. Et hoc fuit significatum in dispositione corporis Christi in cruce, in qua dexteram habuit ad aquilonem et 'sinistram ad austrum, insinuans adversitatem', quam nos putamus sinistram, ei esse dexteram; et 'prosperitatem temporalem, per austrum significatam, quae nobis est dextera', sibi esse sinistram. Bene ergo dicitur: Et ancillae tuae erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro: nullus quidem erat qui eos prohibere posset. Sequitur: Et percussit alter alterum et interfecit eum. Si a fratre recessisset, interfectus non fuisset. Sic vir iustus, ratione utens, debet reprimendo interficere carnalem appetitum. Unde habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur, quod vocans David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum et mortuus est. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum; os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini. David est vir iustus, pueri viri iusti sunt puri affectus rationis, per quorum unitatem debet interficere appetitum carnalem, qui paulo ante interfecerat christum Domini, idest animam inunctam sanguine Iesu Christi. Sequitur: Et ecce consurgens universa cognatio etc. Cognatio, prava atque perversa, sunt primi motus, qui cognatione sanguinis coniuncti sunt cum sensualitate carnis. Isti, videntes cognatum suum, carnalem appetitum rationis, discreta severitate mortificatum, quotidie consurgunt,

idest simul surgunt, volentes cognati iniuriam vindicare et scintillam rationis extinguere. Unde et mulier Thecuitis clamat ad regem: Serva me, rex, quia quaerunt extinguere scintillam meam, quae relicta est. Nota quod scintilla est subtilis, agilis et incendens. Scintilla est ratio, quae subtilis est in discernendo, agilis tentationes diaboli praeveniendo, incendens animum amore divino. Hanc scintillam aqua concupiscentiae carnalis, primi motus, cognatio stulta et insipiens nituntur extinguere. Et bene dicit: quae relicta est; post omnium enim vitiorum perpetrationem, semper relinquitur animae peccatrici aliqua scintilla rationis, quae ipsam remordeat et reprehendat de peccatis.

13 – Dicamus ergo de hac muliere: Aut quae mulier habens drachmas decem. Nota quod "drachma, ut dicit GLOSSA, est nummus certae quantitatis, habens imaginem regis". Dragma dragmatis, quarta pars stateris; drama dramatis, sine g, est genus carminis, de quo: "Dulcia cantica dramatis". Vel aliter, "drachma est octava pars unciae". "Uncia dicta, quod universitatem nummorum sua unitate vinciat, idest complectatur. Constat autem drachmis octo, idest scrupulis vigintiquattuor. [Quod] proinde legitimum pondus habetur, quia numerus scrupulorum eius horas diei noctisque imitatur". 'Scrupulus sex siliquas, idest sex grana siliquarum, pensat'. 'Siliqua retinet quattuor grana hordei, idest, quodlibet granum siliquae retinet quattuor grana hordei'. Uncia Iesum Christum significat, qui, unum cum Patre et Spiritu Sancto, omnium creaturarum universitatem sua unitate complectitur. Omnes utique creaturae sunt quasi centrum in medio sphaerae, ipse vero quasi circulus omnia circumdans et circumplectens. Unde dicit in Ecclesiastico: Gyrum caeli circuivi sola. Drachma, octava pars unciae, beatam Mariam significat, quae iam illam et etiam longe maiorem in anima et corpore beatitudinem possidet, quam omnes sancti in octava resurrectionis sunt habituri. Vigintiquattuor scrupuli duodecim apostolos significant, de quibus dixit Dominus: Nonne duodecim horae sunt diei? 'Dies, Christus; duodecim horae, duodecim apostoli', qui, propter perfectionem et Sancti Spiritus confirmationem, duplicato numero nominantur; qui, tamquam scrupuli, pauperculi nummi, despecti in hoc mundo fuerunt, et Ecclesiam, quam sanguine suo plantaverunt, die ac nocte, quasi vigintiquattuor horis, custodire non cessant. Sex siliquae, propter bonorum operum perfectionem, omnes martyres et sanctos confessores significant, quos non propter siliquas, sed propter senarium numerum, 'qui perfectus est', dicimus figurari. Quattuor grana hordei, 'quod est pabulum iumentorum', omnes Ecclesiae fideles significant, qui quattuor evangelistarum doctrina quasi animalia reficiuntur. Vide rectissimum ordinem: in uncia drachma et scrupuli, in scrupulis siliquae, in siliquis grana hordei continentur. Sic: a Christo beata Maria et apostoli, ab apostolis martyres et confessores, et ab ipsis omnes Ecclesiae fideles descenderunt. Quia huius vocabuli drachmae occasione aliquantulam digressionem fecimus, modo ad materiam, a qua tamen digressi non sumus, redeamus.

14 – Dicamus ergo: Aut quae mulier habens drachmas decem? Nota quod per decem drachmas decem decalogi praecepta designantur, quae mulier, idest anima, suscepit a Domino observanda; quae si observavisset, utique permansisset. Unde Dominus cuidam, interroganti quid faciendo vitam aeternam haberet, respondit: Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Mandatorum observatio est ad vitam ingressio. Sed 'quia refriguit caritas et abundavit iniquitas'. Ideo sequitur: Et si perdiderit drachmam unam. Drachmam perdit qui caritatem amittit, in qua est imago summi regis, sine qua ad octavam

beatitudinis nullus pervenire poterit. Qualiter autem ista drachma perdatur, habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod Ioab, filius Sarviae, occidit duos principes exercitus Israel: Abner filium Ner et Amasam filium Gether. Abner sic interfecit: Adduxit eum Ioab, ut in eodem libro dicitur, ad medium portae, ut loqueretur ei in dolo; percussit illum in inguine; et mortuus est. Quod cum audisset David, ait: Non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, et leprosus, tenens fusum et cadens gladio et indigens pane. Item, Amasam sic interfecit: Porro Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente ad ilia in vagina, qui fabrefactus levi motu egredi poterat et percutere. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salve, mi frater; et tenuit manu dextera mentum Amasae, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab; qui percussit eum in latere; nec secundum vulnus apposuit. Nota quod per istos duos principes, Abner et Amasam, duo praecepta caritatis, Dei scilicet et proximi, intelliguntur. Per Abner, "qui interpretatur patris lucerna", Dei caritas, qua sedentes in tenebris illuminamur. Per Amasam, "qui populum levans interpretatur", proximi caritas, quae ipsius necessitatem sublevat, designatur. Haec duo praecepta Ioab, "qui interpretatur inimicus, idest diabolus, noster adversarius", tali modo interficit in nobis: primo Dei, secundo proximi caritatem. Adduxit, inquit, Ioab Abner ad medium portae etc. Nota ista tria verba: medium portae, in dolo, in inguine. Diabolus, ut in nobis interficiat caritatem Dei, primo adducit nos ad medium portae. Porta est ingressus et egressus vitae nostrae, cuius medium est mundi vanitas. Diabolus enim non ad portam sed ad medium ducit, quia excaecat peccatorem, ut non miserabilem ingressum et egressum vitae suae consideret, sed vanitatem fallacem attendat; in qua, dum ei loquitur in dolo, temporalia promittendo, percutit eum in inguine, 'idest carnis voluptate', et sic anima moritur et caritas Dei perditur. Item, Amasam sic interfecit. Porro Ioab vestitus erat etc. Tunica stricta diaboli sunt omnes perversi, quibus se induit, et ad mensuram sui habitus sibi astringit, quia eorum malitiam suae malitiae coaequare satagit. Gladius in vagina est diaboli suggestio in perversorum mente. Et quia diabolus per adulatores et detractores proximi caritatem solet interficere, ideo sequitur: Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salve, mi frater; et tenuit manu dextera etc. Ibi dicit GLOSSA: "Dextera mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri, sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit". Unde Ecclesiasticus: In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam '. In foveam ruere,' est drachmam caritatis amittere, propter cuius amissionem fit illa imprecatio: Non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens etc. Nota ista quinque: fluxum seminis, leprosus, tenens fusum, cadens gladio et indigens pane. Domus diaboli sunt omnes iniqui, qui non habent caritatem Dei nec proximi, qui fluxum seminis semper sustinent, 'idest variis desideriis et luxuria fluunt; et leprosi fiunt, quia variis erroribus maculantur; tenent fusum, idest volubilitatem temporalium, et postea cadent in gehennam, gladio divinae ultionis percussi', fame et siti aeternaliter cruciandi. Ecce quomodo drachma caritatis perditur. Sed videamus qualiter invenitur.

15 – Sequitur: Nonne accendit lucernam etc. Nota quod in lucerna sunt quattuor: testa lutea, stuppa aspera, oleum suave, ignis illuminans. "In testa fragilitatis memoria", "in stuppa aspera poenitentia", "in oleo proximi misericordia", "in igne Dei dilectio designatur". Beata illa anima, quae talem lucernam sibi praeparat, ut drachmam perditam inveniat. Cum tali lucerna angulos conscientiae suae quilibet debet evertere et diligenter

quaerere drachmam caritatis perditam, donec inveniat illam. Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Iesu Christo, modicum passos ipse perficiet et confirmabit, consolidabitque. Deus Pater, a quo descendit omnis gratia operans, cooperans et consumans, per Iesum Christum, Filium suum, qui, cum testa nostrae humanitatis et lumine suae divinitatis, quaesivit diligenter et invenit nos drachmam perditam, et sic vocavit ad aeternam gloriam, in qua nos, in hoc mundo modicum passos, perficiet duplici, corporis scilicet et animae, glorificatione, confirmabit aeterna sua visione, consolidabitque beata Ecclesiae triumphantis societate. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut det nobis exemplo sanctae mulieris, animae scilicet poenitentis, lucernam praeparare, memoriam scilicet fragilitatis nostrae, stuppa poenitentiae; oleum misericordiae accendere igne caritatis divinae, et cum ipsa angulos nostrae conscientiae evertere, et diligenter inquirere drachmam diu perditam caritatis geminae; ut, cum ipsa inventa, ad ipsum, 'qui est caritas', mereamur pervenire. Ipso praestante, cui est honor et gloria, decus et imperium per aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen. Alleluia.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in quarta dominica post Pentecosten: Estote misericordes, quod in quattuor clausulis dividitur. In primis sermo de praedicatore vel Ecclesiae praelato, ibi: David sedens in cathedra. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de triplici Dei et hominis misericordia, ibi: Estote misericordes. Item de natura gruum et earum significatione. Item sermo contra illos qui de occultis temere iudicant, ibi: Extendit manum Oza. Item sermo contra illos qui de casu vel morte inimici gaudent, ibi: Ascendit David caenaculum et flevit. Item sermo ad informationem patientiae, ibi: "Semei maledixit regem etc." DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de triplici mensura et eius significatione, ibi: Mensuram bonam. Item sermo contra illos qui in pulchritudine gloriantur et semel in anno confitentur et numquam satisfactionem peragunt, ibi: Porro sicut Absalom. Item sermo de quattuor dotibus corporis, ibi: Mensuram bonam. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo contra caecos Ecclesiae praelatos, ibi: Omnes bestiae agri. Item de natura ursi et ipsius morali significatione. Item sermo in Nativitate Domini, ibi: Egressus Ruben tempore messis triticeae. Item sermo de ipsius Passione, ibi: Rex David transgrediebatur. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo contra eos qui, cum sint immundi, aliorum immunditias mundare volunt, ibi: Quid vides festucam. Item de oculis et eorum expositione et significatione.

Exordium. Sermo de praedicatore vel Ecclesiae praelato

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Dicitur in secundo libro Regum, circa finem: David, sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. David praedicatorem significat, qui debet sedere in

cathedra etc. Nota omnia verba. In cathedra, mentis humilitas; in sapientissimo, claritas; in principe, constantia; in tribus, vita, scientia et eloquentia; in ligno, perversorum dura malitia; in tenerrimo, misericordia et patientia; in vermiculo, severa disciplina. Praedicator ergo debet sedere in cathedra humilitatis, exemplo Iesu Christi edoctus, qui in cathedra nostrae humanitatis humiliavit gloriam divinitatis: sapientissimus, sapore caritatis, quae sola sapit 'quam suavis sit Dominus'; princeps, constantia mentis, ut, tamquam leo, fortissimus bestiarum, ad nullius paveat occursum; inter tres, idest vitam, scientiam et eloquentiam. Debet etiam esse tenerrimus ligni vermiculus: vermiculus, ut perforet et corrodat lignum, idest duros et infructuosos; tenerrimus, idest patiens et misericors, circa humiles et compunctos. Vel, sicut verme nihil durius cum tangit, nihil mollius cum tangitur, sic praedicator, cum verbum Domini proponit, dure corda auditorum debet tangere; si vero ipse contumeliis tangitur, dulcis et affabilis debet esse. De quo subditur quod uno impetu interfecit octingentos. Uno impetu dicit propter quosdam, qui cum interfecerint superbiam, nutriunt gastrimargiam. Octingenti autem sunt vitia carnalia et spiritualia. Quae omnia praedicator in se debet interficere, ut prius circa se, deinde circa alios opera misericordiae valeat exercere. De quo dicitur in hodierno evangelio: Estote misericordes etc.

2 – Nota quod, in hoc evangelio quattuor notantur. Primum, Dei misericordia, cum praemittitur: Estote misericordes. Secundum, aeternae gloriae mensura, cum adiungitur: Mensuram bonam. Tertium, caecorum casus in foveam, ibi: Dicebat autem illis et similitudinem. Quartum in oculo fratris peccati festuca, ibi: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui? His quattuor clausulis quasdam secundi libri Regum historias concordabimus. In introitu missae huius dominicae cantatur: Dominus illuminatio mea, et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: Existimo quod non sunt condignae passiones, quam in quattuor particulis volumus dividere et cum quattuor evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Existimo. Secunda: Nam expectatio creaturae. Tertia: Scimus. Quarta: Non solum etc.

I – De Dei misericordia

3 – Dicamus ergo: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite iudicare et non iudicabimini; nolite condemnare et non condemnabimini; dimittite et dimittetur vobis; date et dabitur vobis. Nota quod in hac sancti evangelii prima clausula quinque valde notabilia notantur: misereri, non iudicare, non condemnare, dimittere et dare. Ista quinque cum quinque secundi libri Regum historiis volumus concordare. 'Misericors a compatiendo alienae miseriae est dictus. Hinc et appellata est misericordia, quod miserum cor faciat, dolendo alienam miseriam. In Deo vero sine cordis miseria est misericordia'. "Dicitur enim miseratio, quasi misericordiae actio". De hac ergo dicit Dominus: Estote misericordes. Et nota quod, sicut triplex est Patris caelestis misericordia circa teipsum, sic triplex debet esse tua circa proximum. Patris misericordia est speciosa, spatiosa et pretiosa. Speciosa, quia purgat a vitiis. Unde Ecclesiasticus: Speciosa est misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis. In tempore tribulationis, idest dum anima tribulatur pro peccatis, infunditur pluvia gratiae, animam refrigerantis et peccata dimittentis. Spatiosa, quia processu temporis dilatatur in operibus bonis. Unde in Psalmo: Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et

complacui in veritate tua, quia displicuit mihi iniquitas mea. Pretiosa, in vitae aeternae deliciis, de qua Anna in Tobia: Certum habet omnis qui colit te etc. Quaere in evangelio: Nemo potest duobus dominis servire. De his tribus dicit Isaias: Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quae reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quae largitus est eis secundum indulgentiam suam et secundum multitudinem misericordiarum suarum. Misericordia etiam tua debet esse triplex circa proximum, ut, si in te peccavit, ei dimitte; si a via veritatis erravit, instrue; si esurit, refice. De primo dicit Salomon in Parabolis: Per fidem et misericordiam purgantur peccata. De secundo Iacobus: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvavit animam eius, et operit multitudinem peccatorum. De tertio in Psalmo: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Bene ergo dicitur: Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est.

4 – Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicit David ad Miphiboseth: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper. In hac auctoritate triplex ad proximum misericordia designatur. Prima, cum dicitur: Faciens faciam etc. propter Ionatham, idest Iesum Christum, qui dixit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. In te peccanti debes, faciens corde, facere ore misericordiam, ut corde et ore illi ignoscas. Secunda, cum additur: Et restituam tibi omnes agros Saul patris tui. "Ager dictus, quod in eo aliquid agatur", gratiam in unctione baptizati collatam significat, quam ideo suscepit, ut ipsam bonis operibus exerceret. Sed cum Saul, idest anima oleo fidei inuncta, moritur, tunc possessio amittitur. Quam tunc ei reddis, cum eum ab errore viae suae converti feceris. Tertia, cum subinfertur: Et tu comedes panem in mensa mea semper. Unde Salomon: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum da illi. Bene ergo dicitur: Estote misericordes. Simus ergo misericordes, grues imitantes, de quibus dicitur, quod cum ad destinatum locum pervenire contendunt, excelsa petunt, "ut de excelsiori specula metentur quas petant terras. Fidens meatu, praeit catervas, volatus desidiam castigat, voceque cogit agmen. At ubi raucescit, succedit alia. Concors cura omnium pro fatigatis; adeo ut si quae defecerint, congruant universae, lassatasque substollant, usquedum vires otio recuperentur. Nec in terra cura segnior. Excubias nocte dividunt, ut exsomnis sit decima quaeque. Vigiles ponduscula digitis amplectuntur, quae si forte exciderint somnum coarguant. Quod cavendum sit clangor indicat". Vespertiliones fugiunt. Simus ergo misericordes sicut grues, ut, in excelsa vitae specula positi, nobis et aliis praevideamus; viam nescientibus ducatum praebeamus; voce praedicationis, pigros et tepidos castigemus; labori alternatim succedamus, quia, quod caret alterna requie, durabile non est; infirmos et debiles, ne in via deficiant, propriis humeris apportemus; in excubiis Domini oratione et contemplatione vigilemus; Domini paupertatem, humilitatem et ipsius Passionis amaritudinem, quasi quibusdam digitis, apprehendamus; et si aliquid immundum subrepere voluerit, statim clamemus; vespertilionem, idest caecam mundi vanitatem, super omnia fugiamus.

5 – Sequitur secundum. Nolite iudicare et non iudicabimini. Dicit ibi GLOSSA: "De apertis malis, quae bono animo fieri non possunt, permittitur nobis iudicare. Sunt quaedam media et incerta quo animo fiant, quia et bene et male possunt fieri. Nescimus

etiam qualis futurus sit, qui nunc apparet malus, de cuius correctione desperare eumque quasi abiectum reprehendere, temerarium est". Nolite ergo iudicare et non iudicabimini. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod extendit manum Oza ad arcam Dei et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves et declinaverunt arcam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate; qui mortuus est ibi iuxta arcam Domini. 'Arca est anima; boves, corporis sensus; Oza, qui interpretatur robustus, est aliquis de sua virtute confidens, et aliis detrahens'. Recalcitrantibus ergo bobus, idest infestantibus et contradicentibus corporis sensibus, aliquando anima inclinatur in alicuius culpae consensum; quam si praesuntuosus temeraria manu detractionis voluerit tangere, iudicium Domini se noverit incurrisse, qui dicit: Nolite iudicare et non iudicabimini. Dicit PHILOSOPHUS: "Vide si adhuc malus es, et similibus parce".

6 – Sequitur tertium. Nolite condemnare et non condemnabimini. Unde habes concordantiam in secundo libro Regum, quod David noluit condemnare Absalom, se condemnare volentem; immo praecepit Ioab et Abisai et Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom. De cuius condemnatione contristatus, ascendit David cenaculum et flevit. Et sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi. Quis mihi det, ut ego moriar pro te? Absalom fili mi, fili mi Absalom. Non enim de morte inimici gaudendum, sed dolendum et plangendum. 'Sic Christus ascendit in cenaculum crucis, et ibi Adam cum omni posteritate sua, a Ioab, idest diabolo, tribus lanceis, idest gula, vanagloria et avaritia interfectum, planxit', dicens: Fili mi Adam, quis mihi det, ut ego moriar pro te, idest, ut prosit tibi mors mea? Quasi diceret: Nullus voluit mihi dare, ut pro ipso morerer. Magnum enim donum reputat, quando peccator dat ipsi ut sua mors prosit ei.

7 – Sequitur quartum. Dimittite et dimittetur vobis. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur, quod Semei maledixit David, dicens: Egredere, egredere, vir sanguinum et vir Belial! Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo; et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui. Ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. Dixit autem Abisai, filius Sarviae, regi: Quare maledicit canis mortuus domino meo regi? Vadam et amputabo caput eius. Et ait rex: Quid mihi et vobis est, filii Sarviae? Dimittite eum ut maledicat; Dominus enim praecepit ei ut malediceret David; et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et ait rex Abisai et universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quaerit animam meam; quanto magis nunc filius Iemini? Dimittite ut maledicat iuxta praeceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Ambulabat itaque David et socii eius per viam cum eo; Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens et mittens lapides adversus eum terramque spargens. GREGORIUS: "Qui verborum contumeliis pressus, virtutem patientiae servare non potest vel sufficit, factum David ad memoriam revocet, quem cum Semei conviciis urgeret et armati proceres ulcisci contenderent, ait: Quid mihi et vobis, filii Sarviae? etc. Et paulo post: Dimittite eum, ut maledicat iuxta praeceptum Domini etc. Quibus verbis indicat quia pro peccato Bersabee, insurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod fecit; et contumeliosa verba non tam convicia quam adiutoria esse credidit, quibus se purgari sibique misereri posse iudicavit. Tunc enim illata convicia bene tolleramus, cum in

secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur quod iniuria percutimur, dum conspicimus quod peius meruimus. Sicque fit, ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur, quorum interventu, iudice Deo, poena gravior declinatur".

8 – Sequitur quintum. Date et dabitur vobis. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur, quod Machir, filius Ammihel, et Berzellai Galaadites, dederunt David stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, et mel, et butyrum, et oves, et pingues vitulos. Ecce date. Audiamus et dabitur. Dixit Rex David ad Berzellai: Veni, ut requiescas securus mecum in Ierusalem. Quid ista moraliter significent, videamus. "Machir, vendens"; "Ammihel, populus Dei"; "Berzellai, fortitudo mea"; "Galaad acervus testimonii interpretatur". Per istos tres viros omnes poenitentes intelligimus, qui sua vendunt et pauperibus tribuunt, qui sunt populus Dei, 'quem elegit Dominus in hereditatem sibi', qui in fortitudine boni operis devincunt tentamenta antiqui hostis, in quibus coacervata sunt testimonia dominicae Passionis. Hi dant Christo stratoria, quae sunt dormientium, 'idest quietem purae conscientiae, in qua quiescit Christus cum anima'; et tapetia diversorum colorum, idest varietates virtutum; et vasa fictilia, idest seipsos, dum se, fragiles et de luto factos cognoscentes, humiliant; 'frumentum, idest doctrinam evangelii; et hordeum, idest doctrinam Veteris Testamenti'; et farinam, idest confessionem, per minutissimas omnium peccatorum circumstantias factam; et polentam patientiae; et fabam abstinentiae; et lentem vilitatis propriae; et frixum cicer compassionis alienae; mel et butyrum vitae activae et contemplativae; 'oves innocentiae'; et pingues vitulos in pinguis carnis maceratione. Si haec dederis, tibi dabitur, et audies verum David tibi dicentem: Veni, ut requiescas mecum securus in Ierusalem caelesti. Nota ista quattuor verba: veni, requiescas, securus mecum, in Ierusalem. Istis quattuor respondent illa quattuor, quae cantantur in introitu hodiernae missae: Dominus illuminatio mea [etc.]. [Dominus illuminatio mea] concordat cum hoc verbo veni: recte venire non posset nisi prius illuminatus fuisset. Et salus mea concordat cum requiescas: ubi enim salus, ibi requies. Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? concordat cum securus mecum: quem enim Dominus protegit, procul dubio securus existit. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt concordat cum in Ierusalem, in qua cum fuerimus inimicos, nos modo tribulantes, non timebimus; ipsi enim cadent in gehennam, et nos erimus in gloria. Unde huic primae clausulae evangelii concordat prima particula hodiernae epistolae: Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Quia passiones sunt temporis, ideo non sunt condignae, quia leves et transitoriae: passio transit, gloria vero permanet in saeculum saeculi. Ut ergo ad illam gloriam pervenire possimus, rogemus Dominum Iesum Christum, qui est pater misericors, qua misericordiam suam nobis infundat, ut in nobis et in aliis misericordiam habeamus, neminem iudicemus, nullum condemnemus, in nobis peccanti dimittamus et omni petenti nos et nostra tribuamus. Quod nobis praestare dignetur ipse, qui est benedictus et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

II – De aeternae gloriae mensura

9 – Sequitur secundum. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum; eadem quippe mensura, qua mensi fueritis,

remetietur vobis. Nota quod triplex est mensura: fidei, poenitentiae et gloriae. Mensura fidei est bona in sacramentorum perceptione; conferta, "idest plena", in boni operis executione; coagitata, in tribulationis vel martyrii sustinentia, pro Christi nomine; supereffluens, finali perseverantia. De hac mensura dicit Apostolus: Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Mensura poenitentiae est bona in contritione, in qua Dei bonitas cognoscitur; conferta in confessione, quae plenarie debet fieri; coagitata in satisfactione; supereffluens in totius culpae remissione et mentis puritate. De hac mensura dicitur in libro Sapientiae: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. Omnia, idest omnem animae salutem, et inter quam omnia quae fiunt debent fieri, et ad quam omnia quae homo facit debent referri. Disposuisti, Domine Deus, in mensura poenitentiae, quae, ut vera sit, necesse est quod habeat numerum et pondus: numerum confessionis, ut omnes peccati circumstantiae ad unguem numerentur; pondus satisfactionis, ut poena aequaliter praeponderet culpae. Hoc est pondus sanctuarii, non pondus publicum.

10 – De quo habes concordantiam in secundo libro Regum: Porro sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis: a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillos tanto amplius surgebant –; semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum caesaries; ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. Speciositas Absalonis, quae a vestigio pedis incipit et usque ad verticem capitis ascendit, illam speciositatem significat quae provenit ex terrenis, in qua nulla macula esse reputatur, cum eius prosperitas nulla adversitate impeditur. Speciositas autem quae de vertice descendit, speciositatem designat quae de cognitione supernorum contingit, sicut habetur in evangelio, ubi dicit Dominus: 'Quare cogitationes ascendunt in corda vestra?' Illae enim cogitationes quae ascendunt in cor sunt de terrenis; quae vero descendunt sunt de supernis. Sequitur: Semel in anno tondebatur. Capillorum superfluorum tonsio est peccatorum in confessione depositio, quam multi in anno semel faciunt, cum singulis diebus esset confessio necessaria. Cum natura hominis sit fragilis et ad peccandum habilis, et tot peccatorum sordes contrahat diebus singulis, et memoria eius ita sit labilis, quod vix de eo quod fecit mane eiusdem diei recordatur vespere, quare infelix differt in annum? Immo, cur differt in crastinum, cum nesciat quid crastina dies sit paritura? Hodie es, et cras non eris. Sic ergo hodie vive, quasi hodie sis moriturus. Nihil enim certius morte; nihil incertius hora mortis. Qui ergo quotidie peccati venenum bibis, quotidie debes accipere theriacam confessionis. Dicit PHILOSOPHUS: 'Non vivit, cui nihil est in mente nisi ut vivat'. Sequitur: Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. Cum tamen deberet ponderare trecentis – debet peccator ponderare peccata sua trecentis siclis, idest triplici poena, scilicet perfecta contritione et perfecta confessione et perfecta satisfactione –, sed ponderat ducentis, quia plurimi sunt qui, bene contriti, bene confitentur, sed in tertio siclo satisfactionis deficiunt. Nec ponderant peccata sua pondere sanctuarii, idest sicut Deus et sancti ea gravia iudicant, sed pondere publico, idest sicut vulgi opinio, parvipendit. Et quod hoc non sufficiat, dicit Ioannes Baptista: Genimina viperarum, "idest venenati venenatorum filii", quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? Quasi diceret: Non bene didicistis fugere, quia non fugitur ira, satisfactione contempta. Unde subditur: Facite fructus dignos poenitentiae. Nota quod dicit fructus. Tria sunt germen, flos et fructus. In germine, contritio; in flore, confessio; in fructu, satisfactio, quam qui non habet, perfectione poenitentiae caret.

11 – De mensura gloriae dicitur in hoc evangelio: Mensuram bonam etc. Per haec quattuor dantur intelligi quattuor dotes corporis, quae sunt agilitas, subtilitas, claritas et impassibilitas; quia, ut dicitur, corpora erunt sole clariora, vento agiliora, scintillis subtiliora, nullius laesionis passibilia. Unde dicitur: 'Dominus assumpsit claritatem in monte Thabor; agilitatem, ambulans supra mare; subtilitatem, quando, transiens per medium illorum, ibat; impassibilitatem, quando a discipulis sub specie panis sumebatur, nihil tamen mali patiebatur'. Item, 'Fulgebunt iusti, ecce claritas; et tamquam scintillae, ecce subtilitas; in arundineto discurrent, ecce agilitas; 'et nomina eorum vivent in aeternum', ecce impassibilitas, quia nec mori, nec deficere possunt'. Vel, mensuram bonam, idest gaudium sine dolore; confertam, plenitudinem sine vacuitate; coagitatam, idest firmitatem sine dissolutione, quod enim agitatur solidum efficitur; supereffluentem, idest 'dilectionem sine simulatione'; 'quilibet enim de praemio alterius gaudebit', et ita dilectio ad alium supereffluet. Hanc mensuram dabunt pauperes, idest erunt causa, ut Deus det, quia occasio promerendi fuerat ista. In sinum vestrum, de quo Iob: Reposita est haec spes mea in sinu meo. 'Sinus est receptaculum aliquod', portus, et 'significat quietem vitae aeternae', in quam sancti, a tempestate huius mundi liberati, quasi in quietem portus recipientur. Vel, sicut filius parvulus plorans revertitur ad sinum matris, quae ei blandiens eius lacrimas tergit, sic sancti de huius mundi ploratu ad sinum gloriae revertentur, in qua 'absterget Deus omnem lacrimam ab omni facie'. Eadem quippe mensura etc. Ibi dicit AUGUSTINUS: "In voluntate propria metitur bonus bona facta; in ea remetietur ei beatitudo. In voluntate propria metitur malus mala opera; in ea remetietur ei miseria. Igitur in eadem mensura, quamvis non aeternorum malorum, aeterna supplicia remetiuntur, et quia aeternam voluit habere peccati perfruitionem, aeternam inveniet et vindictae severitatem".

12 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati autem creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Nota quod in hac secunda particula ter ponitur creatura, quae tribus supradictis mensuris fidei, poenitentiae et gloriae respondet. Creatura in hoc loco pro Ecclesia fidelium ponitur. Dicit ergo: Expectatio creaturae, idest totius Ecclesiae, revelationem filiorum Dei expectat. Idest: illi qui per fidem in Ecclesia sunt filii Dei, expectant gloriam, in qua revelata, 'facie ad faciem contemplabuntur Deum, qui modo quasi sub quodam velamine, quia in speculo et aenigmate ipsum contemplantur'. Vanitati, idest mutabilitati, haec creatura subiecta est, 'iustus enim, ut dicit Salomon, septies in die cadit'; non tamen volens, quia peccatum non est ei in voluntate, cui dictum est: Vade, et amplius noli peccare; hanc mutabilitatem sustinet in patientia propter Deum, qui subiecit, idest subiectum esse voluit, vel subici permisit, et hoc in spe vitae aeternae. De qua subditur: Et ipsa liberabitur a servitute huius corruptionis et mutabilitatis, in libertatem gloriae filiorum Dei commutata; in qua suscipiet mensuram bonam 'in aetatis Christi impletione'; confertam, in animarum repletione; coagitatam, in duplici stolae confirmatione, et supereffluentem in gaudii communis perpetuitate. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut mensura fidei nobis Sancti Spiritus carismata dividas, mensura poenitentiae nos impleas, ut postmodum mensura gloriae cum vultu tuo nos saties. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De caecorum casu in foveam

13 – Sequitur tertium. Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid caeci, quid fovea, quid discipulus, quid magister allegorice significent, videamus. Caecus est praelatus vel sacerdos perversus, lumine vitae et scientiae privatus. Unde de caecis Ecclesiae praelatis dicit Isaias: Omnes bestiae agri, venite ad devorandum, universae bestiae saltus. Speculatores eius caeci omnes nescierunt universi; canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia; et canes impudentissimi nescierunt saturitatem; ipsi pastores nescierunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum et impleamur ebrietate; et erit sicut hodie sic et cras, et multo amplius. "In bestiis agri, daemones"; in bestiis saltus carnis motus designantur, qui Ecclesiam et animam fidelem devorant. Sed quare hoc? Ideo quia speculatores Ecclesiae omnes caeci, vitae et scientiae lumine privati; canes muti, ranunculum diaboli in ore habentes, et ideo contra lupum latrare non valentes. Vident vana, quia praedicant pro pecunia, curantes contritionem animarum, cum ignominia dicentes: Pax, pax, et non est pax. Dormiunt in peccatis, amant somnia, idest temporalia, quae suos amatores deludunt. Sunt canes impudentissimi, quia 'frons meretricis facta est eis, et ideo nolunt erubescere'. Nesciunt saturitatem, semper dicentes: 'Affer, affer, et numquam: Sufficit'. Ipsi pastores, 'seipsos pascentes', nesciunt intelligentiam, de qua Propheta: Intelligam in via immaculata. Omnes in viam suam, non Iesu Christi, declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam. Haec est 'via illorum tenebrosa et lubricosa', a summo usque ad novissimum, a domino porco usque ad porcellum. Isti se invitant: Venite, sumamus vinum, "in quo est luxuria", et impleamur ebrietate, 'quae aufert cor'; et erit sicut hodie. Sed, credite mihi, non erit sicut et cras. Unde in libro Machabaeorum: Gloria peccatoris stercus et vermis est. Hodie extollitur et cras non invenietur; quia conversus est in terram et cogitatio eius periit. Respondebit, inquit Iacob in Genesi, mihi cras iustitia mea. Hodie in vobis, canes impudentissimi, abundat ebrietas, sed cras, in die scilicet iudicii, respondebit mortis aeternitas. Unde in Apocalypsi: Quantum se exaltavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum.

14 – Item, isti caeci, malitiae suae testimonium perhibentes, dicunt in eodem Propheta: Palpavimus sicut caeci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus; impegimus in meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui; rugiemus quasi ursi omnes. Nota ista quattuor verba: parietem, absque oculis, in meridie, quasi ursi. In pariete, temporalium abundantia; in oculis, vita et scientia; in meridie, ecclesiasticae dignitatis excellentia; in ursis gula et luxuria designantur. Isti ergo palpant parietem, idest divitias, quasi molle quid, cum sint spinae pungentes; et, cum sint absque oculis vitae et scientiae, ipsas attrectant, ipsas suae viae ducem constituunt, rationis ducatu carentes. In meridie, idest excellentiae ecclesiasticae luce, quasi in tenebris impingunt, quia inde excaecantur unde illuminari debuerunt. Et tamquam ursi, quia gulosi et luxuriosi, rugiunt ad mel, idest dulcedinem temporalium. "Ursus dictus, quod ore suo formet foetus, quasi orsus. Nam aiunt eos informes generare trigesima die partus". "Unde evenit ut praecipitata foecunditas informes creet partus. Carnes pauxillulas edunt, quibus color est candidus,

oculi nulli, et dum festinant in maturitate totum reddit sanies, exceptis unguium lineamentis. Has lambendo sensim figurant et interdum ad pectora eas fovent, ut assiduo incubitu calefaciente, animalem trahant spiritum. Interea cibus nullus. Sane diebus primis quattuordecim matres in somnum ita concidunt, ut nec vulneribus excitari queant. Enixae quaternis latent mensibus. Mox, egressae in diem liberum, tantam patiuntur insolentiam lucis, ut putes obsitas caecitate. Ursis est invalidum caput, vis maxima in brachiis et in lumbis; insidiantur alvearibus apum, maxime favos appetunt, nec avidius aliud quam mella captant. Cum gustaverint mandragorae mala, moriuntur; sed errant obviam ne malum in perniciem convalescat, et formicas devorant ad recuperandam sanitatem". Nostri temporis ursae, idest praelati effeminati, carnes mortuas, idest carnales filios, parturiunt, quibus est color candidus, 'tamquam monumentis plenis omni spurcitia' sed oculi nulli, quibus Deum et proximum contemplentur. In his nulla forma virtutum, nulla species morum, sed tantum sanies peccatorum, exceptis lineamentis unguium, quibus rapiunt bona pauperum. Has carnes ursae lambendo, idest adulando, sensim figurant, illa scilicet figura, de qua dicitur: Praeterit figura huius mundi; quorum assiduo mali exemplo calefaciente, animalem trahant spiritum, de quo Apostolus: 'Animalis homo non percipit quae Dei sunt'; et sic, animales cum animalibus, caeci cum caecis, in foveam cadunt. Praeterea notandum quod, sicut ursis invalidum est caput, sic Ecclesiae praelatis mens est invalida, non valens tentationibus diaboli resistere, sed in brachiis et lumbis maxima vis rapinae et luxuriae; insidiantur alvearibus apum, idest domibus pauperum; maxime favos laudis et vanaegloriae appetunt, scilicet 'salutationes in foro, primos recubitos in cenis, primas cathedras in synagogis', qui carebunt secundis. Hi, cum gustaverint mandragorae mala, moriuntur.

15 – 'Mandragora, herba aromatica; poma eius optimi sunt odoris, in similitudine pomi Matiani'. Poma mandragorae significant opera iustorum, quorum vitae odore ursi rugientes moriuntur, 'quibus, ut dicit Apostolus, sunt odor mortis in mortem'. De his mandragoris dicit sponsa in Canticis: Mandragorae dederunt odorem in portis meis. 'In portis Ecclesiae dant sancti odorem bonae vitae'. De his dicitur etiam in Genesi: Egressus Ruben tempore messis triticeae in agrum, repperit mandragoras. Ruben, "qui interpretatur filius visionis", significat Iesum Christum, Dei Patris Filium, in quem desiderant angeli prospicere. Hic, egressus de sinu Patris, venit in agrum huius mundi, tempore messis triticeae, idest plenitudine temporis, quo frumentum, Ioseph industria, erat recondendum in cellario beatae Virginis, ne tota Aegyptus fame periret; et repperit mandragoras, idest apostolos et apostolorum sequaces, quorum odore moriuntur ursi rugientes. Dicunt enim, ut dicitur in libro Sapientiae: 'Contrarii sunt operibus nostris, et improperant nobis peccata legis, et infamant nos peccata disciplinae nostrae. Facti sunt in traductione cogitationum nostrarum: graves etiam nobis sunt ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illorum, et immutatae sunt viae eorum. Tamquam nugaces extimati sumus ab illis, et abstinent se a viis nostris tamquam ab immunditiis. Haec infelices cogitaverunt, et erraverunt'. Et ideo conversi sunt ad formicas, idest mundi nugas et truphas, quarum falsam delectatiunculam, suam credunt esse medicinam. Sed veniet myrmicoleon, idest formicarum leo, idest diabolus, qui comedet et ursos caecos et formicas. De his caecis habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod proposuit David dare praemium ei qui percussisset Iebusaeum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset claudos et caecos, odientes animam David. Idcirco dicitur in proverbio: Caecus et claudus

non intrabunt in templum. Nota ista tria verba: percussisset, tetigisset, abstulisset. Verus David, Iesus Christus, ei dabit praemium vitae aeternae, qui percusserit Iebusaeum habitatorem terrae, idest appetitum carnis suae, et tetigerit domatum fistulas, 'quae sunt canales aedificiorum', idest imitatus fuerit exempla sanctorum, et abstulerit claudos et caecos, idest praelatos et sacerdotes, qui utroque pede, idest affectu et effectu, sunt claudi, et utroque oculo, vitae scilicet et scientiae, sunt caeci; odientes animam Iesu Christi, quam tunc odiunt, cum animam suam, 'pro qua ipse posuit animam propriam', diabolo venalem exponunt. Caecus et claudus non deberent intrare in templum, quibus ipsum templum hodie committitur custodiendum, quorum caeca custodia multi excaecantur et cum ipsis pariter in foveam damnationis involvuntur. Bene ergo dicitur: 'Si caecus caecum duxerit, ambo in foveam cadunt'.

16 – Sequitur: Non est discipulus super magistrum. Ibi dicit GLOSSA: "Si magister, qui Deus est, non suas ulciscitur iniurias, sed tolerando persecutores mitiores reddere voluit; discipuli, qui homines sunt, hanc regulam perfectionis imitari debent". Unde super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur quod rex David transgrediebatur torrentem Cedron, et totus populus incedebat contra viam olivae, quae respicit ad desertum. Porro David ascendebat clivum Olivarum scandens et flens, operto capite, et nudis pedibus incedens; sed et omnis populus, qui erat cum eo operto capite ascendebat plorans. ALLEGORICE. David Christum significat. "Cedron interpretatur tristis moeror". Torrens igitur Cedron, quem transivit David, est tristitia Passionis, quam transivit Christus. Unde habes in Ioanne: Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron. Et post eum populus ad olivam; quia Christum in Passione praecedentem sequitur populus et discipuli magistrum, ad percipiendam eius misericordiam. Ibat autem rex operto capite, quia Christus montem Oliveti ascendit operta divinitate sub humanitate, et nudis pedibus, quia tunc manifestavit humanitatem suam. Ibat et populus operto capite, sed non legimus quod nudis pedibus. Non enim debemus mentis secretum denudare per vocis arrogantiam, et pedes non debent esse nudi, sed sanctorum exemplis muniti. Unde Ieremias: Prohibe pedem tuum a nuditate et guttur tuum a siti. A nuditate, idest carentia virtutum, pedem affectus et a siti avaritiae guttur debemus prohibere. Hanc sitim fel et acetum dominicae Passionis extinguit. 'Quod prius bibit medicus, gustavit magister, ne abhorreret gustare discipulus', 'cui sufficit si sit sicut magister eius'.

17 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Nota ista duo verba: ingemiscit et parturit. Magister ingemuit in miraculorum operatione. Unde in Marco: Suspiciens in caelum, ingemuit, et ait: Ephphetha, quod est adaperire'. Parturivit in Passionis angustia. Unde dicit in Isaia: 'Ego, qui facio alios parere, nonne et ipse pariam?' Sic magistri discipuli, eius creatura, debent ingemiscere in contritione, parere in confessione. Sufficit enim discipulo si sit sicut magister eius. Rogamus ergo te, magister et Domine, Iesu bone, ut caecos illumines, discipulos tuos doceas et eis viam vitae ostendas, qua ad te, qui es via et vita, pervenire valeant. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

IV – De peccati festuca in oculo fratris

18 – Sequitur quartum. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo poteris dicere fratri tuo: Frater, sine eiciam de oculo tuo festucam, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. Nota ista tria: festucam, oculum et trabem. 'In festuca, levis culpa; in oculo, ratio vel intellectus; in trabe gravis culpa designatur'. Ibi dicit GLOSSA: "Vere peccans peccantem castigare non valet". Unde habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicitur, quod Dominus prohibuit, ne David aedificaret templum. Ibi dicit GREGORIUS: "Mundus in se a vitiis debet esse qui curat aliena corrigere, ut terrena non cogitet, desideriis infimis non succumbat, quatenus perspicacius aliis fugienda videat, quanto hoc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Non pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat; et superiectas sordes tergere non valent manus, quae lutum tenent". "Si quem vis reprehendere, primum vide utrum ei similis sis. Quod si es, pariter ingemisce, et noli eum tibi obtemperare, sed pariter conari iube et mone. Quod si non es similis, tamen quia olim fuisti vel esse potuisti, condescende, et non ex odio, sed ex misericordia argue. Raro ergo et non sine magna necessitate sunt obiurgationes adhibendae, et nonnisi respectu Dei, remota ab oculo trabe". Bene ergo dicitur: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui etc.

19 – Et nota quod "oculi sunt dicti, sive quia eos ciliorum tegmina occulunt, ne incidentis iniuriae offensione laedantur; sive quia occultum lumen habent, idest secretum vel interpositum. Hi inter omnes sensus viciniores sunt animae. In oculis enim omne mentis iudicium est. Unde animae perturbatio vel hilaritas in oculis apparet". "Oculi in facie concavis foraminibus inclusi sunt, a quo foratu frons nominata est. Iidem quoque oculi, gemmarum habentes similitudinem, membranis perlucentibus teguntur, per quas, quasi per vitrum, refulgens mens ea quae foris sunt transpicit. In medio autem orbium sunt quas pupillas vocamus, quibus cernendi gratia tenetur". Et debemus scire quod "forte erit oculus magnus, forte parvus et forte mediocris. Mediocris vero significat bonitatem dispositionis in discretione et intellectu et in bona doctrina. Et forte erunt oculi prominentes et forte erunt profundi et forte mediocres. Si autem fuerint profundi significatur acuitas; et si fuerint prominentes significatur perturbatio discretionis et malitiae dispositionis; et quando fuerint mediocres sunt laudabiles, nam significatur bonitas. Et forte erunt oculi multae clausurae, et forte erunt multae apertionis et pauci motus, et forte inter ista. Si ergo fuerint multae apertionis et paucae clausurae, significatur stultitia et inverecundia. Et cum fuerint multae clausurae, significatur quod multum sit mobilis, levis discretionis, non fixus in operationibus. Et quando fuerint mediocris inter duo, significatur bonitas dispositionis, discretionis in omni opere".

20 – Sequitur: Hypocrita, eice primum etc. "Non enim prius est doctor alii idoneus mederi, qui nondum se sanaverit". Hypocritae 'male apertus oculus ad videnda aliorum delicta, qui suam iactantiam non videt'. Unde POETA: "Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?" Utinam oculus, qui omnia videt, seipsum videret. Huic quartae clausulae concordat quarta particula epistolae: Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes. Primitiae spiritus contritio et amaritudo sunt pro peccatis, quae primo Domino sunt offerendae. Has sancti habentes, non trabem in oculo

alterius considerant, neminem iudicant, neminem condemnant, sed intra semetipsos in amaritudine animae suae ingemiscunt, adoptionem, idest corporis immortalitatem expectantes. Cuius immortalitatis nos faciat participes, qui pro nobis mortuus fuit, immo qui resurrexit, Iesus Christus, Dominus noster, cui est honor et gloria, cum Patre et Spiritu Sancto, per aeterna saecula. Dicat omnis misericors anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in quinta dominica post Pentecosten: Cum turbae irruerent in Iesum, quod dividitur in quattuor clausulis. In primis sermo de praelatis et praedicatoribus Ecclesiae, et qualis eorum debet esse conversatio, ibi: "Rex Salomon in ostiis oraculi". [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de Christi Incarnatione et ipsius Passione, et de iusti viri conversatione, et de tribus lignis quae erant in paradiso, et de natura cedri et hyssopi, et quid significent, ibi: Salomon disputavit super lignum. Item sermo de duabus meretricibus et earum filiis, et quid significent, ibi: Venerunt duae meretrices. Item sermo de navicula Petri, et quid eius armamenta significent, ibi: Omnes unanimes. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo allegoricus et moralis de classe Salomonis, et quid tam allegorice quam moraliter aurum et argentum et dentes elephantorum, simiae et pavones significent, ibi: Classis regis Salomonis. Item de natura elephantum et pavonum et eorum significationibus. Item sermo contra praelatos et Ecclesiae sacerdotes, ibi: Rogabat eum reducere pusillum. Item sermo allegoricus de sancta Ecclesia, ibi: Fecit rex Salomon thronum etc. Item moralis de fideli anima, ibi: Fecit rex Salomon thronum. In eodem dicitur de natura elephantum et eorum morali significatione, et de quattuor elementis quid significent. Item sermo de beata Virgine Maria, ibi: Fecit rex Salomon, et septem gradibus throni. Item sermo contra sacerdotes, ibi: Audite. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de contemptu temporalium, quae nihil sunt, ibi: Aspexi terram. Item sermo de eo quod nihil nobis sed totum Deo debemus attribuere, ut multitudinem piscium copiosam valeamus comprehendere, ibi: Elias ascendit in montem Carmeli. DE QUARTA CLAUSULA. Sermo de duobus uberibus Iesu Christi, scilicet Incarnationis et Passionis, ibi: Ad ubera portabimini. Item sermo de quattuor quae sunt in terra et eorum significatione, ibi: Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris.

Exordium. Sermo de praelatis et praedicatoribus Ecclesiae

1 – In illo tempore: Cum turbae irruerent in Iesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Dicitur in tertio libro Regum, quod rex Salomon in ostiis oraculi, quae erant de lignis olivarum, sculpsit picturam cherubim et palmarum species et anaglypha valde prominentia, et texit ea auro; et operuit tam cherubim quam palmas auro. 'Ostia dicta, quod hostibus sint opposita', 'praedicatores significant', 'qui debent se hostibus opponere murum pro oraculo Domini', idest Ecclesia militanti. Haec ostia debent esse de lignis olivarum, in quibus duo notantur, constantia scilicet et misericordia. Lignum enim olivae durabile est, in quo constantia: "äleos graece, misericordia latine". In praedicatoribus et Ecclesiae praelatis, per quos patet introitus ad regnum, ista duo debent

esse, in quibus noster Salomon, ‘Iesus Christus’, ‘annuntians pacem his qui prope et his qui longe’, sculpsit cherubim, “qui interpretantur plenitudo scientiae”, et palmarum species et anaglypha. ‘Anaglypha graece, latine dicuntur caelaturae. In cherubim, vita angelica et plena scientia; in palmarum specie, de triplici inimico victoria; in anaglyphis bonorum operum exempla designantur’. Sed prius notandum, quod Domini praecepto Moyses ‘fecit duos cherubim aureos et productiles’, ut dicitur in Exodo. Salomon vero fecit ex lignis olivarum, ut dicitur in tertio libro Regum. Super hoc triplex ratio potest assignari. Prima ad designandum quod quamdiu filii Israel in deserto sub Moyse fuerunt, eorum exigentibus meritis, fuerunt percussi multis flagellis; in terra vero promissionis sub Salomone quieti et stabiles fuerunt. Unde ipse dicit in tertio libro Regum: Nunc requiem Dominus Deus dedit mihi per circuitum, et non est satan neque occursus malus. Secunda, quia, dum praedicator est in exercitio praedicationis, quasi quibusdam tribulationum tunsionibus in latum caritatis et in longum longanimitatis extenditur; dum vero, turba in valle dimissa, ad montem speculationis revertitur, in mentis quiete, in conscientiae hilaritate Deum contemplatur. Tertia, quia vir iustus in huius carnis solitudine multis flagellis concutitur, sed in caelesti Ierusalem, tamquam cherubim gloriae, facie ad faciem immortalis Immortalem contemplabitur. ‘In cherubim ergo vita angelica et plena scientia designatur, quae duo praedicator debet habere, ut sancte vivat et plene praedicet, idest non timore vel amore, reverentia vel verecundia, alicui parcat. In palma, de mundo, carne, diabolo, victoria; palma enim victricis manus ornatus est. Anaglypha, valde prominentia, sunt certissima bonorum operum exempla, quae in omnium oculis ita debent sculpi, ut nullo modo iniuste, sinistre valeant denotari’. Et nota quod haec tria auro debent cooperiri: cherubim scientiae, auro humilitatis, eo quod scientia inflat; palma victoriae, auro misericordiae divinae, ut non tibi sed Domino victoriam ascribas, qui dicit: Confidite, quia ego vici mundum; anaglypha operum, auro caritatis fraternae, ut non suam sed alterius quaerat gloriam. Si in ostiis oraculi haec tria fuerint sculpta, ad tantam sculpturae mirandam pulchritudinem, turbae irruent ingressum oraculi adire, verbum Domini audire cupientes. Unde dicitur in hodierno evangelio: Cum turbae irruerent in Iesum etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio quattuor notantur. Primum, Iesu Christi et duarum navium secus stagnum Genesareth statio, cum praemittitur: Cum turbae irruerent etc. Secundum, ipsius Christi in navem Simonis ascensio, cum subiungitur: Ascendens autem in unam navem, quae erat Simonis. Tertium, multitudinis piscium conclusio, ibi: Respondens Simon dixit illi: Praeceptor, per totam noctem. Quartum, Petri et sociorum eius stupefactio, et omnium quae habebant dimissio, ibi: Quod cum videret Simon Petrus etc. Nota etiam quod in ista et sequenti dominica aliquas historias tertii libri Regum cum huius et sequentis evangelii clausulis, Deo dante, concordabimus. In introitu hodiernae missae cantatur: Exaudi, Domine, vocem meam. Et legitur epistola beati Petri: Omnes unanimes, quam in quattuor particulis volumus dividere et cum quattuor evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Omnes unanimes. Secunda: Qui enim vult vitam diligere. Tertia: Et quis est qui vobis noceat. Quarta: Dominum autem Christum.

I – De duarum navium statione secus stagnum Genezareth

3 – Dicamus ergo: Cum turbae irruerent in Iesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat

secus stagnum Genesareth et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatores autem descenderant et lavabant retia. Super hoc habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur quod Salomon disputavit super lignis, a cedro quae est in Libano usque ad hyssopum quae egreditur de pariete, et disseruit de iumentis et volucribus et reptilibus et piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis et ab universis regibus terrae, qui audiebant sapientiam eius. "Hyssopus, herba humilis et saxo haerens, Christi significat humilitatem, qui a cedro usque ad hyssopum disputavit, quia ab excellentia gloriae caelestis usque ad carnis humilitatem descendit. Aliter. Per cedrum quoque pravorum superbia designatur, unde: Vox Domini confringentis cedros. A cedro ergo usque ad hyssopum Christus disputat, quia superborum corda et humilium iudicat. Super lignis quoque disputavit dum in cruce pependit. Tunc enim cedrum, idest arrogantiam saeculi, inclinavit usque ad humilitatem hyssopi, idest ad stultitiam crucis. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est; iis autem qui salvi fiunt virtus Dei". MORALITER. Salomon disputavit super lignis etc. Nota quod in Paradiso fuerunt tria ligna: lignum scilicet, de quo vescebatur Adam, lignum vitae, lignum etiam scientiae boni et mali. Ista tria ligna sunt tres virtutes: memoria, voluntas et ratio. Fructus memoriae est delectatio; fructus voluntatis, bona operatio; fructus rationis, boni et mali distinctio. Disputare est diversa rationis mente perquirere, ut ad rei veritatem possit pervenire. Vir ergo iustus super his tribus lignis disputat, idest diversa mentis ratione perquirit: si thesauro memoriae bona Domini, quae sunt humilitas et paupertas Incarnationis, dulcedo praedicationis, Passio Christi, usque ad crucem obedientis, reposuit et reposita conservavit; si voluntate Deum et proximum diligit; si ratione inter bonum et malum discernit. Haec est disputatio viri iusti, qui etiam disputat a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete. Nota quod cedrus arbor est alta; huius "lignum iucundi odoris est; et immarcescibilis, nec a tinea umquam exterminatur"; 'odore suo fugat serpentes'; in igne positus corrugatur. Cedrus est vita viri iusti: alta sanctae conversationis celsitudine, odorifera exemplo bonae famae, immarcescibilis propositi sancti firmitate, inexterminabilis a 'tinea mortiferae concupiscentiae', fugans daemones mentis compunctione et reprimens motus carnis maceratione; corrugatur, idest abbreviatur a propria voluntate, in igne obedientiae. Ista cedrus est in Libano, "quae interpretatur candidatio", quia vita viri iusti in interioris et exterioris munditiae consistit candore. Disputat ergo a cedro usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete. In hyssopo, humilitas; in pariete, 'qui a parilitate, idest aequalitate, dicitur', unitas sanctorum designatur. A cedro ergo vitae suae vir iustus disputat, idest mente pertractat, si sua vita usque ad humilitatem et unitatem sanctorum pertingat.

4 – Sequitur de Christo. Et disseruit de iumentis etc. In iumentis, gulosi et luxuriosi; in volucribus, superbi; in reptilibus, avari; in piscibus curiosi designantur. Tunc de iumentis disseruit, cum dixit: Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitae. De volucribus, cum ait: Volucres caeli habent nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. De reptilibus, cum dixit: Notite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur etc. De piscibus, cum ait: Vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui circuitis mare et aridam, "idest totum orbem", ut faciatis unum proselytum, "proselyti sunt de gentibus in Synagogam recepti", et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos. "Dum enim videt vitia vestra, revertitur gentilis factus, et praevaricatione maiori poena dignus est". Sequitur: Et

veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis. Et hoc est quod dicitur in hodierno evangelio: Cum turbae irruerent ad Iesum ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Quod "a proprietate dicitur laci, quasi generans auram, quia crispantibus undis de se auram emittit". "Stagnum – 'lacus qui non fluit dictum, quod ibi aqua stet' – praesens saeculum significat", in quo sunt ebullitiones, quae generant auram mundanae laudis, breviter transeuntem. Unde Psalmus: Periit memoria eorum cum sonitu, idest plausu et favore mundano. Et sicut in stagno aquae coercentur, ut non effluant, sic in mundo libertas peccantium restringitur, ut non quantum velint in deliciis delectentur. Unde in Luca dicitur, quod 'filius prodigus cupiebat implere ventrem de siliquis porcorum, et nemo illi dabat'. 'Per siliquas porcorum diversas delectationes intelligimus peccatorum, quibus maligni spiritus tamquam porci incrassantur'. Quae aliquando cupienti non dantur. Frequenter enim homo plus peccat quam diabolus suggerat. Praevenit enim homo frequenter diabolum, cum a diabolo non praevenitur. Unde Ezechiel: Dabo te in manibus filiarum Palaestinarum, quae erubescunt in via tua scelerata. Grandis pudor, quod 'diabolus de peccato hominis erubescit', quod ei non suggerit, cum homo miser de peccato proprio non erubescit.

5 – Stabat ergo Iesus secus stagnum, idest hoc saeculum, ut saeculi amatoribus praedicaret Dei verbum. Secus stagnum stetit, quia in hoc saeculo existens saeculi gloriam, quae est tamquam lacus absorbens, contempsit et contemni docuit. Unde super hoc habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur, quod Elias reperit Eliseum, filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum, et ipse in duodecim iugis boum arantibus unus erat. Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum; qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, et ait: Osculer, oro te, patrem meum et matrem meam, sic sequar te. Dixitque ei: Vade et revertere, quod enim meum erat feci tibi. Reversus autem ad eum, tulit par boum et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo et comederunt. MORALITER. "Redemptor noster, descendens de caelo, divino iudicio acquisivit populum, adhuc terrenis operibus inhiantem, in quo salutem fecit, cum eum ad fidem convertit. Elias enim interpretatur Dominus Deus, Saphat iudicans, Eliseus Dei mei salus. Super quem propheta pallium suum misit, cum Dominus populum fide catholica induit. Unde Apostolus: Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. Relictis bobus cucurrit post Eliam, quia electorum chorus, audito: 'Nisi quis renuntiaverit omnia quae possidet non potest meus esse discipulus', statim cessavit terrenis lucris inhiare, saecularibus desideriis desservire, et sic aliis verbum vitae praedicavit. Hoc est enim osculari patrem et matrem: quoscumque potest, sive de iudaeis sive de gentibus, sermone velle corrigere". Tulit par boum etc. Per quod carnem et spiritum intelligimus, quorum carnes, idest carnales concupiscentias, in aratro, idest cordis contritione, coquere debemus et populo dare, ut comedant; ut quos mala vita scandalizavimus, verae poenitentiae exemplo reficiamus.

6 – Sequitur: Et vidit duas naves stantes etc. Nota quod istae duae naves sunt Ierusalem et Babylonia, Paradisus et Aegyptus, Abel et Cain, Iacob et Esau, idest congregatio vere poenitentium et nefanda collectio saecularium. In his enim duobus omnes homines dividuntur. Istae sunt duae mulieres meretrices, de quibus habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur, quod venerunt duae mulieres meretrices ad regem Salomonem – "Merito ad illum meretrices venerunt, quem postmodum deceperunt" –; quarum una ait:

Obsecro, mi domine, ego et mulier haec habitabamus in domo una, et peperi apud eam in cubiculo. Tertia vero die postquam ego peperi peperit et haec. Et eramus simul, nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppressit eum. Et consurgens intempestae noctis silentio, tulit filium de latere meo, ancillae tuae dormientis, et collocavit in sinu suo; suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Cumque surrexissem mane, ut darem lac filio meo, apparuit mortuus. Quem diligentius intuens clara luce deprehendi non esse meum, quem genueram. Responditque altera mulier: Non est ita, ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris, filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. Tunc rex ait: Afferte mihi gladium. Cum attulissent gladium coram rege, Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni et dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius erat vivus ad regem, commota sunt quippe viscera eius super filio suo: Obsecro, domine, date illi infantem vivum et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur. Respondit rex et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur; haec est enim mater eius. "Meretrices sunt dictae a merendo stipendia libidinis". Istae duae meretrices duas significant vitas, vere poenitentium scilicet et carnalium. Sed attende diligenter quod vitam poenitentium dicimus per meretricem figurari non pro eo quod meretrix sit, cum iam ad suum sponsum sit conversa, sed pro eo quod meretrix fuit, dum diabolo adhaesit. Simile quid habes in Luca: "Cum esset, inquit, Iesus in domo Simonis leprosi, non quia tunc leprosus erat, sed quia ante fuerat". "Hae vitae sunt illae duae virgae, de quibus dicit Zacharias: Et assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum". Nota quod vita poenitentium dicitur virga et decor. Virga quia sub disciplinae rigore posita; decor, quia lacrimis ab omni lepra peccati mundata. Vita carnalium dicitur funiculus, quia peccatorum suorum funiculis constricta. Quanta vero mala Cain Abel, Esau Iacob, carnales poenitentibus inferant, ostenditur, cum subinfertur: Ego et mulier haec habitabamus in domo una etc. Ecce duae naves stantes in stagno. Stagnum et domus mundum significant, in quo istae duae mulieres habitant. Pariunt poenitentes, pariunt et carnales. Sed in tertio die poenitentes pariunt opera lucis, heredem vitae aeternae, in cordis amaritudine, de quorum partu dicitur: Mulier, cum parit, tristitiam habet. Pariunt et carnales opera tenebrarum, filios gehennae in carnis gaudio, de quibus dicit Salomon in Parabolis: Laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. Et hoc in tertio die; ex adulterina enim diaboli suggestione, primo concipiunt in consensu mentis; deinde portant in propositum malae voluntatis; tertio parturiunt peccatum in effectu operis. Et eramus, inquit, simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. In mundo enim insimul habitant. Unde Iob: Frater fui draconum, et socius struthionum'. In area est granum cum palea; in torculari, vinum et vinacia, oleum et amurca. Sequitur: Mortuus est autem filius mulieris huius etc. Opus carnalium moritur, cum per subsequentem culpam suffocatur. Nocte pravae intentionis, caecitate mentis, interficitur filius huius mulieris: Dormiens quippe oppressit eum. Qui dormiunt nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt. Et consurgens intempestae noctis etc. 'Intempesta dicitur importuna, quando nihil potest agi, et omnia quieta sunt. Nam tempestivum est opportunum. Vel, intempesta, nox alta et obscura vel media'. Hanc auctoritatem sic exponit beatus GREGORIUS, de carnalibus doctoribus, qui "dum quod dicunt facere negligunt, per somnum corporis auditores suos occidunt, et negligendo opprimunt, quos

alere verborum lacte videbantur. Unde dum reprehensibiliter vivunt, et habere discipulos laudabilis vitae nequeunt, alienos sic attrahere conantur, ut dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quae agunt, et subditorum vita mortiferam tegant negligentiam. Unde mulier, quae filium extinxit proprium, quaesivit alienum. Sed matrem veram Salomonis gladius invenit, quia cuius fructus vivat vel intereat, extremo examine, ira iudicis examinabit vel demonstrabit. Et notandum quod vivens filius prius dividi praecipitur, ut soli postmodum matri reddatur, quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa alter apud Deum meritum, alter apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater, quem non genuit occidi non timuit, quia arrogantes magistri et caritatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidia enim succensi nolunt aliis vivere, quos se conspiciunt non posse possidere. Unde: Nec meus sit nec istius. Quos enim sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Sed vera mater satagit, ut eius filius saltem apud extraneum sit et vivat, quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis alii magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitae non amittant. Per quae pietatis viscera, haec eadem vera mater cognoscitur, quia omnino magisterium in examine caritatis approbatur. Sola totum recipere meruit, quae quasi totum concessit; quia fideles praepositi, pro eo quod ex bonis discipulis non solum aliis laudem non invident, sed etiam utilitatem profectus exorant, ipsi integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo iudicio ex eorum vita perfectam retributionem assequuntur". His de duabus navibus et earum concordantiis descriptis, ad sequentia accedamus.

7 – Sequitur: Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Nota quod ab utraque nave, poenitentium scilicet et carnalium, piscatores descendunt. Poenitentes enim descendunt ab eo quod sunt per gratiam ad id quod sunt per naturam, de gradu scilicet excellentioris vitae ad considerationem fragilitatis propriae. Carnales etiam a tumore superbiae descendunt ad cinerem poenitentiae. Et lavabant, inquit, retia. Ibi dicit GLOSSA: "Lota retia plicat qui intermisso praedicandi officio, quod alios docuit ipse implere satagit". Unde in introitu hodiernae missae exorat dicens: Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavit ad te. Adiutor meus esto; ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Nota quod Petri navicula, poenitentium vita, merito ad sponsum conversa, tria petit, scilicet exaudiri, non derelinqui, neque despici. Exaudiri in orationis tempore, non derelinqui in hostium persecutione, non despici pro transacta iniquitate. Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae, in qua beatus Petrus naviculae sibi commissae filiis loquitur, dicens: Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. Petrus naviculam sibi commissam feri maris fluctibus concuti, ventis et periculis exponi, tamquam providus nauclerus, eidem, ut ad portum quietis incolumis perveniret, arborem et velum, gubernaculum et ancoram, remos hinc et inde mirabili fecit magisterio. Ait enim: Omnes unanimes, ecce arbor in medio navis, unanimitas scilicet fidei et cordis in Ecclesia: Erat illis cor unum et anima una. Compatientes, ecce velum. Sicut enim velum trahit navem, sic compassio trahit te ad tui proximi necessitatem. Unde Apostolus ad Corinthios: Si compatitur unum membrum, compatiuntur et omnia membra. Fraternitatis amatores, ecce gubernaculum. Sicut enim

gubernaculum recte navem dirigit, in obliquum declinare non permittit, in quo maior vis navis ad portum deducendae consistit; sic amor fraternitatis congregationem fidelium regit, ne oberret, et ad portum securitatis perducit. Quia ubi caritas et dilectio, ibi sanctorum est congregatio. Misericordes, ecce ancora. Ancora dicta quasi anca, idest curva. Sicut enim ancora sua curvitate capit, et 'dum capit capitur', et capta navem retinet, sic misericordia, dum ex corde capit proximum, capitur a proximo, et dum detinet detinetur, dum ligat ligatur; ex qua ligatione navis, idest anima, nec undis tentationum, nec flatibus suggestionum a sui quietis stabilitate commovetur. Modesti, humiles, ecce remi a dextris; non reddentes malum pro malo, sed e contrario benedicentes, ecce remi a sinistris. Istis octo si nostra navis fuerit praeparata et ornata recto cursu ad benedictionem aeternae hereditatis, ad portum perpetuae quietis poterit pervenire. Quod nobis praestare dignetur, qui est benedictus et gloriosus per aeterna saecula. Amen.

II – De Christi in navem Simonis ascensione

8 – Sequitur secundum. Ascendens autem in unam navem, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum; et sedens docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum et laxate retia vestra in capturam. Super hoc habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur quod classis regis Salomonis per mare ibat in Tharsis, deferens inde aurum et argentum et dentes elephantorum et simias et pavos. Classis Salomonis et navis Simonis idem significant. "Navis dicta, quod navum, idest peritum rectorem, quaerat; qui gubernare novit propter marina pericula et casus. Unde est illud in Parabolis: Intelligens gubernacula possidebit". "Navis est Ecclesia Iesu Christi, commissa curae Petri", quae peritum, non fatuum, rectorem, non vastatorem, quaerit, ut se inter pericula defendere possit. Haec est classis Salomonis, quae per mare huius mundi vadit in Tharsis, "quae interpretatur exploratio gaudii", idest ad illos qui gaudium mundi explorant, ut in ipso gaudeant. 'Per aurum, humana sapientia; per argentum, philosophica eloquentia'; "per dentes elephantorum, doctores fortes, parvulis cibum verbi masticantes; per simias, actus humanos imitantes, sed bestialiter viventes, qui ad fidem ex gentibus veniunt, qui fidem tenere videntur et operibus negant; per pavos, quorum caro, si siccata fuerit, imputribilis permanere dicitur, qui pennarum pulchritudine vestiuntur, perfecti, igne tribulationis decocti, adeo ut variis virtutibus decorentur, significantur. Haec de Tharsis, videlicet de amaris fluctibus saeculi, praedicatione Ecclesiae, ad Salomonem nostrum Iesum Christum, deferuntur"

9 – MORALITER. Classis Salomonis est mens poenitentis, quae per mare, idest amaritudinem contritionis, vadit in Tharsis, idest ad explorandum quid commisit et omisit, peccatum et circumstantias peccati; unde venit, ubi existit et quo vadit, quantum ista caro misera sit fragilis et mundi prosperitas fallibilis et labilis. Unde in Genesi, dixit Ioseph ad fratres suos: Exploratores estis; ut videretis infirmiora terrae, idest fragilitatem et infirmitatem carnis suae, quotidie in amaritudine animae suae considerant. Isti sunt exploratores Iosue, quibus ipse dixit: Ite, et considerate terram, urbemque Iericho. "Iericho interpretatur luna, et significat defectivam mundi prosperitatem", quam viri iusti, explorantes ad exprobrandum, in ea non inveniunt nisi amaritudinem et dolorem. Ex hac igitur exploratione secum deferunt aurum, argentum etc. In auro, conscientiae depuratio; in argento, laudis confessio; in elephantorum dentibus, sui accusatio et reprehensio; in

simiis, propriae foeditatis consideratio; in pavonibus gloriae praeteritae abiectio designatur. De primis duobus dicit Iob: Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur. 'Principium venarum est cor hominis'. A corde ergo hominis debet exire argentum, idest confessio divinae laudis. Sed dixit Ieremias: Prope es tu, Domine, ori eorum, sed longe a renibus eorum. Cor carnalium est in renibus, idest luxuriis, et laus Dei in eorum labiis. Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Principium venarum, a quo debet defluere argentum, longe est a Deo. Quomodo ergo argentum confessionis dulce resonabit in aure Omnipotentis, qui dicit: 'Fili, da mihi cor tuum', et: 'Ad cor respicit Deus?' Et auro locus est in quo conflatur. Gloria conscientae nostrae depuratur in conflatorio examinationis propriae. Hic est locus auro, non hominum lingua, in qua si aurum conflatur consumitur. Miser est qui plus credit linguae alienae quam conscientiae propriae; plerique famam, conscientiam pauci verentur. Quam magnum, non laudari et esse laudabilem!

10 – De accusationis et reprehensionis dentibus dicit Iob: Lacero carnes meas dentibus meis. Carnes dentibus lacerat qui carnalitatem suam digna reprehensione accusat. Et nota quod recte viri poenitentes significantur per elephantes, "quibus inest clementiae bonum; quippe si per deserta vagabundum hominem viderint, ductus usque ad notas vias praebent; vel si consertis pecoribus occursitent, itinera sibi blanda et placida manu faciunt. Natu maximus ducit agmen, aetate proximus cogit sequentes. Flumen transituri minimos ante se mittunt, ne maiores ingressu alveum atterant, et profundum gurgitem pressis vadis faciant". Similiter clementiae bonum est viris iustis; errantem enim ad viam reducunt; pecoribus, idest simplicibus, blanda et placida operationis manu, viam per quam illaesi pergant faciunt; exemplo et verbo duces aliorum fiunt; per flumen huius vitae ad patriam transituri, minimos ante se mittunt, quia incipientibus, qui adhuc ad robur sanctitatis non pervenerunt, misericorditer compatiuntur, ne, si perfectorum austeritatis via teneriores incesserint, ab incepto opere lassati deficiant. Item, in simiis, foeditatis vel turpitudinis commissae consideratio designatur; quia simiae cauda carent, qua foeditatis suae turpitudinem operiant. Sic veri poenitentes excusationis causam non habent, qua peccata sua pallient, sed nude et aperte, non hominum sed solius Dei erubescentes aspectum, turpitudinem, quam commiserunt, detegunt. Item, in pavonibus gloriae temporalis abiectio designatur. Unde notantum, quod "pavo eicit suas pennas cum prima arbore eiciente sua folia. Et post ei nascitur pluma, cum arbores incipiunt primo follificare". Prima 'arbor fuit Christus, quae plantata fuit in horto voluptatis, idest utero beatae Virginis. Huius arboris folia ipsius sunt verba', quae cum praedicator in praedicatione eicit et peccator ipsa suscipit, pennas, idest divitias, abicit. In generali vero resurrectione, qua omnes arbores, idest omnes sancti, incipient virescere, tunc ille, qui temporalium pennas abiecit, immortalitatis plumam recipiet. Et sicut in pennis pavonis est pulchritudo, et in pedibus turpitudo, per quorum considerationem reprimitur, ut ita dicam, eius pulchritudo, sic poenitentes huius saeculi gloriam abiciunt, per suae vilitatis et incinerationis recordationem. Tales merces viri poenitentes deferunt, dum se et sua quotidie explorare non desinunt.

11 – Dicamus ergo: Ascendens autem in unam navem, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Rogat Dominus Ecclesiae suae praelatum, ut a terra ipsam reducat pusillum, idest, sibi commissos ad gubernandum "ab amore terrenorum"

abstrahat. Sed si terrae adhaeret et gibbosus est et ad terram incurvatus, quomodo alios a terra reducet? 'Moyses quando cum uxore et filiis, ut dicitur in Exodo, proficiscebatur in Aegyptum, ut educeret populum Israel, angelus voluit eum interficere; sed quando uxorem et filios suos reliquit, dimisit eum angelus'. Sic praelati et sacerdotes nostri temporis, qui per Moysen designantur, habent uxores et filios ad litteram, reptilia post sacerdotes clamantia: Vae, vae. De quibus dicit Isaias: Pulli asinorum commixtum migma comedent. 'Migma hebraeum est, idest mixtura, palea minuta frumento permixta'. Substantia enim sacerdotis hodie ex duobus est commixta, ex palea scilicet terrenae negotiationis et frumento ecclesiasticae oblationis. Tale migma comedunt pulli asinorum, idest filii sacerdotum. Hi cum uxore et filiis volunt liberare populum Dei de captivitate diaboli. Sed occurret eis Dominus et occidet eos, nisi uxorem et filios a se separaverint. Quibus separatis, dicet Dominus: Reduc navem a terra pusillum.

12 – Sequitur: Et sedens docebat de navicula turbas. Super hoc habes concordantiam in tertio libro Regum: Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis. Qui habebat sex gradus; et summitas throni rotunda erat, in parte posteriori, et duae manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant iuxta manus singulas; et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde: Non est factum tale opus in universis regnis. Nota quod haec auctoritas tribus modis potest exponi: primo de Ecclesia, secundo de anima, tertio de beata Virgine Maria. De Ecclesia, sic. "Solium Salomonis Ecclesia esse intelligitur, in qua pacificus noster, regnans, iudicia sua facere dignoscitur. Bene de ebore factum esse memoratur; quoniam elephans, cuius haec ossa sunt, inter quadrupedia sensu plurimum valet, et temperanter miscetur feminae suae, et coniuge secunda non utitur. Hoc pudicis aptatur, qui per castitatem Christi praecepta sequuntur. Hanc vestivit auro, quia splendorem gloriae suae in ea per miracula clarescere fecit. Sex diebus perfecit Deus mundi ornatum, qui numerus perfectione sua perfectionem operum significat. Septimo requievit Deus. Et quia sex aetatibus mundus constat, in quibus licet operari, quisquis caelestem patriam desiderat, bonis operibus festinet ascendere. Rotunditas throni in posteriori significat requiem aeternam, quae post hanc vitam sanctis futura est, ubi quisquis hic bene laborat, mercede remuneratus, perenni quiete perfruetur. Manus tenentes sedile significant solatia divinae gratiae, quae Ecclesiam ad caeleste regnum provehunt. Ideo duae, quia in utroque Testamento hoc praedicatur, quia nonnisi divino adiutorio aliquid boni perfici potest. Per leones duos patres utriusque Testamenti figurantur, qui fortitudine animi sibi et aliis dominari didicerunt. Hi iuxta manus stabant, quia sancti patres quidquid boni fecerunt non sibi sed Deo imputaverunt. Unde: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Per duodecim leunculos praedicatorum ordo, apostolicam doctrinam sequens, significatur. Hi supra sex gradus hinc atque inde stant, quia bonorum operum gressus hinc et inde doctrinis et exemplis munire certant".

13 – Fecit rex Salomon etc. Nota quod ad aliquod opus faciendum duo sunt necessaria, sapientia scilicet et virtus: sapientia disponitur, virtute consumatur. Iesus Christus, 'qui est Dei virtus et Dei sapientia', fecit sibi thronum, in quo requiesceret. Thronus est anima cuiuslibet iusti, quam sua sapientia Iesus Christus creavit, cum non esset; sua virtute recreavit, cum perdita esset. Fecit ergo thronum, ut in ipso requiesceret, quia "anima iusti sedes est sapientiae", et per Isaiam dixit: 'Ad quem respiciam, nisi ad humilem et

quietum et trementem sermones meos?' Et Ecclesiasticus: Rex qui sedet in solio, dissipat omne malum intuitu suo. Sic Iesus Christus, rex regum, sedet in solio, idest requiescit in anima; 'dissipat omne malum carnis, mundi et diaboli intuitu suo, idest respectu gratiae suae'. Fecit, inquit, thronum de ebore grandem etc. Quid ebur, quid aurum fulvum, quid sex gradus, quid summitas rotunda et pars posterior, quid duae manus et sedile, quid duo leones et duodecim leunculi significent, videamus. "Ebur a barro, idest elephante, est dictum". Unde notandum quod "inter elephantes et dracones iugis est discordia. Denique insidiae hoc astu praeparantur. Serpentes propter semitas delitescunt, per quas elephantes assuetis callibus evagantur, atque ita, praetermissis prioribus, postremos impetunt, ne qui antecesserant queant opitulari; primumque pedes nodis illigant, ut, laqueatis cruribus, gradiendi impediant facultatem. Elephantes vero arboribus vel saxis se applicant, ut, pondere nitibundo attritos, interficiant angues. Dimicationis praecipua est causa, quod elephantibus frigidior inest sanguis, et ob id a draconibus avidissime torrente captantur aestu. Quam ob rem numquam invadunt, nisi potu gravatos, ut, venis propensius irrigatis, maiorem sumant de oppressis satietatem; nec aliud magis quam oculos petunt, quos solos expugnabiles sciunt, vel interiora aurium". Elephantes sunt viri iusti; dracones, daemones, inter quos et viros iustos semper est discordia. Daemones pedibus, "idest affectibus", iustorum insidias ponunt, quibus ipsos angues iusti interficiunt. Inde enim necantur, ubi venenum infundere quaerunt. Ardens luxuria daemonum castitati sanctorum nocere studet, quam tunc maxime invadit, cum ipsos gulae deditos viderit, per ipsam enim castitatis frigiditas ignescit. Oculos super omnia petunt, quia ipsos noverunt esse prima iacula luxuriae. Vel oculos, idest rationem et intellectum, qui sunt oculi animae, prius petunt, ut ipsos eruant, et aures volunt obturare, ne verbum Dei possint audire. Bene ergo dicitur: Fecit thronum de ebore grandem. De ebore quoad castitatem, grandem quoad contemplationis celsitudinem. Vestivit eum auro fulvo nimis. Vestis animae est fides, quae tunc est aurea si caritatis claritate fuerit illuminata. De qua veste dicitur in libro Sapientiae: In veste poderis quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum. In veste fidei, per dilectionem operantis, debent esse quattuor elementa, ex quibus constat totus orbis: ignis scilicet caritatis, aer contemplationis, aqua compunctionis, terra humilitatis. Et habebat sex gradus, qui sunt peccati abominatio, ipsius accusatio, illatae iniuriae remissio, proximi compassio, sui et mundi despectio, finalis perserverantiae consummatio. Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori. Throni summitas est animae desiderium, quo ardet videre Deum, quae in posteriori parte, idest in fine suae vitae, erit rotunda, quia transibit de spe ad speciem. Unde in Psalmo: Posteriora dorsi eius in pallore auri. Posteriora columbae, idest animae, est beatitudo aeterna. Quae erit in pallore auri, idest contemplatione divinae maiestatis. Et duae manus hinc atque inde tenentes sedile, idest scabellum, quod erat aureum. Sedile est obedientia, quam tenent duae manus, memoria scilicet dominicae Passionis et recordatio propriae iniquitatis. Iuxta has duas manus stant duo leones, spes scilicet et timor. Spes iuxta manum dominicae Passionis, cuius exemplo libenter obedit, per quem sperat habere quod credit. Iuxta manum, idest recordationem propriae iniquitatis, stat leo timoris, minans periculum, si non obediat, aeternae mortis. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus, hinc et inde. Duodecim leunculi sunt illae duodecim virtutes, quas numerat Apostolus: Fructus, inquit, Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, castitas, continentia. Haec spiritus viri iusti, qui est quasi primus leunculus, in se habet.

14 – Fecit rex Salomon etc. Beata Maria dicitur veri Salomonis thronus. Unde ipse de ea dicit in Ecclesiastico: Ego in altissimis habito et thronus meus in columna nubis. Quasi diceret: Ego, qui in altissimis habito apud Patrem, elegi thronum in paupercula matre. Et nota quod beata Virgo, Dei Filii thronus, dicitur columna nubis: columna quia nostram fragilitatem sustentat, nubis quia a peccato immunis. Hic thronus fuit de ebore, quia beata Maria fuit candida innocentia, frigida sine libidinis ardore. In ipsa fuerunt sex gradus, qui notantur in evangelio: Missus est Gabriel. Primus fuit verecundia, ibi: Turbata est in sermone eius. Unde illud: "In adolescente verecundia, in iuvene hilaritas, in sene prudentia commendatur". Secundus, prudentia; non enim statim affirmavit vel negavit, sed cogitare coepit. Unde: Et cogitabat qualis esset ista salutatio. Tertius, modestia, ibi: Quomodo fiet istud ? Quartus, constantia in bono proposito, unde: Quoniam virum non cognosco. Quintus, humilitas: Ecce ancilla Domini. Sextus, obedientia: Fiat mihi. Iste thronus fuit vestitus auro paupertatis. O aurea paupertas gloriosae Virginis, quae Dei Filium pannis involvisti, in praesepio reclinasti! Et bene dicit vestivit; paupertas enim animam vestit virtutibus, divitiae vero expoliant. Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori. Beatae Mariae summitas fuit caritas, ob cuius meritum in posteriori parte, idest aeterna beatitudine, summum tenet locum, fine et principio carentem. Et duae manus hinc et inde tenentes sedile. Sedile, idest scabellum aureum, fuit humilitas beatae Mariae, quam tenuerunt duae manus, idest vita activa et contemplativa. Fuit enim quasi Martha et Maria. Martha fuit in Aegyptum iens et inde denuo rediens; Maria, quando 'conservabat omnia verba, conferens in corde suo'. Et duo leones, idest Gabriel et Ioannes evangelista, vel Ioseph et Ioannes; stabant hinc et inde iuxta manus: Ioseph iuxta activam et Ioannes iuxta contemplativam. Et duodecim leunculi, idest duodecim apostoli, hinc et inde eam venerantes et ei obsequentes. Vere, vere, tale opus non fuit factum in universis regnis, quia "nec similem visa est nec habere sequentem". 'Multae enim filiae congregaverunt divitias, beata Virgo Maria supergressa est universas'. Unde de ea dicit auctoritas: "Si sola Virgo tacuerit, nulla vox inter ceteros sonabit".

15 – Sequitur: Ut cessavit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. 'Altum superius et inferius dicitur', ad utrumque pertinet. Altum namque caelum et altum mare dicimus. Dicitur Simoni, idest cuilibet episcopo: Duc in altum. Et statim dicitur post suffraganeis: Laxate retia in capturam. Nisi enim navis Ecclesiae ducatur in altitudinem sanctae conversationis a praesule, sacerdotes retia in capturam non laxant, sed victimas in profundum declinant. Unde Osee: Audite haec, sacerdotes, quia vobiscum est iudicium; quoniam laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Thabor. Et victimas declinastis in profundum. Nota ista tria: laqueus, rete et declinastis, in quibus tria vitia, scilicet negligentia, avaritia, gula et luxuria, sacerdotum notantur. Negligentia, cum praemittitur: Laqueus facti estis speculationi. Sacerdotes dati sunt ad speculandum, sed eorum negligentia subditi 'incidunt in laqueum diaboli'. Avaritia, cum subinfertur: Et quasi rete expansum super Thabor. In monte Thabor transfiguratus fuit Dominus, et "interpretatur lumen veniens", et significat altare, in quo fit transfiguratio, idest transubstantiatio de specie panis et vini in corpus et sanguinem Iesu Christi, per quod sacramentum venit lumen in animas fidelium. In hoc monte Thabor sacerdotes, immo, ut verius dicam, mercatores, expandunt rete suae avaritiae ad congregandam pecuniam. Celebrant enim missas propter denarios, quos si se

recepturos non crederent, minime missam celebrarent; et fit sacramentum salutis instrumentum cupiditatis. Gula et luxuria, cum additur: Et declinastis victimas in profundum. Victimae sunt oblationes fidelium, quas in profundum, 'quod dicitur procul a fundo', idest gulam et luxuriam, declinant. "Victima dicta, quod ictu percussa cadat". Oblationibus enim fidelium, quos excoriant, eorum iumenta et pulli, focariae et filii impinguantur. Praeceptum fuit in Lege 'ut mamzer, idest de scorto natus, non ingrederetur in domum Domini'. Et ecce filii meretricum, non solum ingrediuntur, sed etiam bona domus Domini comedunt.

16 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Qui enim vult vitam diligere et videre dies bonos etc. Beatus Petrus hanc auctoritatem sumpsit de psalmo David, in qua tria continentur: gloria aeterna iustorum, vita poenitentium, poena male operantium. Gloria aeterna, cum dicit: Qui vult vitam diligere; vita poenitentium, ibi: Coerceat linguam suam; poena male operantium, cum subiungitur: Vultus autem Domini super facientes mala. In his enim sex consistit vera poenitentia. Coercere scilicet linguam a malo: "Virtutem primam esse puto compescere linguam; maledicam linguam indictum emendat silentium". Non loqui dolum: Domine, inquit, quis habitabit in tabernaculo tuo? Certe qui non egit dolum in lingua sua. Declinare a malo; hoc non sufficit nisi faciat bonum. Inquire pacem, idest intus, scilicet in te ipso quaere pacem; quam si inveneris, proculdubio cum Deo et proximo pacem habebis. Et sequi eam, finali scilicet perseverantia. Super hoc agentes sunt oculi misericordiae Domini et aures benignitatis eius ad preces eorum. Poena impiorum, cum addit: Vultus, idest vultuositas, Domini, super facientes mala. Haec tria, scilicet gloriam, poenitentiam et poenam, Iesus Christus, ascendens in naviculam, praedicavit turbis, et eius vicarius quotidie non cessat praedicare. Rogemus, carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum, ut in navem Simonis per obedientiam faciat nos ascendere, in throno eburneo humilitatis et castitatis residere, navem nostram a terrenis in altum contemplationis ducere, retia nostra in capturam relaxare, ut cum multitudine bonorum operum ad ipsum, qui est bonus et summus Deus, valeamus pervenire. Quod nobis praestare dignetur, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

III – De multitudine piscium conclusione

17 – Sequitur tertium. Et respondens Simon, dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adiuvarent eos; et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. 'Nox dicitur a nocendo oculis'; tenet enim oculos, ne videant. Qui in nocte laborat, nihil capit, immo aliquando capitur. Unde in Psalmo: Posuisti tenebras et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae. Cum nox, 'idest obscuritas peccatorum', fit in anima, tunc bestiae, "idest daemones", per ipsam transeunt, ipsam dilaniantes. Qui in nocte, idest huius vitae obscuritate, laborat, ut aliquid transitorium inveniat, nihil capit: ipsa enim temporalia nihil sunt. Unde Ieremias: Aspexi terram, et ecce vacua erat et quasi nihilum. Nihilum compositum est ex nihil et illum. Nihil enim post illum sequitur, qui hic terram vacuam amplectitur. Nihil nomen insubstantiale est, non res, et componitur ex non et illum. Nam

hoc illum nomen pro ullum veteres accipiebant. De hoc nihil dicit Isaias: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te; et quasi nihilum et inane reputatae sunt. Omnes gentes, idest gentiliter viventes, quasi non sint sic sunt coram Deo. Sunt per naturam, sed non per gratiam, quia male esse, non est esse; et qui a vero esse cecidit nihilum et inane potest reputari. Esse vere proprieque dicuntur quae nec intensione crescunt, neque retractione minuuntur, nec variatione permutantur. "Esse autem non habet contrarium, nisi non esse". Qui ergo intensione rerum temporalium crescit, retractione, idest caritatis defectu, minuitur; variatione, idest mentis instabilitate, permutatur; a vero esse cecidit, et quasi nihilum et inane reputatae sunt. Sequitur: In verbo autem tuo laxabo rete. Ibi dicit GLOSSA: "Nisi in verbo gratiae supernae, idest interiori inspiratione, laxata fuerint instrumenta praedicationis, frustra praedicator vocis suae iaculum mittit, quia fides populorum non in sapientia verbi compositi, sed divinae vocationis munere provenit. O vana praesumptio! O humilitas fructuosa! Qui nihil ante ceperant, magnam in verbo Christi concludunt multitudinem. Rumpitur rete prae multitudine piscium, quia modo cum electis tot reprobi intrant, quod ipsam Ecclesiam haeresibus scindunt. Rumpitur rete sed non labitur piscis, quia Dominus suos servat, etiam inter persequentium scandala". In verbo autem tuo, non meo, laxabo rete. Quotiescumque in meo laxavi, nihil cepi. Heu! Quoties in meo laxavi, mihi non tibi attribui; me non te, mea non tua praedicavi. Et ideo nihil cepi; et si cepi, non piscem sed ranam loquacem cepi, quae me laudaret, et hoc ipsum nihil fuit. In verbo autem tuo laxabo rete. In verbo Iesu Christi rete laxat, qui nihil sibi sed totum illi attribuit; qui secundum quod praedicat vivit. Quod si fecerit, comprehendet multitudinem piscium copiosam.

18 – Unde super hoc habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur, quod Elias ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram, posuit faciem suam inter genua sua; et dixit ad puerum suum: Ascende et prospice contra mare. Qui cum ascendisset et contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula, parva quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Et ecce caeli obtenebrati sunt, et nubes et ventus, et facta est pluvia grandis. Quid Elias, quid vertex Carmeli, quid pronus, quid terra, quid facies inter genua, quid puer, quid septem vices, quid nubecula et vestigium hominis, quid mare, quid nubes, ventus et pluvia significent, videamus. Elias est praedicator, qui debet ascendere in verticem Carmeli, "qui interpretatur scientia circumcisionis", et significat sanctae conversationis excellentiam, in qua homo bene scit a se omnia superflua circumcidere. Et pronus, ecce humilitas; in terram, ecce propriae infirmitatis recordatio; et posuit faciem suam inter genua sua, ecce praeteritae iniquitatis afflictio. Et dixit ad puerum suum: Ascende et prospice contra mare. "Puer, a puritate dictus", corpus significat praedicatoris, quod in puritate debet conservare. Hic puer debet prospicere contra mare, idest mundanos, peccati amaritudine infectos. Contra hos tunc prospicit, cum eorum vitiis in praedicatione contraria proponit. Debet enim septem vicibus prospicere, idest septem fidei articulos proponere; qui sunt: Incarnatio, Baptismus, Passio, Resurrectio, Ascensio, Spiritus Sancti missio et Adventus Iesu Christi ad iudicium, in quo peccatores iudicati, 'mittentur in stagnum ignis ardentis, ubi erit fletus et stridor dentium'. In hoc septimo articulo, quasi septima vice, mundanis poenarum timore percussis, de mari, idest eorum corde, videbit praedicator nubeculam parvam, idest quantulamcumque compunctionem, quasi vestigium hominis, per quod significatur gratia Iesu Christi. Quae cum menti peccatoris infigitur,

tunc procul dubio nubecula compunctionis ascendit et paulatim crescit et efficitur nubes magna, obtenebrans claritatem temporalium. Postea sequitur ventus vehemens confessionis: omnia radicitus eradicat vitia, et fit pluvia grandis satisfactionis, quae inebriat terram et germinare eam facit. Et sic praedicator concludit multitudinem piscium copiosam. Sequitur: Et annuerunt sociis qui erant in alia navi etc. Diximus superius, quod istae duae naves duas significant vitas, poenitentium scilicet et carnalium. Illi qui sunt in nave Simonis, idest obedientia et poenitentia, vocant illos qui sunt in carnali vita, ut veniant et se adiuvent. Simile quid habes in tertio libro Regum, quod 'Salomon misit ad Hiram regem Tyri, ut ei auxilium praeberet in templo Domini construendo'. Sic isti vocant carnales praedicatione, ut veniant, idest recedant a mundi vanitate, et eos adiuvent, idest operibus poenitentiae intendant. Et sic implebunt ambas naves, et aedificabitur templum Domino, idest et de istis et de illis templum in caelesti IerusaIem, vivis lapidibus, construetur.

19 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Et quis est qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Petrus poenitentibus, de mundi pelago rete praedicationis extractis, loquitur dicens: Si boni aemulatores, 'idest imitatores', fueritis illorum, qui vos ad poenitentiam vocaverunt, quis est qui vobis possit nocere? Quasi diceret: Nullus: nec homo nec diabolus. Et si quid patimini propter iustitiam, non propter culpam, beati, 'idest bene aucti', estis, quia vobis corona augmentatur. Timorem autem eorum ne timueritis, quia qui timet non est perfectus in caritate'. Et nota quod dixit: Timorem ne timueritis. Duplex est enim timor, rerum scilicet et corporum. Utrumque vero contemnit qui Deum diligit. Et non conturbemini, ut a stabilitate mentis vestrae moveamini. Et ideo non dixit turbemini, sed conturbemini, quia si corpus aliquando turbatur exterius, mens tamen solida et stabilis debet permanere interius. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dei Patris Verbum, ut in verbo suo, non nostro, rete praedicationis laxemus, ut de profundo vitiorum peccatores extrahere possimus et ad ipsum cum ipsis ascendere valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

IV – De Petri et sociorum eius stupefactione, et omnium quae habebant dimissione

20 – Sequitur quartum. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant; similiter autem Iacobum et Ioannem, filios Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere; ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. Petrus, sciens se peccatorem, tantae maiestatis presentia timuit aggravari, et ideo dixit: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Qui se peccatorem cognovit ad genua Iesu procidit. In quo duo notantur, scilicet timor pro peccatis, in eo quod dicit: procidit, spes de misericordia Redemptoris, in hoc quod dicit: ad genua Iesu. De quibus Dominus promittit poenitentibus per Isaiam: Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. "Ubera dicta quia uvida sunt, scilicet humore lactis". Nota quod duo sunt ubera: Incarnationis et Passionis. Primum fuit consolationis, secundum reconciliationis. Poenitentes nuper conversi, quasi mammothrepti, portantur ad ubera, ut

lacte Incarnationis consolentur, et sanguine, qui ab ubere, in monte Calvariae lancea aperto, exivit, reconciliati, ad passionem sustinendam animentur. Super genua etiam paternae benignitatis, tamquam mater filio, eis blanditur, ut certissime confidant, quia, qui ubera Incarnationis et Passionis eis propinavit, peccati remissionem et regni beatitudinem eisdem non negavit. Ait ergo: Exi a me, Domine etc. Ubi nunc est qui ex impenso sibi beneficio timeat aggravari ? Timuit Petrus. Sed nos, multorum conscii criminum, ad divinae maiestatis praesentiam irreverenter accedimus, nec timemus. Ibi quidem divinae est maiestatis praesentia ubi est corpus Christi, angelorum gloria, ubi Ecclesiae sunt sacramenta, ubi sancta tractantur mysteria. Haec quidem credimus, sed, tamquam obstinati in malitia, peccare non desistimus, et ideo dicit Dominus per Ieremiam: Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas? Certe non, immo accumulabunt. Stupor, inquit, circumdederat eum etc. Stupet Petrus et eius socii, in tanta captura piscium. Debemus et nos stupere in conversione peccatorum, sicut faciebant illi, de quibus in libro Iudicum, quod percussit Samson Philisthaeos ingenti plaga, ita, ut, stupentes, suram femori imponerent. 'Sura est posterior pars tibiae'. Cum Dominus percutit Philisthaeos, "idest daemones", et liberat Israel, idest animam, de manu eorum, stupentes suram femori debemus superponere. In femore, carnis delectatio, cui tunc suram superponimus, cum, exemplo peccatoris conversi, carnis delectationem carnis amictione reprimimus. Sequitur: Noli timere; ex hoc iam homines eris capiens. "Ex hoc. Idest: Hoc ad ipsum Petrum pertinet specialiter, cui exponitur quid captura significet piscium. Sicut tunc per retia pisces, sic per verba aliquando caperet homines". Vel, ex hoc, quia fuisti humilis, vitae tuae maculas erubescens, confessionem verecundia non reprimens, sed potius detecto vulnere remedium quaerens, eris homines capiens. Et subductis ad terram navibus, secuti sunt eum, relictis omnibus. Christus gigas geminae substantiae, cursor levis explicans vias suas, 'exultavit ad currendam viam' et negotium pro quo venerat ad perficiendum. Qui ergo vult eum sequi necesse est ut omnia relinquat, omnia deponat et postponat, quia 'currentem non potest sequi oneratus'. Unde dicitur in tertio libro Regum: Manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat. "Manus dicta, quasi munus", est gratia Dei, quae, cum sit super hominem, tale ac tantum munus ei confert, ut, scilicet accinctis lumbis, castitate currat, paupertate 'nudus nudum, pauper pauperem sequens Christum'.

21 – Unde huic quartae evangelii clausulae concordat quarta particula epistolae: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. Nota ista tria: Dominum, Christum et sanctificate. Dominus dicitur a dominatu. "Christus a chrismate", sanctus latine idem est quod Ögios graece, idest sine terra, in qua sunt quattuor: immunditia, insatiabilitas, obscuritas et fragilitas. Qui est sine terra, idest terrenorum amore, in quo est immunditia luxuriae, insatiabilitas avaritiae, obscuritas irae et invidiae, fragilitas inconstantiae, iste, procul dubio, tamquam humilis servus Dominum, tamquam verus christianus Christum sanctificat in corde suo. Fundamus ergo preces, fratres carissimi, ad ipsum Iesum Christum, ut det nobis, omnibus relictis, posse cum apostolis currere, ipsum in cordibus nostris sanctificare, qua ad ipsum, qui est sanctus sanctorum, mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est laudabilis, amabilis, dulcis et suavis, cui est honor et gloria per aeterna saecula. Dicat omnis poenitens anima, de stagno Genesareth eruta: Amen. Alleluia.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in dominica sexta post Pentecosten: Nisi abundaverit iustitia vestra, quod in tribus clausulis dividitur. In primis sermo de Ecclesiae praelatis et praedicatoribus et qualis eorum debet esse vita, ibi: In basibus templi erant scupta. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de iustitia hypocritarum et vere poenitentium, ibi: Nisi abundaverit, et ibi: Eligite vobis bovem unum. Item contra superbum religiosum, ibi: Si bos cornupeta fuerit. Item de iustitia poenitentium, ibi: Elias aedificavit altare. Item de Passione Christi, ibi: Quicumque baptizati sumus. Item de contemptu mundi et fuga in desertum, ibi: Fuge, dilecte mi. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra iracundos, ibi: Adonias filius Haggith. Hic de natura basilisci et ipsius significatione. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de quadruplici altari, ibi: Si offers munus tuum. Item sermo de devotione mentis, ibi: Facies altare ad adolendum thymiama. Item sermo de quadruplici munere et quadruplici fratre, ibi: Si offers munus tuum etc.

Exordium. Sermo de Ecclesiae praelatis et praedicatoribus

1 – In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Dicitur in tertio libro Regum, quod ‘in basibus templi erant sculpta cherubim, leones, boves et lora dependentia’. Nota quod tria ad fabricam domus sustinendam conveniunt, scilicet capitella, columnae et bases. “Capitella dicta, quasi capita columnarum”, fuerunt prophetae, de quibus dicitur in tertio libro Regum: Capitella quae erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant. “Per lilium superna claritas aeternae patriae et immortalitatis, floribus redolens, paradisi designatur amoenitas”, quam prophetae, apostolorum patres, in suis prophetiis nobis ediderunt. ‘Columnae fuerunt apostoli’, de quibus dicitur: Ego confirmavi columnas eius. Unde in tertio libro Regum ‘Salomon erexit columnas, unam vocavit Iachin, quod interpretatur firmitas, et alteram Booz, idest in robore’. ‘Per istas duas columnas apostoli designantur’, qui bene duae columnae dicuntur, quia bis post Christi Resurrectionem acceperunt Spiritum Sanctum: “primo in terra, ut diligeretur proximus, secundo e caelo, ut diligeretur Deus”. In Christi Resurrectione firmitatem, in Spiritus Sancti missione robur indeficiens acceperunt. ‘Bases sunt nostri temporis praelati et praedicatores, in quibus debent esse sculpta ista quattuor: cherubim, leones, boves et lora. In cherubim plenitudo scientiae et doctrinae, in leonibus terror potentiae, in bobus mansuetudo misericordiae, in loris vincula disciplinae designantur. Sint, obsecro, in basibus templi haec sculpta, scientia scilicet doctrinae, ut doceant, terror potentiae, ut corripiant, mansuetudo misericordiae, ut sustentent, vincula disciplinae, ut restringant’. De his quattuor dicitur in quarto libro Regum, ubi clamabat Eliseus: Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius. Pater mi ad docendum, Pater mi ad corrigendum, currus ad sustentandum, et auriga ad restringendum. Si haec quattuor Ecclesiae praelati et praedicatores in se sculpserint, vere illam abundantem iustitiam habere poterunt, de qua dicit Dominus in hodierno evangelio: Nisi abundaverit iustitia

vestra etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, apostolorum iustitia, cum praemittitur: Nisi abundaverit. Secundum, fratri irascentis et ipsum vituperantis condemnatio, cum adiungitur: Audistis quia dictum est antiquis. Tertium, fratris fratri reconciliatio, cum subinfertur: Si ergo offers munus tuum. Cum his tribus clausulis quasdam tertii libri Regum historias concordabimus. In introitu missae istius dominicae cantatur: Dominus fortitudo plebis suae. Et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: Quicumque baptizati sumus etc., quam volumus dividere in tribus particulis et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Quicumque baptizati. Secunda: Hoc scientes quia vetus homo noster. Tertia: Scientes quod Christus resurgens a mortuis.

I – De apostolorum iustitia

3 – Dicamus ergo: Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Iustitia pharisaeorum fuit ut manus non animus cohiberetur. Unde Iudaei non credebant peccatum esse in cogitatione, sed tantum in operatione. Iustitia apostolorum "spiritu consilii et gratia misericordiae Dei" abundans est, non tantum ut manus a malo opere, sed etiam animus cohibeatur a perversa cogitatione. Scribae et pharisaei, "qui interpretantur divisi", 'sunt hypocritae', qui, in oculis hominum scribentes, iniustitiam scripserunt, et quidam superstitiosi religiosi, 'qui, se iustos reputantes, ceteros aspernantur'. Istorum iustitia est in manuum et catinorum ablutione, in vestium compositione, in polita officinarum aedificatione, in multiplici institutionum et praeceptorum variatione. Iustitia vero vere poenitentium est in spiritu paupertatis, in amore fraternitatis, in gemitu contritionis, in amictione corporis, in dulcedine contemplationis, in despectu terrenae prosperitatis, in dulci amplexu adversitatis, in proposito perseverantiae finalis. De utraque illorum et istorum iustitia habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur quod Elias dixit prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis; et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal, exaudi nos. Et non erat vox neque qui responderet. Transiliebant altare quod fecerant. Cumque esset iam meridies, illudebat eis Elias, dicens: Clamate voce maiore; dominus enim vester est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magna et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Ecce qualis est iustitia pharisaeorum. De iustitia vero vere poenitentium qualis sit in sequentibus demonstratur. Elias, inquit, aedificavit altare de lapidibus in nomine Domini, fecitque aquaeductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris; et composuit ligna, divisitque per membra bovem. Iussitque super holocaustum et super ligna semel, iterum et tertio aquam infundere. Et currebant aquae circum altare, et fossa aquaeductus repleta est. Et, completa oratione, cecidit ignis Domini, et voravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam quae erat in aquaeductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam et ait: Dominus ipse est Deus.

4 – Hypocritae superstitiosi, prophetae Baal, "qui interpretatur superior aut devorator", eligunt sibi bovem, 'idest carnalem appetitum'. Hic est bos cornupeta, de quo dicitur in

Exodo: Si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius, et contestati sunt dominum eius, nec reclusit eum, occideritque virum aut mulierem: lapidibus obruetur et dominum illius occident'. Bos cornupeta est carnalis appetitus, qui 'cornu superbiae' interficit 'virum aut mulierem, idest rationem vel ipsius bonam voluntatem'; quem quia dominus eius, idest spiritus, noluit recludere, idest refrenare, ipse cum bove occidetur, quia corpus cum anima aeternaliter punietur. Audiant etiam hoc abbates et priores, qui si bovem cornupetam, idest monachum vel canonicum superbum, vinolentum et luxuriosum, habuerint, et noluerint eum recludere, ne malo suo exemplo virum vel mulierem scandalizaverit, et bos lapidibus obruetur, quia ille in iniquitate sua morietur, et abbas vel prior, quia eum noluit recludere, aeternaliter punietur. Sequitur: Et invocate nomina deorum vestrorum etc. Quot mortalia peccata habent, tot deos invocant et adorant, de quibus dicitur in Exodo: Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de Aegypto. Heu! quanti hodie sunt religiosi, qui deos quos adorabant in Aegypto, idest mundo, etiam adorant in deserto, idest religione vel claustro. Et quia carent igne caritatis, ideo horum sacrificium inutile est eis. De mane usque ad meridiem clamant dicentes: Baal, exaudi nos. Quid est ad Baal clamare, nisi superiorem esse appetere? Sed non est vox, neque qui respondeat eorum voluntati. Iterum etiam clamant maiore voce. Clamare est desiderare. Incidunt se cultris et lanceolis, idest ieiuniis et disciplinis; 'exterminant facies suas', ieiunant primo vigiliam, ut postea possint celebrare ventris festivitatem. In tempore Eliae prophetae Baal clamabant et non exaudiebantur. Temporibus vero nostris clamant et exaudiuntur. In superiori gradu praeferuntur, ut lapsu graviore ruant. Prius erat vox humilis, habitus vilis, venter subtilis, facies pallida, oratio palam assidua. Modo vero minis intonant; incappati, infulati incedunt; praeambulo ventre vadunt, facie rubicundi; somnus assiduus; oratio nulla. Veniet, veniet Elias et 'comprehendet prophetas Baal, et interficiet in torrente Cison'. Veniet Salomon et 'interficiet Adoniam, qui regnare voluit', 'et Semei, qui David maledixit', 'et Ioab, qui duos principes Israel, se meliores, interfecit'.

5 – Sequitur de iustitia poenitentium. Elias aedificavit altare etc. Elias est poenitens, qui "altare fidei, peccatis destructum, de lapidibus virtutum, reaedificat, in quo sacrificium laudis in odorem suavitatis offert. Fecit aquaeductum etc., ex contrito videlicet corde et humiliato spiritu, flumina producit lacrimarum pro timore gehennae et desiderio vitae aeternae. Ibi etiam componit ligna, quia sanctorum dicta et facta ad exemplum sibi assumit. Dividit etiam per membra bovem et ponit super ligna, cum omnes actus suos ad exemplum sanctorum patrum informare studet. Fundit etiam semel, iterum et tertio aquam super holocaustum et ligna, quia omni tempore cogitationes, verba et opera in conscientiae puritate et lacrimarum compunctione conservat. Et non prius cessat, quam fossae aquaeductus repleantur, idest donec futurum gaudium, praesenti moerori succedens perfecte compleatur. Sicque erit iuxta illud quod sequitur: Cecidit ignis de caelo et voravit holocaustum etc. Quando discrimen superni iudicis, dicta ac facta et totam vitam nostram perfecte examinans, probando nos sicut igne probatur argentum, immortales ac beatos factos, in sede collocabit perpetua, ut, ad instar Israelitarum, in aeternum gratulando canamus: Dominus ipse est Deus". Talis est iustitia iustificans poenitentes, de qua dicit Dominus: Nisi abundaverit iustitia vestra etc. Nota quod 'iustitia est qua, recte iudicando, sua cuique tribuuntur'; dicta quasi iuris status. Quinque tenetur quilibet exhibere iustitiam: Deo honorem, sibi ipsi cautelam, proximo dilectionem, mundo contemptum, peccato odium. Istis quinque illa quinque respondent, quae in

introitu hodiernae missae continentur: Dominus fortitudo plebis suae, et protector salutarium christi sui est. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae, et rege eos usque in saeculum. Si Domino honorem exhibueris, Dominus erit fortitudo tua. Si tibi ipsi pro posse cautelam adhibueris, protector in salutem tibi erit. Si proximum dilexeris, salvum te et ipsum faciet. Si mundum contempseris, tibi benedicet, qui es eius hereditas. Si peccatum oderis, te reget, cum quo vives in saeculum saeculi.

6 – Huic primae evangelii clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim [sumus] cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus. Ecce quinque partita iustitia. Nota quod 'de latere Christi exivit aqua et sanguis: aqua baptismatis et sanguis redemptionis'. Aqua propter corpus, quia 'aquae multae populi multi', sanguis propter animam, 'quia anima vivit in sanguine'. Totum Deo demus ergo, qui totum redemit, ut totum possideret. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, idest in fide Iesu Christi, in morte ipsius, idest in sanguine ipsius, mundati sumus. Unde in Apocalypsi: Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Nota quod 'sanguis extractus de latere columbae abstergit maculam sanguinis ab oculo'. Ipsi ergo honorem et reverentiam, quidquid sumus, quidquid possumus exhibere debemus, qui maculam sanguinis, idest peccati, abstersit a nostrae animae oculo sanguine suo. 'Columba nostra Iesus Christus, felle carens, gemitum et planctum pro cantu promens, latus suum aperiri voluit, ut sanguinis maculam caecis abstergeret', et exulibus portam paradisi aperiret. Nobis etiam cautelam exhibere debemus. Unde sequitur: Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, idest vitiorum mortificationem. "Sicut enim Christus, dolorem crucis sustinens, membra distenta et confixa habuit, in sepulcro quievit, humanis aspectibus subtractus fuit, sic nos, crucem poenitentiae sustinentes, membra confixa per continentiam habeamus, ne ad priora redeamus, a quibus ita perfecte quiescamus, ut nec eorum visio nec memoria habeatur". Item proximo exhibere debemus dilectionem. Unde sequitur: Ut quomodo surrexit Christus etc. Sicut Christus, resurgens a mortuis, discipulis apparuit, eorum tristitiam in gaudium convertit, sic nos, a mortuis operibus resurgentes in gloriam Patris, proximis congaudeamus, cum ipsis in vitae novitate ambulemus. Et quae est vitae novitas, nisi proximi caritas? Mandatum, inquit, novum do vobis, ut diligatis invicem. Et in Levitico: Novis supervenientibus, vetera proicietis, quae sunt irae, invidiae et cetera, quae numerat Apostolus.

7 – Item mundo contemptum et peccato odium exhibere debemus. Unde sequitur: Si enim complantati etc. Si enim de pomario Babyloniae, in quo falsi iudices Susannam invenerunt, transplantati fuerimus, et in horto sponsi, in quo ipse fuit sepultus, complantati fuerimus, tunc vere mundum contemnemus. Et quia ex contemptu mundi nascitur odium peccati, ideo addidit Apostolus: Similitudini mortis eius. Ubi mortis Christi similitudo, ibi peccati abominatio. Unde in Canticis: Fuge, dilecte mi, assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum. Fuge, dilecte mi, ecce mundi contemptus. Unde in Ioanne: 'Cum vellent Iesum rapere et eum regem constituere, fugit in montem'. Qui, cum quaereretur ad mortem, se quaerentibus obviam venit'. Fuge ergo, dilecte mi. Dicitur in Exodo, quod Pharao quaerebat occidere Moysen, qui fugiens de

conspectu eius, moratus est in terra Madian, et sedit iuxta puteum. Fuge et tu, dilecte mi, quia diabolus quaerit te interficere; et habita in terra Madian, "quod interpretatur de iudicio", ut terram tuam iudices, ne a Domino iudiceris; et sede iuxta puteum humilitatis, de quo hauries 'aquam in vitam aeternam salientem'. Fuge ergo, dilecte mi. Habes in Genesi quod dixit Rebecca ad Iacob: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te. Nunc ergo, fili, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran; habitabisque cum eo. Esau pilosus est mundus multis vitiis plenus. Hic minatur occidere te, fili. Fuge ergo, dilecte mi, ad Laban, "quod interpretatur dealbatio", idest Iesum Christum, qui 'super nivem te dealbabit' a peccatis, qui est in Haran, 'quae interpretatur excelsa', et ibi habitabis cum eo, 'quia in excelsis habitat Dominus'. Fuge ergo, dilecte mi. Assimilare capreae hinnuloque cervorum. 'Caprea dicta, quasi ardua capiens, acutum visum habet, ad alta nititur'. "Hinnuli, filii cervorum ab innuere dicti, quia ad nutum matris absconduntur". Per ista duo Iesus Christus, Deus et homo, intelligitur. In caprea, eius divinitas, quae omnia videt; in hinnulo, eius humanitas, quae, ad nutum suae matris, negotium, quod iam inceperat duodennis, usque ad triginta annos distulit, 'et venit cum illa Nazareth, et erat subditus illi'. Hic hinnulus dicitur cervorum, idest patrum antiquorum, e quibus carnis traxit originem. Assimilare ergo, dilecte mi, huic capreae, huic hinnulo, ut similitudini mortis eius complantatus, ascendere valeas super montes aromatum. Hoc est quod dicit Apostolus: Simul et resurrectionis erimus. 'Montes aromatum sunt excellentiae virtutum', quas qui habuerit, in generali resurrectione cum Christo gaudebit. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut operibus iustitiae abundare nos facias, quatenus mundum contemnere, similitudinem tuae mortis in nobis praeferre, in montes aromatum conscendere et tecum in gaudio resurrectionis gaudere valeamus. Te prestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De condemnatione fratri irascentis et ipsum vituperantis

8 – Sequitur secundum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis. "Mandatum Christi non est contrarium legi, sed latius legem in se continens. Qui non irascitur non occidit, sed non contra: licentia irascendi, causa homicidii. Tolle iram, et homicidium non fit. Ira est omnis malus motus ad nocendum; subitus autem motus, cui non consentitur, propassio est. Accedente consensu, passio est, mors in domo. Omnis qui irascitur fratri suo etc. Gradus sunt in istis peccatis. Primo est irasci et hunc motum animo retinere. Plus est si vocem commotio ipsa vel ista extorsit, qua feriatur ille cui irascitur. Plus etiam si certa vituperatio increpuit. Similiter gradus, in poena. Nam minus est iudicium, quando adhuc cum reo agitur et est defensioni locus. Plus est concilium, quando iudices inter se conferunt, quo supplicio damnent, quem constat esse damnandum. Plus est etiam gehenna, ubi nulla sententiae dilatio. Et ita quod propriis et certis modis exprimi non potuit, quibusdam similitudinibus distinctum est. His tribus, iudicio, concilio, gehena, diversae mansiones in aeterna damnatione, pro modo peccati, singulariter exprimuntur". Nota quod inter iram et iracundiam hoc distat: "ira enim praesens est, et ex causa nascitur; iracundia vero vitium naturale vel perpetuum". "Iracundus dictus, quod accenso sanguine in furorem compellitur. Ur enim graece, flamma latine dicitur, et ira in flamma est". "Raca verbum hebraeum, et interpretatur

cenos, idest vacuus aut inanis; quem, vulgata iniuria, absque cerebro possumus dicere. Qui ergo hoc dixerit fratri, qui Spiritu Sancto plenus est, luiturus est poenam iudicio sanctorum iudicum". "Fatuus est qui neque quod ipse vel alii fantur intelligit. Stultus vero hebes corde".

9 – Super his tribus habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur quod Salomon interfecit Adoniam, Semei et Ioab. Adonias filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currum et equites, et quinquaginta viros, qui ante eum currerent. Per Adoniam, "qui interpretatur Dominus dominans", intelligitur iracundus, qui tamquam dominus aliis vult dominari. Hic est filius Haggith, 'quae interpretatur meditatio'. Ex meditatione enim perversa nascitur iracundia, qua peccator elevatur, dicens: Ego regnabo. Quanta stultitia! Qui seipsum nondum bene regere novit, aliis praeesse cupit. Fecitque sibi currum etc. Currus linguam, equites verba, quinquaginta viri quinque corporis sensus significant. In maledicto volubilis linguae curru, gladio subnervando, igne comburendo, peccatoris animus effertur, cum ira succenditur. Currunt et discurrunt verba, tamquam equites impugnantia. Obediunt etiam quinque corporis sensus, felle iracundiae infecti: in oculis obscuritas, in auribus surditas, in manibus est crudelitas, et sic de singulis. Hic est ille homicida Zamri, de quo dicitur in tertio libro Regum, quod ingressus palatium, succendit se cum domo regia; et mortuus est in peccatis suis, quae peccaverat, faciens malum coram Domino. "Zamri interpretatur iste lacessens vel amaricans", et significat iracundum, qui se et domum regiam, idest animam suam, regio sanguine emptam, igne iracundiae succendit; et sic peccans mortaliter moritur coram Domino. Unde recte iracundus per basiliscum designatur. Et nota quod "basiliscus est serpens semipedalis longitudine, singulare malum in terris, qui flatu suo extinguit herbas, necat arbores, animalia et cetera occidit et incendit; ipsas etiam auras corrumpit, ita ut in aere nulla avium impune transvolet, infecta spiritu pestilenti. Sibilum etiam eius serpentes perhorrescunt, et cum acceperint fugam, quaeque quoquo possunt properant. Quidquid morsu eius occiditur non depascitur fera, nec attrectat ales. A mustelis tamen vincitur, quas illic homines inferunt cavernis, in quibus delitescit". Sic iracundiae veneno aliquis huius saeculi potens infectus, quasi basiliscus suae flatu malitiae extinguit herbas, idest pauperes; necat arbores, idest huius saeculi divites, mercatores et usurarios; animalia, idest suos domesticos, occidit et incendit. Ipsas etiam auras, idest vitam religiosorum corrumpit; 'ponit in caelum os suum et lingua eius transit in terram'. Sibilum eius etiam serpentes, idest amici et socii, eius malitiae conscii, perhorrescunt. Cuius cum incanduerit ira, quilibet fugam petit, quocumque, etiam porcorum stabulo, se abscondere properantes. Iste tam ferus dominus, tam a seipso alienus et spiritu diabolico inflammatus, a mustelis, idest pauperculis spiritu, qui eum non timent, quia nihil habent quod perdant, vincitur. Quos homines, humo pecuniae onerati, illuc accedere non audentes, inferunt cavernis, in quibus delitescit. Loquimini, inquiunt, ei, quia nos non audemus. Item, per Semei, qui maledixit David, intelligitur ille qui dicit fratri suo: Raca; per Ioab, ille qui dicit fratri suo: Fatue. Istos tres interfecit Salomon: Adoniam, quia regnare voluit, ecce ira; Semei, quia David maledixit, ecce raca; Ioab, quia meliores se gladio occidit, ecce qui fratri suo fatue dicit, quem gladio linguae percutit. Heu! quam saepe in his tribus mortaliter peccamus, et raro aut numquam confitemur!

10 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Hoc scientes, quia

vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum eo. Nota quod in hac particula ter ponitur peccatum; quod triplex cum in nobis destruitur, illa tria – qui irascitur, qui dixerit raca et qui fatue – in nobis destruuntur; tunc enim corpus peccati, idest congeries criminum, utpote irae et invidiae, dominante ratione, destruitur. Si vetus homo noster, idest animi impetus, clavis divini timoris crucifigitur – quo crucifixo –, ultra non serviemus peccato, scilicet indignationis, quia contra fratrem nostrum non indignabimur, sed in ipso Christum crucifixum venerabimur. Qui enim mortuus est, idest mortificatam habet voluntatem, iustificatus, idest iustus et liber, est a peccato illo; scilicet qui dixerit fratri suo fatue. Cessante enim causa, cessat et effectus. Deprecemur ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut a corde nostro iram auferat, tranquillitatem conscientiae nobis tribuat, qua proximum corde et ore et opere diligere, et ad ipsum, qui est pax nostra, valeamus pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De fratris fratri reconciliatione

11 – Sequitur tertium. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum. “Altare dictum, alta ara. Ara dicta, quod victimae ibi ardeant”. Nota quod ‘quadruplex est altare: superius, inferius, interius et exterius. Superius est Trinitas, de quo dicit Dominus in Exodo: Non ascendas per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua’. ‘In Trinitate enim non sunt faciendi gradus, ut Pater maior Filio, vel Filius minor Patre, vel Spiritus Sanctus credatur minor utroque’; sed aequaliter et simpliciter est credendum. “Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus”. Ne reveletur turpitudo tua, sicut revelata fuit Arii, ‘qui, effusis visceribus, turpiter vitam suam finivit’, eo quod ad altare per gradus ascendere voluit. Altare inferius, “Iesu Christi humanitas”, de quo ipse dicit in eodem Exodo: Altare de terra facietis mihi. Altare de terra Iesu Christo facit, qui eum veram carnem de Virgine Maria, quae fuit terra benedicta, accepisse credit.

12 – ‘Altare interius est devotio mentis’, de quo loquitur Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: Facies altare in adolendum thymiama, de lignis Setim, habens cubitum longitudinis et alterum latitudinis, et duos cubitos in altitudine; cornua ex ipso procedent. Vestiesque illud auro purissimo. ‘Setim est genus spinarum, e quibus lignum imputribile est’, quae ligna quanto accenduntur tanto duriora efficiuntur. Ligna Setim sunt cordis cogitationes, quae in se tria debent habere, scilicet ut sint tamquam spinae, peccatorum recordatione cor pungentes, ut sint imputribiles, idest suggestioni pravae non consentientes, et quanto igne tribolationis accenduntur, tanto in proposito sint firmiores. De talibus lignis fit altare Domino habens cubitum etc. ‘In longitudine, perseverantia; in latitudine, amor proximi; in altitudine contemplatio Dei designatur’. ‘Cubitus naturalis ad digitorum summitatem a cubito usque protenditur, quali Moyses arcam et altare mensuravit’. “Cubitus dictus, quod ad cibos sumendos ipso procumbamus”, quia in eo est manus. In cubito recta operatio designatur. Altare ergo, idest mentis devotio, debet habere rectam operationem in longitudine perseverantiae quoad se, in latitudine caritatis quoad

proximum, in altitudine contemplationis duos cubitos, idest duplicem perfectionem, quoad Deum, ut perseverantiae longitudinem, caritatis supernae latitudinem, ad ipsum referamus, a quo est omne bonum quod habemus. Hoc altare debet vestiri auro purissimo. Vestis devotae mentis est munditia aureae castitatis. Vestis dicta, quod statum hominis proprium vehit; sic munditia castitatis vehit statum mentis. Per inflexibilitatem enim castitatis cognoscitur rectitudo mentis. Ab hoc altari ascendit fumus incensorum intra sancta sanctorum, ubi est arca recondita. Ex compunctione enim mentis ascendit fumus thymiamatis, 'idest purae orationis', et pervenit ad caelum ubi Christus est in dextera Dei sedens.

13 – Item, altare exterius est carnis afflictio, de qua locutus est Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: Facies altare "holocausti" de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quattuor angulos ex ipso erunt, et operies illud aere. 'Holocaustum dicitur ab holon, quod est totum, et cauma, quod est incensio; inde holocaustum quasi totum incensum dicitur, quia integra tota hostia igni tradita consumebatur'. Altare holocausti est corpus nostrum, quod totum igne poenitentiae debemus incendere et ipsum in holocaustum Domini offerre; quod debet fieri de lignis Setim, idest membris luxuria incorruptis. Debet etiam habere quinque cubitos tam in longitudine quam in latitudine et tres in altitudine. In quinque cubitis, quinque plagae corporis Iesu Christi; in tribus, tres vices quibus flevit, idest super civitatem Ierusalem, super Lazarum et in sua Passione, designantur. Nota quod crux verae poenitentiae habet longitudinem perseverantiae, latitudinem patientiae, altitudinem spei paternae. In hac cruce crucifigamus corpus nostrum quinque plagis corporis Iesu Christi, quinque sensuum miserabilem delectationem mortificantes, pro perpetrata iniquitate, pro proximi scelere, pro gloriae dilatione plangentes et dolentes. Quattuor cornua in altari thymiamatis et holocausti sunt quattuor virtutes principales, animam et corpus decorantes, de quibus dicitur in libro Sapientiae: Sobrietatem et sapientiam docet et iustitiam et virtutem, "idest fortitudinem", quibus utilius nihil est in vita hominibus. Hoc altare praecipit Dominus cooperiri aere. In aere, quod sonorum est, intelligitur afflictio gemitus et doloris, quibus debet cooperiri corpus poenitentis.

14 – Istud est quadruplex altare, de quorum quolibet potest intelligi quod dicit Dominus in hodierno evangelio: Si ergo offers munus tuum ad altare etc. Nota quod sicut quadruplex est altare, ita quadruplex est munus et quadruplex est frater noster: est munus orationis, fidei, poenitentiae et eleemosynae. Frater noster dicitur quilibet proximus: Christus, angelus et noster spiritus. 'Si ergo offers munus orationis ad altare sanctae Trinitatis, et ibi recordatus fueris quod frater, idest proximus tuus, habet aliquid adversum te, si ipsum dicto vel facto laesisti, vel si quidquam mali in animo contra ipsum geris; si remotus est, vade, non pedibus sed animo humili te ei prosternas, in conspectu illius, cui oblaturus es; si vero praesens est, vade passibus pedum, veniam petendo'. Item, si offers munus fidei ad altare Humanitatis Iesu Christi, idest credis eum veram carnem de Virgine accepisse, et ibi recordatus fueris quod ipse frater tuus, qui tuam naturam pro te accepit, habet aliquid adversum te, idest recordare si es in mortali peccato; dum enim confiteris vocis sono, relinque ibi munus tuum, idest noli confidere de fide mortua, et vade prius reconciliari per veram poenitentiam fratri tuo, Iesu Christo. Item, si offers munus poenitentiae ad altare, idest carnis macerationem, et ibi recordatus fueris quod frater,

idest spiritus tuus, habet aliquid adversum te, idest, cum corpus affligis, recordare si spiritus tuus aliquo vitio maculatur, relinque ibi munus tuum, idest noli confidere de carnis afflictione, nisi prius mundaveris spiritum tuum ab omni iniquitate, et sic veniens offeres munus tuum. Item, si offers munus eleemosynae pauperibus, et ibi recordatus fueris quod frater tuus, idest angelus, gratia; creatione, qua et tu creatus, tibi a Deo commissus, ut orationes et eleemosynas tuas deferat in caelum, habet aliquid adversum te, idest conqueritur adversum te, quia, dum bona tibi suggerit, aurem obedientiae avertis, relinque ibi munus tuum, idest noli confidere de eleemosyna tua sicca, sed prius vade passibus amoris reconciliari per obedientiam angelo admonitionis, qui datus est tibi in custodem, et tunc veniens offeres per manus ipsius munus tuum, Deo acceptabile.

15 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Scientes quod Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domil nostro. Si subtiliter volueris inspicere in hac particula, quattuor supradicta altaria poteris invenire. Cum enim dicit: Christus resurgens, ecce altare Trinitatis. In hoc nomine Christus, ipse Filius resurgens; Pater per cuius gloriam, ut superius dictum est, Christus resurrexit: Mors illi ultra non dominabitur, quia vivens vivit Deo; Spiritus Sanctus enim est, qui vivificat. Et hi tres unum sunt. Cum vero addit: quod enim mortuus est, ecce altare humanitatis, quae pro peccato nostro mortua est semel in altari crucis. Cum autem adiungit: ita et vos existimate vos mortuos esse peccato, ecce altare holocausti, idest afflictio corporis mortificati. Quod sequitur: viventes autem Deo, ecce altare thymiamatis, idest devotio mentis, quam qui habet vere Deo vivit, in Christo Iesu Domino nostro. Per quem rogamus te, Pater, 'quem fecisti propitiationem pro peccatis nostris', ut per ipsum munera nostra suscipias, gratiam tuae et fraternae reconciliationis nobis tribuas, qua reconciliati in altari aureo, quod est in caelesti Ierusalem, munera laudis cum beatis angelis tibi Deo valeamus offerre. Te praestante, qui es trinus et unus Deus benedictus per aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen. Alleluia.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in dominica septima post Pentecosten: Cum turba multa esset cum Iesu, quod dividitur in tribus clausulis. In primis sermo de gratiae infusione, praedicatione et mentis humilitate, ibi: Cum caneret psaltes. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de fame Samariae, ibi: Congregavit Benadad. Item sermo allegoricus et moralis de civitate parva, a rege magno obsessa, et cetera quae sequuntur, et quid significent, ibi: Civitas parva. Item sermo de quinque libris Moysi et eorum interpretatione et significatione. Item sermo moralis de atrio, ostio, medio et oraculo templi, et de quattuor equis et eorum significatione, ibi: Suscepimus, Deus. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de Naaman leproso, in Iordane septies loto, et eorum significatione, ibi: Dixit Eliseus ad Naaman. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo allegoricus et moralis de Eliseo et filii Sunamitis resuscitatione et temporum signicatione, ibi: Surrexit Eliseus.

Exordium. De gratiae infusione in cor praedicatoris

1 – In illo tempore: Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent etc. Dicitur in quarto libro Regum: Cum caneret psaltes, facta est super Eliseum manus Domini, et ait: Haec dicit Dominus: Facite in alveo torrentis huius fossas et fossas. Haec enim dicit Dominus Deus: Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis; et bibetis vos et familiae vestrae et iumenta vestra. Cum psaltes, idest Spiritus Sanctus, egregius psaltes Israel, canit in corde praedicatoris, tunc fit super Eliseum, idest ipsum praedicatorem, manus Domini, munus potentiae conferens, ipsum in omnibus, ad quae manum suam miserit, coadiuvans. Facta est, inquit Ezechiel, super me manus Domini. Nisi iste psaltes prius cecinerit, lingua praedicantis obmutescit. Qui si cecinerit, tunc populo, cui praedicat, dicere poterit: Facite in alveo etc. "Torrens dicitur, quia siccitate torrescit, idest deficit". Torrens est peccator, in quo, cum exsiccatur humor gratiae, deficit a bono opere, de quo Zacharias: Numquid non iste est torris erutus de igne? "Torris lignum adustum est, quem vulgus titionem appellat"; est peccator, quem Dominus manu gratiae eruit de igne luxuriae. In alveo ergo torrentis, idest in corde vestro, o peccatores, qui estis torridi igne iniquitatis, facite fossas et fossas. Nota quod triplex est fossa, scilicet culpae cognitio, pro ipsa contritio, patientiae humiliatio. De prima dicit Dominus Ezechieli: Fili hominis, fode parietem, quia Dominus paratus est intrare, si modicum foramen in pariete invenerit, idest si tuam culpam cognoveris. En ipse, inquit sponsa in Canticis, stat post parietem nostrum, paratus intrare si foramen invenerit. Et in eodem: Dilectus meus misit manum suam per foramen, ad cuius tactum contremuit venter meus. Per foramen, idest cognitionem propriae culpae, mittitur manus divinae gratiae, ad cuius tactum venter, idest mens nostra carnalis, contremiscit. Timor, inquit, et tremor venerunt super me, quia manus Domini tetigit me. Commota est, inquit, et contremuit terra; et Saulus tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? De fossa contritionis dicit Isaias: Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius. Ingredere fide in petram, 'idest vulnera Iesu Christi', et abscondere in fossa humo, idest cordis contritione, quae te abscondet a facie formidinis, ante quam formidabunt filii maris huius saeculi, et a gloria maiestatis, idest maioris potestatis, sub qua omnis potestas conteretur. De fossa patientiae 'praeceptum fuit in Veteri Testamento, ut in altari fieret fossa unius cubiti, in qua reponerentur cineres sacrificii'. Ibi dicit GREGORIUS: 'Nisi in altari cordis nostri fuerit patientia, disperdet sacrificium boni operis veniens aura. Ubi enim patientia non amittitur unitas conservatur'. Facite ergo, o peccatores, in alveo cordis vestri, fossorio divini timoris, fossas et fossas, ut culpam vestram cognoscatis, cor conteratis, tribulationem in patientia sustineatis. Haec enim dicit Dominus: Non videbitis ventu neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis. Quasi diceret: Absque humano solatio cor peccatoris replebitur aquis gratiae septiformis, ex qua bibetis vos et familiae vestrae et iumenta vestra. Ecce quam larga gratia Domini, ex qua bibit anima et familia, idest ipsius animae affectus bibunt et iumenta, idest corporis sensus, qui tunc bibunt, cum animae in bono consentiunt. Vel bibunt homines et iumenta, idest iusti et peccatores, "ingeniosi et simplices". Haec est illa turba multa, quam Dominus septem panibus satiavit. Unde dicitur in hodierno evangelio: Cum turba multa esset cum Iesu.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Iesu Christi super turbam miseratio, cum praemittitur: Cum turba multa etc. Secundum, septem panum et pisciculorum turbae appositio et ipsius refectio, cum additur: Et responderunt ei discipuli sui etc. Tertium, septem sportarum de fragmentis adimpletio, cum subiungitur: Et sustulerunt quod supererat etc. Nota etiam quod in hac dominica et sequenti aliquas historias quarti libri Regum cum istius et sequentis evangelii clausulis, Deo dante, concordabimus. In introitu missae istius dominicae cantatur: Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. Et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus sancti evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Humanum dico. Secunda: Cum enim servi essetis peccati. Tertia: Nunc autem liberati a peccato.

I – De Iesu Christi super turbam miseratione

3 – Dicamus ergo: Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via, quidam autem ex eis de longe venerunt'. Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicitur, quod congregavit Benadad, rex Syriae, universum exercitum suum, et ascendit; et obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria; et tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. Et paulo post: Dixit autem Eliseus: Audite verbum Domini; haec dicit Dominus: In tempore hoc cras, modius similae uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariae. Quid Benadad et eius exercitus, quid Samaria et quid fames, quid caput asini et octoginta argentei, quid quarta pars stercoris columbarum et quinque argentei, quid Eliseus et similae modius, quid stater unus et duo modii hordei significent, videamus. 'Benadad interpretatur filius spontaneus', et significat Luciferum, qui, creatricis gratiae filius, sua sponte, nemine cogente, et ideo irrecuperabiliter, cecidit. Unde Isaias: Quomodo, idest irrecuperabiliter, cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? Hic est rex Syriae, "quae interpretatur sublimis vel humecta", idest illorum qui sunt in sublimitate superbiae et humore luxuriae. Iste cum exercitu suo obsidet Samariam. "Exercitus, ab exercitatione belli dictus", spiritus malignos significat, qui, diuturna bellandi consuetudine exercitati, animam impugnant. Cum tali exercitu obsidet diabolus Samariam, "quae interpretatur custodia", idest sanctam Ecclesiam vel fidelem animam, quae dum legem custodit ab ipsa custoditur.

4 – De qua civitate et ipsius obsidione dicit Salomon in Ecclesiaste: Civitas parva et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum et perfecta est obsidio. Inventusque in ea vir pauper et sapiens liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est illius pauperis. Nota, quid civitas, quid pauci viri, quid rex magnus, quid vallavit, munitio et obsidio, quid vir pauper, urbem liberans, primo allegorice deinde moraliter significent, videamus. "Civitas est Ecclesia, quae dicitur parva respectu malorum, qui multiplicati sunt super numerum bonorum". Unde Salomon: Perversi difficile corriguntur, et stultorum numerus infinitus. Perversi, idest in contrarium versi, dorsum et non faciem ad Deum vertentes, difficile corriguntur, idest, ad cor non redeuntes iustorum sensu, difficile reguntur; et ideo stultorum, 'qui

corde sunt hebetes', numerus infinitus. Multiplicasti, inquit Isaias, gentem et non magnificasti laetitiam. Et pauci in ea viri. In Ecclesia multae sunt feminae, idest molles et effeminati; sed, heu! pauci in ea viri, 'idest virtuosi'. Mulieres, idest molles praelati, inquit Dominus per Isaiam, dominatae sunt populi mei. Et Salomon in Parabolis: O viri, ad vos clamito. Sapientia ad viros non ad feminas clamat, quia sapor internae dulcedinis illum afficit, quem virtute strenuum, providentia circumspectum viderit. Sed pauci in ea viri; et ideo pauci qui saporem caelestis dulcedinis degustare possint. Omnes enim sunt, quasi feminae, mentis effeminatae in pretiositate vestium, in lautitiis ciborum, in lascivia servientium, in aedificiis domorum, in phaleris equorum: [hoc] aperte ostendit utrum sint feminae vel viri. Ecce quales apostoli, quibus Dominus Ecclesiam suam regendam commisit. Sequitur: Venit contra eam rex magnus etc. "Rex magnus est diabolus", de quo Iob: Ipse est rex super universos filios superbiae. Hic tria facit: vallat, extruit munitiones, et sic perficitur obsidio. 'Vallum fit de palis acutis'. Munitiones, quae vallo sunt munita, vel muris, opera, haeretici sunt, quasi pali acuti, oculis fidelium infixi. Munitiones sunt omnes falsi christiani. Vallo haereticorum et munitione falsorum christianorum diabolus obsidet Ecclesiam, in qua sunt pauci viri. Sed, nolite timere, pusillus grex, istam obsidionem, quia faciet Dominus cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Unde sequitur: Inventusque est in ea vir pauper. "Vir pauper est Christus": vir secundum divinitatem, pauper secundum humanitatem. Et vide quam bene concordant singula singulis. Iste dicitur vir, et illi viri; iste pauper, illi pauci. Sapiens, contra astutiam diaboli, liberavit urbem a vallo haereticorum et munitione carnalium, et sic per sapientiam suam destruet omnem munitionem. Sed valde dolendum est quod sequitur. Et nullus recordatus est hominis illius pauperis. Immo, quod peius est, dicunt ei in Iob: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; et, quod his deterius est, ipsum negantes, clamant cum Iudaeis: 'Nolumus hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro', 'qui propter homicidium et seditionem, quam fecerat in civitate, missus fuerat in carcerem'. Hic est diabolus, qui, propter seditionem, quam fecit in caelo, detrusus fuit in infernum. Istum latronem sibi dari expetunt, et Dei Filium, qui eos liberavit, crucifigunt. Et ideo: Vae animae eorum, quoniam reddita sunt eis mala!

5 – MORALITER. Civitas est anima, quae bene dicitur parva, quia fere iam omnes, ipsam deserentes, ad planitiem, idest corporis voluptatem, inhabitandam descenderunt. Unde dicitur in Genesi, quod Lot, divisus ab Abraham, moratus est in oppidis, quae erant circa Iordanem. "Lot declinans, Iordanis descensus", "Sodoma pecus silens" interpretatur. Miser homo, cum ab Abraham, animae suae cura, dividitur, in oppidis, idest sensibus corporis, qui sunt circa Iordanem, idest descensum fluxibilem temporalium, moratur; et habitat in Sodomis, quia, tamquam pecus, carni deditus efficitur, et sic silet a laude Creatoris et confessione sui criminis. Sequitur: Et pauci in ea viri. Viri animae sunt rationis affectus, de quibus dicit Dominus Samaritanae in evangelio Ioannis: Quinque viros habuisti, et hunc quem habes non est tuus vir. Affectus rationis dicuntur quinque viri, pro eo quod debent regere quinque corporis sensus, quos cum infelix anima perdit, non virum sed adulterum recipit, qui eam corrumpit. De qua subditur: Venit rex magnus contra eam. Rex magnus est carnalis appetitus vel sensus, de quo dicit Salomon in eodem Ecclesiaste: Vae terrae, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt. Et nota quod appetitus carnalis dicitur magnus et puer: magnus, quia magna et impossibilia aggreditur, puer, quia sine deliberatione et discretione. Et ideo, vae terrae, idest corpori,

quod talem habet regem, cuius principes, idest quinque corporis sensus, mane comedunt, idest in pueritia sua gula et luxuria inebriari incipiunt. Qui enim, ut dicit Salomon, a pueritia delicate nutrit filium suum, postea sentiet eum contumacem. Iste rex magnus vallat animam acutis palis primorum motuum, extruit per gyrum munitiones pravarum cogitationum et carnalium delectationum, et sic perficitur obsidio. Ecce, ut dicitur in quarto libro Regum, quomodo sancta Ecclesia, vel fidelis anima, a Benadad rege Syriae obsessa tenetur. Sed veniat verus Eliseus et liberet Ecclesiam. Veniat vir pauper, idest Sancti Spiritus gratia, quae dicitur pauper, quia cum pauperibus spiritualiter habitat et cum simplicibus sermocinatio eius, et liberet a tam gravi obsidione animam. Sed valde dolendum, quod subiungitur: Et nullus deinceps recordatus est illius pauperis. Unde dicitur in Genesi, quod, prosperis succedentibus, oblitus est pincerna regis interpretis sui. 'Continuus successus temporalium aeternae damnationis manifestum est indicium'.

6 – Revertamur ergo ad materiam, et dicamus: Benadad, rex Syriae, obsidebat Samariam, factaque est fames magna in Samaria; et tamdiu obsessa est donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis. Ecclesia, vel anima, dum a diabolo obsidetur, paulatim refectio gratiae subtrahitur; qua subtracta, fames magna, idest ardens desiderium temporalium, fit in Ecclesia. De qua fame dicitur in Genesi, 'quod in universo orbe fames praevaluit et tunc filii Iacob descenderunt in Aegyptum, ut emerent sibi frumentum'. Quia, peccatis nostris exigentibus, refectio gratiae subtracta, ideo omnes famescunt temporalia, non animae sed corporis refectionem, 'non quae Iesu Christi sed quae sua sunt in Aegypto quaerentes'. In tantum iam fames praevaluit, quod caput asini venundatur octoginta argenteis. Octoginta argentei significant duplicem stolam, quae octo beatitudinibus constat, quam in octava resurrectionis sumus recepturi. Corpus claritatem, agilitatem, subtilitatem, immortalitatem; anima sapientiam, laetitiam, concordiam, inter carnem scilicet et spiritum, amicitiam, ad Deum scilicet et proximum, habebit. Istos argenteos dant infelices peccatores, ut emant caput asini, idest stoliditatem asininam, idest huius mundi sapientiam, 'quae stultitia est apud Deum'. Et quarta pars cadi stercoris columbarum, pro quinque argenteis. 'Cadus graece, mensura latine'. 'Columbae sunt sancti, qui ad fenestras suas volant'. Stercora, temporalia. Quinque argentei sunt quinque virtutes, quae per quinque libros Moysi designantur. 'Primus liber Moysi dicitur hebraice Beresith, graece genesis, latine generatio. Secundus, Veelle Semoth hebraice, exodus graece, latine itinerarius. Tertius, hebraice Vaicra, leviticus graece, ministerialis latine. Quartus, Vaiedabber hebraice, rythmus graece, numerus latine. Quintus, Elle Addebarim hebraice, deuteronomium graece, secunda lex latine, in qua evangelicae legis fuit praefiguratio'. In Genesi, in qua omnium generatio describitur, innocentia baptismalis, qua secundum novum hominem regeneramur, intelligitur. In Exodo, quo filiorum Israel exitus de Aegypto describitur, pietas religionis, qua de mundo egredimur, designatur. In Levitico, quo sacrificia offeruntur, mentis devotio et carnis afflictio. In Numero, quo populus numeratur, criminum confessio, in qua omnia peccata debent numerari. In Deuteronomio, Dei et proximi dilectio, quae est lex evangelica, 'in qua pendet Lex et Prophetae'. Istos quinque argenteos dant miseri peccatores, et emunt stercora columbarum, idest temporalia, quae columbae, idest sancti, reputant tamquam stercora. Ecce quam gravis fames est in Ecclesia, quae est illa turba, de qua dicitur in hodierno evangelio: Cum turba multa esset cum Iesu nec haberent quod manducarent. Haec 'turba turbata, omnia turbans', est cum Iesu nomine, non numine, verbo non merito, fide non

opere. Sed, quid dicit misericors Iesus, qui miseris semper novit misereri? Misereor, inquit, super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent etc.

7 – Hoc est quod dicit Eliseus in quarto libro Regum: In tempore hoc cras modius similae uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariae. "Modius a modo dictus, est autem mensura librarum quadragintaquattuor, idest sextariorum duodecim". Similia subtilissima et candidissima est farina farris. "Stater dictus, quod tribus solidis stat, appendens aureos tres". "Hordeum dictum, quod prae ceteris generibus frumenti ante fiat aridum". Modius similiae, perfecta mensura divinae sapientiae, quae est in Novo Testamento. Duo modii hordei sunt scientia legis et prophetarum, qui comparantur statere uno, idest catholica fide, in porta Samariae, idest apostolica praedicatione, per quam intratur in Ecclesiam. Cessante enim turbine persecutionis, quae fit hodie, dabit Dominus cras, idest tempore futuro, tranquillitatem, ut perfecte praedicatio impleatur. Aliter. In modio similae, peccatorum remissio; in duobus modiis hordei, contemptus temporalium, aeternorum appetitus; in statere uno vera poenitentia designatur. Stater, appendens tres aureos, est poenitentia, quae in tribus consistit: contritione, confessione, satisfactione. 'Hic stater est inventus in ore piscis, de flumine extracti hamo Petri, quo Christus et ipse liberatus fuit a tributo'. Piscis est peccator, qui hamo praedicationis extrahitur de flumine mundanae voluptatis, in cuius ore invenitur stater poenitentiae quae animam et corpus liberat a tributo culpae et poena gehennae. Igitur peccator, qui, datis octogintaquinque argenteis, solebat emere caput asini et stercus columbarum, uno statere verae poenitentiae potest emere modium similae, idest gratiam remissionis, qua omnia Deus peccata dimittit, et duos modios hordei, scilicet ut contemnat stercora, idest temporalia, et appetat aeterna. Ecce quanta misericordia nostri Redemptoris, qui dicit: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Triduum et stater, appendens tres aureos, idem significant. Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dixit Eliseus ad Ioas: Percute iaculo terram; et percussit tribus vicibus. "Ioas interpretatur sperans", et significat poenitentem, qui sperat de Domini misericordia, cuius praecepto terram sui corporis, iaculo poenitentiae, percutit tribus vicibus. Qui isto triduo sustinent, idest expectant Dominum, eos non dimittit ieiunos in domum suam, immo modio similae et duobus modiis hordei reficit, ne deficiant in via. Quidam ex eis, inquit, de longe venerunt. Filius prodigus de longe venit, quia 'de regione dissimilitudinis'. Peccator quanto de longius ad Patrem revertitur, tanto ab ipso misericorditer suscipitur. Cum adhuc, inquit Lucas, longe esset vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est; et occurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in caelum et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus. Bene ergo dixit Dominus: Misereor super turbam. De cuius misericordia optime habes concordantiam in introitu hodiernae missae.

8 – Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Nota quod in templo sunt quattuor, scilicet atrium, ostium, medium et oraculum. Quidam sunt in atrio: isti sunt falsi fratres. Quidam in ostio: isti sunt noviter conversi. Quidam in medio: isti sunt proficientes. In oraculo sunt perficientes. Isti significati sunt per quattuor equos, quos vidit Ioannes in Apocalypsi: 'Vidit enim equum pallidum et nigrum, et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua; et equum rufum, et qui sedebat super eum datum est ei, ut sumeret pacem de terra, et datus est illi gladius magnus. Et vidit equum album, et qui sedebat super illum habebat arcum". Equus pallens significat falsos fratres,

simulatores et callidos, qui super se provocant iram Dei. Hi sunt in atrio, de quo in Apocalypsi: 'Atrium eice foras, et noli metiri illud'. A civitate enim Ierusalem falsi hypocritae eicientur foras, cum claudetur ianua, qui modo non sunt mensurati mensura veritatis. 'Atrium ab antro dicitur', quia atrium proprie culina dicitur, idest coquina vel latrina. Hypocritae enim, quia modo decoquunt, idest affligunt, carnes in coquina simulatae sanctitatis, ideo proicientur in latrinam aeterni foetoris. Item, equus niger significat noviter conversos, qui, falso mundi candore deposito, nigredinem poenitentiae assumunt. Qui dicunt in Threnis Ieremiae: Pellis nostra, quasi clibanus exusta est. Ex igne enim contritionis et labore satisfactionis exuritur, idest extra uritur, pellis mortificati corporis. Isti debent habere stateram in manu. Unde habes concordantiam in prima particula hodiernae epistolae, in qua loquitur Apostolus noviter conversis: Humanum, inquit, dico, propter infirmitatem carnis vestrae: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem. Humanum dico, "idest leve quid dico, et maiora deberem dicere, sed propter infirmitatem carnis vestrae, idest quae est ex carne vestra", non dico. Sicut enim exhibuistis etc. Ibi dicit GLOSSA AUGUSTINI: "Si non plus servitur iustitiae, saltem serviatur quantum tunc serviebatur iniquitati. Ideo dicit humanum: plus enim debet amari nunc iustitia, quam tunc fuit amata iniquitas". Habeant ergo noviter conversi stateram in manu, ut sicut exhibuerunt membra sua servire immunditiae, luxuriae et iniquitati, ducenti ad aliam iniquitatem, idest mali consummationem, ita nunc exhibeant membra sua servire iustitiae, ducenti in sanctificationem, idest consummationem boni. Hi sunt in ostio templi, de quo dicit Ioannes in Apocalypsi: Vidi, et ecce ostium apertum in caelo. Ostium apertum est Dei misericordia, parata suscipere poenitentes. De hoc ostio sive porta, dicit Ezechiel: Ecce vir, cuius erat species quasi species aeris, et funiculus lineus in manu eius et calamus mensurae in manu eius; stabat autem in porta. Vir iste poenitentem significat, cuius species est quasi species aeris. In aere, quod sonorum et durabile est, sonus confessionis et perseverantiae finis designatur; quae duo quilibet poenitens debet habere. In funiculo lineo, satisfactionis afflitio; "in calamo mensurae doctrina designatur. Calamus mensurae est in manu, cum mensuratur operatio". Haec omnia si vir habuerit, recte poterit stare in porta, idest confidere de Dei misericordia. Item, equus rufus significat proficientes, qui 'spiritu sunt ferventes, in tribulationibus gaudentes'. Isti sumunt pacem de terra, 'idest carne sua', 'quam qui Christi sunt crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis'. Istis datur magnus gladius, per quem intelligitur discretio, quam debent habere in operibus poenitentiae. Hi sunt in medio templi, idest latitudine caritatis, in qua suscipitur misericordia Domini: Suscepimus, inquiunt, misericordiam tuam in medio templi tui. Item, equus albus significat perfectos, qui iam sunt in oraculo, cherubim gloriae prospicientes, manna divinitatis, quae est in urna aurea humanitatis, degustantes. Isti habent in manu arcum, scilicet victoriae, de mundo, diabolo et carne triumphantes. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut oculo misericordiae nos respiciat, a fame eruat et in templum gloriae suae nos perducat. Ipso praestante, qui vivit et regnat per aeterna saecula. Amen.

II – De appositione panum et piscium turbae et ipsius refectione

9 – Sequitur secundum. Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis hic saturare panibus poterit in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt:

Septem. Et praecepit turbae discumbere super terram; et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos; et ipsos benedixit, et iussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt. Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dixit Eliseus ad Naaman leprosum: Vade, et lavare septies in Iordane; et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Descendit Naaman et lavit se in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei; et restituta est caro eius sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. Septem panes et septem in Iordane lavationes idem significant. "Naaman interpretatur decorus", et significat hominem, qui gratiae pulchritudine fuit decorus, sed postea peccati foeditate factus est leprosus. "Leprosus, a pruritu nimio scabiei". Ille est leprosus cuius malae cogitationis venenum, rupta divini timoris cute, erumpit in lepram malae operationis, quam quanto consuetudinis malae manu fricat, tanto magis pruritus ignescit et dolor inardescit. Huic leproso dicit Eliseus, 'idest Iesus Christus': Vade et lavare septies in Iordane. 'Iordanis interpretatur rivus iudicii' et significat confessionem, in qua quasi in rivo seipsum homo lavat, dum se iudicandum condemnat. In hoc Iordane, ut sanitatem mereatur suscipere, debet se lavare illis septem vicibus, de quibus dicit Apostolus in epistola secunda ad Corinthios: Ecce hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam. Tristitia dicta, per tres partes divisa, poenitentiam significat, quae in cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione consistit. "Haec tristitia est secundum Deum, et ideo operatur salutem, idest ea quae ducunt ad salutem, idest sollicitudinem" "emendandi quod deliquimus". Martha, Martha, inquit Dominus, sollicita es et turbaris erga plurima. Sed defensionem. Defendere est protegere. Cum in confessione denudamur, tunc protegimur. 'Si tu, inquit AUGUSTINUS, discooperis, Deus cooperit'. 'Cum nos accusamus, tunc nos defendimus'. Sed indignationem, "contra nos pro malis quae gessimus". Unde Ezechiel: Abii amarus in indignatione spiritus mei. Sed timorem, "ne in futuro tale quid contingat". Timere dictum est, nulla quae facienda sunt praeterire. Unde "timidus dictus, quod diu timeat". "Timor est accidens dolor mentis, extrinsecus aliqua accidente occasione". Timor castus est, quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam, per quam in illa factum est, ut eam peccare non delectet; quo timet, ne eam deserat, etiam si nullis cruciatibus puniat. Sed desiderium, "in melius provehi". Desiderare, avide appetere. Desiderium est rerum absentium et nondum adeptarum. Unde dicitur in secundo libro Regum, quod desideravit David aquam, et ait: O si quis daret mihi potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem iuxta portam! Sic poenitens debet desiderare aquam illius fluminis, de quo dicit Ioannes in Apocalypsi: 'Ostendit mihi angelus flumen aquae vivae, splendidum tamquam cristallum'. Haec aqua est in Bethlehem, "quae interpretatur domus panis", idest refectione vitae aeternae, et est iuxta portam, idest Iesum Christum, ad quam aquam hauriendam nullus potest intrare nisi per ipsum: 'Nemo potest venire ad Patrem nisi per me'. Sed aemulationem, 'ut vitam sanctorum imitemur': Aemulamini, inquit, charismata meliora. Sed vindictam. De qua, ut dicitur in Luca, vidua interpellabat quotidie iudicem: Vindica me de adversario meo. Vidua est anima, quae interpellat iudicem, idest rationem, ut vindicet se de adversario suo, idest carnali appetitu, qui semper adversatur animae. Hic est iudex, qui 'non sine causa gladium discretionis portat', 'ad laudem bonorum, scilicet affectuum, vindictam vero malefactorum', scilicet carnalium; qui, si septem vicibus in flumine Iordanis lavatur, ab omni lepra peccati mundatur et septiformis gratiae panibus reficitur, de quibus dicitur

in hodierno evangelio: Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit. Sed nota quod, antequam septem panibus reficiantur, super terram discumbere perhibentur. Qui enim praedictis septem panibus refici desiderat, necesse est ut prius super terram, idest carnem suam, ipsam conculcando, discumbat. Unde dicitur in quarto libro Regum, quod 'Naaman tulit secum partem terrae Israel, ut, super eam consistens, Deum cuius erat terra adoraret'. Sic vir iustus, dum super terram sui corporis consistens virtute discretionis eam conculcat, 'Deum in spiritu et veritate adorat'. Nota etiam quod cum septem panibus pisciculos paucos benedixit et iussit apponi discumbentibus. Pisciculi sunt paupertas, humilitas, patientia, obedientia, memoria Passionis Iesu Christi, quae cum septem panibus condiamus, ut dulcius nobis sapiant.

10 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae; quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? In hac particula epistolae loquitur Apostolus conversis peccatoribus, qui antequam super terram discumberent, antequam in Iordane septies lavarent, antequam septem panibus refecti essent, servi erant peccati et liberi iustitiae, "idest carentes dominio iustitiae". Qui enim peccato servit, libertati iustitiae se subtrahit. Quem ergo, inquit, fructum habuistis etc. 'Erubescentia, inquit AUGUSTINUS, maxima pars est poenitentiae'. Erubescunt poenitentes se leprosos fuisse; erubescunt illa commisisse, quae non fructum sed mortem protulerunt. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut a lepra peccati nos emundes, gratiae tuae pane nos saties et in caelestis beatitudinis refectione nos colloces. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De sportarum fragmentis adimpletione

11 – Sequitur tertium. Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui manducaverant quasi quattuor milia; et dimisit eos. "Septem sportae viros iustos, Sancti Spiritus septiformi gratia repletos, significant. Fiunt enim sportae de iunco et palmarum foliis. Iuncus nascitur super aquas – "dictus eo quod iunctis radicibus haereat" –; palma victorem coronat. Sancti quoque, ne ab humore aeternitatis arescant, in ipso fonte vitae se collocant et aeternae retributionis palmam expectant". Vel, "septem sportae sunt septem primitivae Ecclesiae", quas Dominus septiformis gratiae inspiratione replevit. Quod significatum fuit per puerum, quem Eliseus suscitavit. Unde super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicitur, quod surrexit Eliseus et secutus est Sunamitem. Giezi autem praecesserat eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox neque sensus. Ingressusque Eliseus domum clausit ostium super se et super puerum, et adoravit Dominum. Et ascendit et incubuit super puerum; posuitque os suum super os eius, et oculos suos super oculos eius, et manus suas super manus eius, et incurvavit se super eum: et calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo semel huc atque illuc, et ascendit atque incubuit super eum, et oscitavit super puerum septies, aperuitque oculos. " Dum Dominus per Moysen legem dedit, quasi per puerum virgam misit, sed puer per virgam, idest terrorem legis, mortuum suscitare non valuit, quia 'lex neminem ad perfectum duxit'. Ipse per se veniens super cadaver sternitur, quia, cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Huc et illuc deambulabat, quia et Iudaeos et gentes ad aeterna per fidem vocat. Super mortuum septies inspirat, quia, apertione divini muneris, gratiam Spiritus septiformis in peccati

morte iacentibus aspirat. Moxque is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit”

12 – MORALITER. Eliseus est praelatus, qui non virga, idest aspera disciplina, sed potius oratione et incurvatione, idest benignitate, suscitat mortuum, idest animam sui subditi, a morte peccati. “Plus, inquit beatus AUGUSTINUS, praelatus a vobis amari appetat quam timeri”. Amor enim aspera dulcia, importabilia levia, timor vero ipsa levia importabilia facit. Posuit, inquit, os suum super os eius. Os suum super os peccatoris praelatus ponit, cum ipsi praedicat, ut peccata sua in confessione dicat. Unde Isaias: Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Oculos super oculos ponit, cum pro eius caecitate lacrimas fundit, sicut faciebat Samuel, cui dicit Dominus in primo libro Regum: Usquequo tu luges Saul, cum ego abiecerim eum? Manus super manus ponit, cum pro ipsius perverso opere seipsum in bonis operibus exercet; ut, quem nec virga nec oratione resuscitare potest, saltem boni operis exemplo ad vitam revocet. Sequitur: Et oscitavit super puerum septies, aperuitque puer oculos. Oscitare est os aperire. Super faciem pueri praelatus oscitat, cum populum sibi commissum fide sanctae Ecclesiae instruit, quae in septem articulis consistit, et sic populus aperit oculos. Videt enim per fidem, quem visurus est per speciem. Et dum praelatus ita facit, populum sibi commissum, quasi quattuor millia hominum, septem panibus reficit; dum septem fidei articulis et quattuor evangelistarum doctrinis eos instruit.

13 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Nunc autem liberati a peccato, servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro. Dicit Ieremias: Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Hoc est quod dicit hic Apostolus: Liberati a peccato, servi facti Deo. Egressus enim vitii ingressum virtutum operatur. Nota quod quattuor hic tangit Apostolus, scilicet a peccato liberationem, Dei servitutem, vitae sanctificationem et vitam aeternam. Hic est ordo vivendi, haec est via quae ducit ad vitam. Qui hac non incedit caecus est et manu tentans. Liberatio a peccato operatur Dei servitutem; Dei servitus, vitae sanctificationem; sanctificatio acquirit vitam aeternam. Qui his quattuor fulcitur columnis cum quattuor millibus hominum, quos Dominus de septem panibus satiavit, in vitae aeternae beatitudine, ‘cum apparuerit gloria Domini, satiabitur’. Hanc remunerationem suis servientibus dabit Christus. Sed, suis militibus quid dat diabolus? Stipendia, inquit Apostolus, peccati mors. “Stipendium a stipe, idest substantia pendenda, dictum. Antiqui enim soliti erant pecuniam appendere magis quam numerare”. Stipendium militibus datur. Servis enim peccati hoc erit stipendium, scilicet mors. Liberatis vero a peccato et Dei servis, ipsius gratia, ex qua merita erit vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro, cui est honor et gloria. Quem, fratres carissimi, suppliciter imploremus, ut qui quattuor millia hominum septem panibus satiare est dignatus, nos quattuor virtutibus corroboret, septiformis gratiae inspiratione vivificet, quatenus ad ipsum, qui est vita et panis angelorum, mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est laudabilis et gloriosus, magnificus et excelsus per aeterna saecula. Dicat omnis spiritus: Amen. Alleluia.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in octava dominica post Pentecosten: Attendite a falsis prophetis, quod dividitur in tribus clausulis. In primis sermo de hospitio quod praeparat anima fidelis Iesu Christo, ibi: Dixit mulier Sunamitis. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo contra falsos prophetas, ibi: A prophetis Ierusalem. Item sermo contra falsos religiosos, ibi: Dixit Ieroboam uxori suae. Hic habes de hyaena et eius natura et quid significet. Item sermo moralis de falsis prophetis, idest carnalibus affectibus, ibi: Attendite vobis, et ibi: Nunc omnes prophetas Baal, et cetera quae sequuntur. DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de quinque quae sunt in arbore et eorum significatione, ibi: Omnis arbor. Item sermo de decem lineis in horologio et totidem gradibus et eorum significationibus, ibi: Dixit Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum. Item sermo de quinque quae sunt in mala arbore, de qua ibi: Vigil et sanctus de caelo descendit. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo contra illos qui in mortali existentes clamant ad Dominum, ibi: Ad me clamat ex Seir. Item sermo contra gulam, superbiam, vanamgloriam et luxuriam, ibi: Adimpleti sunt, saturati sunt. Item sermo qualiter quisque debet quaerere Dominum, ibi: Cum Iosias audisset verba legis Domini.

Exordium. De hospitio ab anima fideli Iesu Christo parando

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium etc. Dicitur in quarto libro Regum, quod dixit mulier Sunamitis ad virum suum de Eliseo: Animadverto quod vir sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo cenaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum et mensam et sellam et candelabrum, ut cum venerit ad nos maneat ibi. Quid Eliseus, quid Sunamitis et eius vir, quid cenaculum, lectulus, mensa, sella et candelabrum significent, videamus. “Eliseus interpretatur Dei mei salus”, ‘et significat Iesum Christum, qui a Deo Patre in salutem populi sui est missus’. Venit ad Sunamitem, “quae interpretatur captiva”, sive “coccinea”. Haec est anima, quam Christus de captivitate diaboli suo sanguine redemit, apud quam hospitatur dum ipsam vivificat, transit dum illi gratiam subtrahit, ut humilietur, quae de se nimis sublimia sentit. Vir huius Sunamitis est rationalis intellectus, qui viribus et sensu, sibi insitis per naturam vel collatis per gratiam, animae debet praeesse, consulere, praevidere, et ex ea progeniem virtutum et bonorum operum procreare. Cum hoc viro accipit anima consilium, dicens: Animadverto quod vir Dei sanctus sit iste etc. Nota quod in cenaculo parvo, unitas; in lectulo, castitas; in mensa, contemplationis suavitas; in sella, contemptus sui; in candelabro lumen boni exempli designatur. “Coenaculum a communione vescentium est dictum; unde et coenobium congregatio multorum”; et ideo significat unitatem fidelium, de qua dicit sponsus in Canticis: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. ‘Oculorum unitas est concordia praelatorum, qui, sicut oculus totum corpus, totam illuminare debent Ecclesiam. In crinibus, qui de capite pendent, signantur universi fideles, Christo suo capiti adhaerentes. Amoris ergo vulnere sponsus vulneratur, ut Ecclesiam diligat, cum in ea videt unitatem praelatorum cum subditis concordantem’. Cenaculum unitatis debet esse parvum, scilicet humilitate, quae est coementum ligans

subditos et praelatos. Item, in lectulo notatur castitas. Unde in Canticis: Lectus noster floridus. Lectus conscientiae debet esse floridus liliis munditiae. Item, in mensa, contemplationis suavitas. De qua in Psalmo: Parasti in conspectu meo mensam. Cum mens ad illam dulcedinem degustandam elevatur, omnis tribulationis iniuria vilipenditur. Illa enim dulcedo ita mentem afficit, quod de dolore dolere nescit. In sella, quae "a sedendo, quasi sedda" dicitur, sui contemptus. In hac sella sedebat ille, de quo dicit Ieremias in Threnis: Sedebit solitarius et tacebit. Sedebit in sui contemptu; solitarius a saecularium et recogitationum tumultu; tacebit a verbo venenato. In candelabro, quod 'non sub modio debet abscondi, sed super montem constitui, ut his qui in domo sunt luceat', lux boni exempli designatur. Tale hospitium, ita ornatum viri sui consilio, anima debet praeparare vero Eliseo, non falsis prophetis, idest haereticis vel hypocritis, de quibus dicit Dominus in hodierno evangelio: Attendite a falsis prophetis etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, hypocritarum simulatio, cum praemittitur: Attendite a falsis prophetis. Secundum, arboris bonae fructificatio et infructuosae excisio, cum additur: Sic omnis arbor bona. Tertium, dicentis et non facientis a regno expulsio, et facientis Dei voluntatem in ipsum receptio, cum subiungitur: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine etc. Cum his clausulis quasdam quarti libri Regum historias concordabimus. In introitu missae istius dominicae cantatur: Ecce Deus adiuvat me; et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Romanos: Debitores sumus non carni, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Debitores sumus. Secunda: Quicumque spiritu Dei aguntur. Tertia: Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro.

I – De hypocritarum simulatione

3 – Dicamus ergo: Attendite a falsis prophetis, qui venunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Nota ista tria: falsos prophetas, vestimenta ovium, lupos rapaces. Falsi prophetae sunt hypocritae, de quibus dicit Ieremias: A prophetis Ierusalem egressa est pollutio super terram. Isti sunt prophetae Iezabel, "quae interpretatur sterquilinium". Dum enim 'in foro salutationes, in synagogis cathedras amant', pro sterquilinio prophetant, qui facti sunt ut stercus terrae. De his prophetis dicit Michaeas propheta: Haec dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et praedicant pacem; et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum proelium. Nota ista quattuor verba: seducunt, mordent, praedicant et sanctificant. Falsi prophetae seducunt, idest suadendo ducunt, post se innocentes. Mordent, detractionibus. A mordeo dicitur morbus; 'morbus dictus, quod sit mortis via'. Detractio enim est morbus, per quem quasi per viam mors venit in animam. Praedicant pacem, ut pacifici videantur, 'qui viam pacis non invenerunt'. Hi sunt sacerdotes latrones, qui non dantes mordent increpationibus, et dantibus pacem praedicant et misericordiam promittunt, et super non dantes sanctificant proelium. Sanctum enim et iustum reputant non dantes persequi, gladio excommunicationis feriri. Qui si dederint, benedictione solemni, ipsi, a Domino maledicti, 'quorum benedictionibus maledixit Dominus', benedicunt. Dicunt enim dantibus: Vos estis filii Ecclesiae, qui matrem vestram honoratis, qui eius paupertati condoletis, et ideo benedicti estis, quia ei

datis. Dicite mihi, falsi prophetae, latrones et homicidae, quae est Ecclesia, nisi fidelis anima, pro qua Dominus animam suam dilectam tradidit ad mortem, 'ut eam faceret sine macula, et sine ruga?' Qui huic Ecclesiae quod suum est dat, Dominus benedicet. Sed heu! heu! 'hodie cadit asina, et est qui sublevet; perit anima, et non est qui adiuvet'. Si veri prophetae essent, dicerent cum vero propheta Ieremia: Vae mihi, quia deficit anima mea propter interfectos. Vae mihi super contritione populi mei! Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei? Unde habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicitur quod Eliseus conturbatus est, flevitque vir Dei. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille respondit: Quia scio quae facturus sis filiis Israel mala; civitates eorum munitas igne succendes, et iuvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et praegnantes divides. Eliseus bonum Ecclesiae significat praelatum, quia usque ad suffusionem vultus debet flere, quia Hazael, idest diabolus, civitates, idest animas fidelium, igne cupiditatis succendit; iuvenes, idest virtutes, gladio suggestionis interficit; parvulos, idest bona opera adhuc tenera, elidit; et praegnantes, idest propositum bonae voluntatis, dividit. Et quis non flebit super tantis malis? Sed falsi prophetae non curant; tantum habeant unde rapiant. Bene ergo dicit Dominus: Attendite, "idest diligenter cavete", a falsis prophetis. "Falsus dicitur a fando aliud quam verum sit". 'Dicunt: Pax, pax; et non est pax'. Unde dicitur in tertio libro Regum, quod Achab, rex Israel, congregavit prophetas et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum an quiescere? Qui responderunt: Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis. De quibus prophetis Michaeas, verax propheta Domini, paulo post subdit: Ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. Achab huius saeculi amatorem significat, qui vult ad debellandum contra Dominum ascendere in Ramoth Galaad. "Ramoth, visio mortis"; "Galaad acervus testimonii" interpretatur, et significant huius saeculi dignitates et divitias, in quibus est aeternae mortis visio et coacervata testimonia damnationis contra illarum amatores. Cum ad haec vult ascendere, prophetas falsos consulit, si debeat ire. Unde nostri temporis sacerdotes consulunt dicentes: Ascende: non est enim peccatum habere divitias, acquirere dignitates: etiam in tali statu salvari poteris. O utinam surgeret Michaeas, propheta Domini, qui istos phythones et ventriloquos mendacium eos proferre confutaret, 'et os loquentium iniqua obstrueret' auctoritate Iesu Christi, dicentis in Luca: Vae vobis, divitibus, quia habetis consotationem vestram. Vae vobis, qui saturati estis. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Vae, cum bene vobis dixerint homines. Dominus dicit: Vae, et vos, falsi prophetae, dicitis: Ascende. Attendite ergo vos a falsis prophetis. Non eis credatis, ut in Ramoth Galaad ascendatis, quia ibi: Vae.

4 – Sequitur: Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quae conventio Christi ad Belial? Quae conventio ovis ad lupum? Ovis in veste, lupus in mente. "Simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas". Falsi religiosi, lupi rapaces, veniunt in vestimentis ovium. Unde simile quid habes in tertio libro Regum, ubi dixit Ieroboam uxori suae: Surge, et commuta habitum ne cognoscaris quod sis uxor Ieroboam, et vade in Silo ubi est Ahias propheta. Cum ergo illa intrasset et dissimulasset se esse quae erat, audivit Ahias sonitum pedum eius introeuntis per ostium, et ait: Ingredere, uxor Ieroboam; quare aliam esse te simulas? "Ieroboam interpretatur divisio populi". Hic est falsus religiosus, qui, in ove et lupo divisus, divisionem et discordiam

solet facere in claustris et capitulis. Est enim ‘quasi Satan inter filios Dei’. Iste est, ut dicit Psalmus, ‘negotium ambulans in tenebris’. Uxor eius est voluptas lupina, quam vult habitum commutare, pelle scilicet ovina. Sed hanc Ahias, propheta Domini, cognoscit et dicit: Ingredere etc. ‘Ahias, interpretatur quaestio vitae’, et significat hominis conscientiam, quae semper reclamat et omnem cognoscit simulationem. Unde Apostolus ad Romanos: ‘Testimonium reddente illis conscientia, et inter se invicem cogitationum accusantium aut defendentium’. Et Salomon in Proverbiis: Semper iurgia quaerit malus; et angelus crudelis mittetur contra eum, idest conscientia remurmurans. Et nota quod hypocrita, latens sub pelle ovina, est sicut hyaena, “de qua multa mira dicuntur. Hyaena est animal parvum, sed rusticum, nocte sepulcra fodiens et cadavera mortuorum vescens. Voces hominum affectat, stabula pastorum sequitur, et auditu assiduo addiscit vocamen, quo exprimere possit imitationem vocis humanae, ut in hominem, astu ascitum, nocte saeviat. Vomitus quoque humanos mentitur, falsisque singultibus sollicitatos sic canes devorat. Qui si venantes umbram eius dum sequuntur contigerint, latrare nequeunt, voce perdita. Varietas multiplex inest oculis hyaenae colorumque mutatio, numquam connivet aciem oculorum, sed in obtutum sine nictatione contendet. In ore gingiva nulla; dens unus atque perpetuus, qui, ut numquam retundatur, naturaliter capsularum modo clauditur. Haec hyaena quodcumque animal ter lustraverit movere se non potest”. De hac dicit Dominus per Ieremiam, in alia translatione: Facta est mihi hereditas mea quasi spelunca hyaenae. Sic hypocrita est animal bestialiter vivendo, parvum simulatione, rusticum operis deformitate, nocte simulationis sepulcra fodiens. ‘Penetrat enim, ut dicit Apostolus, domos mulierum’; ‘per dulces sermones et benedictiones seducit innocentes’, et sic cadavera peccatorum vescitur. Voces, idest laudes hominum, affectat; stabula pastorum, idest loca ubi praedicatur, sequitur, ut auditu assiduo addiscat praedicare, ut sua praedicatione homines, ad se ascitos, nocte decipiat. Vomitus quoque humanos, idest peccatorum confessiones, mentitur. Accusat se peccatorem, cum non credat esse; falsisque singultibus, idest gemitibus, homines sollicitat, ut eum sanctum credant, quem sic gementem viderint. Ipsos etiam viros iustos aliquando decipit, eius fictae devotioni nimium credulos. Cuius umbra, si aliquem contigerit, contra ipsum latrare non poterit, immo ipsum defendit. Quod hodie credentibus haereticorum maxime evenit. Isti vere non attenderunt consilio Domini, dicentis: Attendite a falsis prophetis etc. Item, in oculis hypocritae, multiplex varietas. Aliquando enim elevat oculos ad caelum et suspirat, aliquando ad terram deprimit et plangit. Colorumque mutatio: modo enim est pallidus, modo niger, modo habet vestes despectas, modo compositas, modo abstinentia placet, modo displicet. Haec diversi coloris mutatio interioris instabilitatis mutationem significat. Item, omne animal quod hyaena, idest haereticus vel hypocrita, ter lustraverit, idest circumierit verbo praedicationis, exemplo fictae sanctitatis, exenio attractivae promissionis, immobile ad bonum permanebit. Attendite ergo vobis, obsecro, a falsis prophetis. A talibus eorum fructibus cognoscetis eos. Ibi dicit GLOSSA: “Maxime per impatientiam discernuntur in tempore adversitatis”. Cum enim prosperitas arridet, pelle sub ovina mens lupina latet. Sed cum adversitas flaverit, pellis ovis laceratur dentibus lupi. Sequitur: Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Spinae a pungendo sunt dictae, eo quod sint acutae ut spicae; tribuli, quia tribulant. “Spinae et tribuli sunt haeretici et hypocritae, a quibus nullus sapientium sanctitatem vel veritatem poterit invenire, sed conscindunt et vulnerant approximantes”.

5 – Attendite a falsis prophetis etc. Falsi prophetae sunt carnales affectus, qui, ut animam seducant, naturae fragilitatem et infirmitatem proponunt, rerum abundantiam ostendunt, pacem prophetant, magnam Dei misericordiam esse praedicant; quae ideo submurmurant, ut animam peccatis alliciant. Unde de eis dicit vir iustus, plorans in Ieremia: A a a, Domine Deus, prophetae dicunt: Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit in loco isto. Cum carnales affectus sic loquuntur, non restat nisi gemendum et dicendum: A a a, Domine Deus. In quo triplici a, triplex notatur dolor, idest cordis, oris et corporis. De quo dicit Dominus Ezechieli: Tu, fili hominis, propheta, et percute manum ad manum, et duplicetur aut triplicetur gladius interfectorum. Hic est gladius interfectionis magnae, qui obstupescere eos facit. Cum vir iustus audit vocem prophetarum, sibilos gregum, murmur carnalium desideriorum, statim debet percutere manum ad manum et duplicare aut triplicare gladium doloris, quo interficiat falsos prophetas et obstupescere faciat eorum appetitum. Bene ergo dicit Dominus: Attendite a falsis prophetis. Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicit Iehu: Nunc omnes prophetas Baal et universos servos eius et cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me; nullus sit qui non veniat. Qui cum congregati fuissent: Praecepit Iehu militibus et ducibus suis: Ingredimini et percutite eos; nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii. Et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque aedem Baal, et fecerunt pro ea latrinas, usque in diem hanc. Delevit itaque Iehu Baal de Israel. 'Iehu interpretatur commotus', et significat virum iustum, qui in ira furoris debet commoveri contra seipsum, cum se viderit in tentatione positum. Hic debet congregare omnes prophetas Baal etc. Baal, "qui interpretatur devorator", est venter, omnia devorans, cuius prophetae sunt carnales affectus. Hos debet vir iustus in unum congregare et gladio poenitentiae interficere. Et protulerunt statuam de fano etc. "Fanum dicitur a faunis, quibus templa error gentilium construebat"; vel eo quod ibi daemonum imagines appareant; nam phança graece, apparitio dicitur latine; 'vel a fando'. Fanum Baal est gula, in qua piscium et carnium imagines solent apparere, de quo statuam, idest concupiscentiae idolum, debet vir iustus producere, fame et siti comburere et diversis abstinentiae modis comminuere. Destruxerunt quoque aedem Baal. 'Aedes ab edendo, idest comedendo, est dicta'; edendi inordinatam et velocem voracitatem significat, quam omnino debet destruere et pro ea latrinas facere. Latrina, locus privati secessus, a lateo lates dicta, ventris significat foetorem, cui cum providere voluerimus, 'ad necessitatem non ad voluptatem', stercoris latrinam esse cogitemus, quam semper nobiscum, infelices et miseri, deferimus; quam considerantes humiliari debemus. Unde Michaeas: Humiliatio tua in medio tui. Medium nostrum est venter, stercorum latrina, ex cuius consideratione provenit humilitatis causa. Bene ergo dicitur: Attendite a falsis prophetis.

6 – Ab his prophetis petit liberari vir iustus, in introitu hodiernae missae: Ecce Deus adiuvat me, et Dominus susceptor est animae meae. Averte mala inimicis meis; in veritate tua disperde illos, protector meus, Domine. Deus virum iustum adiuvat, cum ei gratiam tribuit, ut prophetas Baal interficiat. Eum suscipit, cum de fano gulae statuam concupiscentiae producit. Avertit mala eius inimicis, cum ipsam statuam ieiuniis et vigiliis comburit et comminuit. In veritate illos disperdit, cum aedem malae consuetudinis omnino disperdit. Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem

vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ecce hic manifeste ostendit Apostolus qualiter falsi prophetae Baal sunt mortificandi. Debitores sumus, inquit, non carni, sed Spiritui Sancto, qui facit vivere, non carni, ex qua mors. 'Ex debito tenemur astricti Spiritui', non carni, ut secundum carnem, "idest carnis voluptates, vivamus, etsi necessaria ei demus". Si enim secundum carnem vixerimus, falsis prophetis crediderimus, moriemur, quia lupi rapaces nos laniabunt. Si autem spiritu facta carnis, gladio poenitentiae prophetas Baal mortificaverimus statuam combusserimus, aedem Baal destruxerimus, procul dubio vivemus, 'vita gratiae in praesenti et gloriae in futuro'; ad quas nos perducere dignetur, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

II – De bonae arboris fructificatione et de malae arboris excisione

7 – Sequitur secundum. Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nota quod in bona arbore sunt ista quinque: radix, truncus, rami, folia et fructus. "Radix appellatur quod, radiis quibusdam infixa terrae, in profundo dimergitur. Nam physici dicunt, parem esse altitudinem radicum et arborum. Truncus est statura arboris insistens radicibus. Rami sunt, qui de trunco arboris manarunt", in quibus folia, fructus tegentia. "Arbor bona est bona voluntas", quae, ut consistat et bona sit, ista quinque sunt necessaria, scilicet radix humilitatis, truncus obedientiae, rami caritatis, folia sanctae praedicationis, fructus, idest dulcedo supernae contemplationis. Radix humilitatis quanta est in profundo cordis tanta est in altitudine operis. Et hoc significat aqua, quae tantum ascendit quantum descendit. Hypocritae humilitas, cum non habeat radicem in corde, magna vult apparere in opere. Vera vero humilitas quanto profundius infigitur tanto magis inclinatur, et sic altius exaltatur.

8 – Unde, super hac benedicta radice bonae arboris, habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dixit Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertia templum Domini? Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem quem locutus est. Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis; nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque Isaias Dominum; et reduxit umbram per lineas quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. Horologium Achaz, 'qui interpretatur conversus vel apprehendens fortitudinem', est cor humile poenitentis, qui, conversus a via sua mala, apprehendit fortitudinem perseverantiae, ut apprehendat bravium gloriae. In hoc horologio sunt et debent esse decem gradus humilitatis, per quos sol, idest anima, Dei gratia illuminata, debet ascendere et iterum regyrare. Primus gradus humilitatis est secum pertractare ex qua vili et foetida materia sit procreatus. Secundus, qualiter novem mensibus materni uteri tenebris fuerit reclusus et sanguine menstruo pastus. Et de his duobus plenius invenies in evangelio: Caecus sedebat. Tertius, quomodo de uteri tenebris plorans et deululans, nudus et immundus sit egressus. Per hos tres gradus descenderat Iob, cum dicebat: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et iterum: Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Et Ieremias: Quare de vulva egressus sum, ut viderem

laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? Quartus gradus, quam miserabilis et abominabilis sit huius exilii peregrinatio, in qua dolor et gemitus, angustia et planctus. Unde dicit Iacob in Genesi: Dies peregrinationis et vitae meae sunt parvi et mali. Quintus, propriae iniquitatis recordari, quae et quanta commisit et omisit: cum liber esset, gratis se diabolo vendidit; et quantum ingratus Deo extitit. De hoc gradu dicitur in quarto libro Regum, quod 'Ezechias convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum et flevit fletu magno'. Paries est congeries peccatorum, ad quam peccator se debet convertere, idest in animae suae amaritudine recogitare quanta commisit et omisit, et orare Dominum, ut gratiam amissam infundat, et flere, ut peccata dimittat. Sextus, mortis memoria, omni amaritudine amarior. Unde Ecclesiasticus: O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis. In qua caro vermibus, anima daemonibus, nisi poenituerit, tradetur; substantia filiis et parentibus relinquetur. Unde Psalmus: Introibunt in inferiora terrae, idest infernum, ecce anima daemonibus; tradentur in manus gladii, idest mortis, ecce caro vermibus; partes vulpium erunt, ecce substantia parentibus, qui, tamquam vulpes, astuti, asini defuncti pelli insidiantur. Septimus gradus humilitatis est ad memoriam revocare qualiter Dei Filius caput divinitatis inclinavit in uterum pauperculae Virginis; quomodo, qui caelum et terram implet, 'quem caelum et terra capere non potest, in unius puellae talamo se abbreviavit', in quo novem mensibus habitavit; quomodo 'pannis involutus, praesepio pecoris reclinatus', a facie Herodis in Aegyptum delatus, totius mundi Dominus a mundo fugatus; in toto mundo, ubi caput reclinaret, locum non potuit invenire, nisi ubi 'inclinanato capite, super Patris gremium, in eius manus tradidit spiritum'. Octavus, quantae misericordiae et benignitatis fuerit circa peccatores, quos suae dulcedine praedicationis ad se attrahebat; cum quibus, ut ad poenitentiam vocaret, comedebat; quantae compassionis fuerit qui super civitatem, in qua crucifigendus, et super Lazarum, quem resuscitaturus erat, amare flevit; quantae mansuetudinis, qui solus cum Samaritana loqui voluit et a Magdalena peccatrice se tangi permisit. Nonus, qualiter virgis et alapis caesus, sputis illitus, corona spinea coronatus, felle et aceto potatus, et inter latrones, ac si latro fuisset, crucifixus. Decimus gradus est mente subtiliter disquirere qualiter canet tuba, et mortui, qui dormiunt in terrae pulvere ut dicit Daniel, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper quomodo humilis crudelis, iudicatus iudicaturus veniet, "filius quaestuariae" Virginis, orbem terrae in aequitate; qualiter 'ad eius nutum columnae caeli contremiscent', et 'virtutes caelorum movebuntur', et 'caeli quasi liber plicabuntur', et 'sol in tenebras et luna in sanguinem convertetur', et ibunt homines amentes et 'dicentes montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos a facie sedentis in throno'. Per istos decem gradus debet anima poenitentis ascendere et descendere; quantum enim descenderit, tantum ascendet. Et hoc erit verum signum quod Dominus eam sanaverit ab omni infirmitate peccatorum et quod ascensura sit in caelestis Ierusalem templum, ex vivis lapidibus aedificatum. Beata ergo illa arbor, quae talem habebit radicem, quia a radice fructus arboris pullulat; ideo de ipsa, per quam humilitas designatur, pertractavimus; ex qua arbor bonae voluntatis surgit et fructum vitae aeternae homo percipit. Bene ergo dicit Dominus: Arbor bona fructus facit bonos.

9 – Sequitur: Mala autem arbor fructus malos facit. "Malus, mala, malum, dicitur a nigro felle, quod Graeci mÇlan dicunt. Unde et melancholici dicti sunt homines, qui conversationem humanam refugiunt", quibus abundat nigrum fel. "Mala arbor est mala

voluntas", cuius radix cupiditas, truncus obstinatio, rami perversa opera, folia verba venenata, fructus mors aeterna. De tali arbore subdit Dominus: Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Unde dicitur in Daniele, quod vigil et sanctus de caelo descendit, et clamavit fortiter et sic ait: Succidite arborem et praecidite ramos eius, et excutite folia eius et dispergite fructus eius; et fugiant bestiae quae subter eam sunt, et volucres de ramis eius. Arbor succiditur cum peccator, securi mortis succisus, in terram cadens revertitur; et tunc rami divitiarum et gloriae temporales praeciduntur et folia verborum levia excutiuntur. "Iam cessant verba, quia ventum est ad verbera". Et fructus, idest opera eius maligna, disperguntur, quia portae corporis, quibus infelix anima solebat 'egredi ad videndas mulieres regionis istius', iam clauduntur. Et bestiae, quae dicuntur quasi vastiae', idest raptores et homicidae, qui sub umbra eius solebant defendi, ipso mortuo fugiunt. Et volucres, 'idest superbi', qui in eius ramis solebant habitare, omnes fugiunt. Bene ergo dicit Dominus: Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur, qui paratus est diabolo et angelis eius. De quo dicit Isaias: Praeparata est ab heri Topheth, a rege praeparata, profunda et dilatata. Nutrimenta eius ignis et ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eam. Topheth, "quae interpretatur latitudo, idest infernus", qui absque ullo termino dilatavit animam suam, praeparata est ab heri, idest aeterno, a rege Iesu Christo, cui omne praeteritum est praesens, cui est illud, quod fecit ab aeterno, sicut nobis nostrum heri. Haec, infernus, dicitur profunda et dilatata: profunda, quia procul a fundo, idest sine fine poenarum, dilatata ad suscipiendas animas damnatorum. Unde "infernus dicitur, eo quod animae ibi inferuntur", cuius nutrimenta sunt ligna multa, "idest animae peccatorum; et flatus, idest ira Domini", sicut torrens sulphuris, 'qui ardet et foetet", succendet eam. Qui enim hic arserit igne avaritiae et coinquinatus fuerit foetore luxuriae, ibi aeternaliter succendetur.

10 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Quicumque spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, Pater. Spiritus Dei est humilitas, qua qui aguntur, "idest reguntur", vere sunt arbor bona, quia filii Dei. Sicut radix portat arborem, sic humilitas animam. Spiritus humilitatis est super mel dulcis, quo qui regitur dulcia poma facit. Non enim accepistis spiritum servitutis, "qui invitos timore poenae iterum – "idest ut olim in lege" servire faciat". Arbor mala, non spiritum adoptionis cum filiis, sed spiritum servitutis accipit cum servis, 'qui non manent in domo in aeternum', sed excidentur et mittentur in ignem non finiendum. Adoptio est, cum aliquis loco filii adoptatur. Unde adoptivus filius, idest loco filii receptus, Iesus Christus, qui semper sit benedictus, de arbore sterili, inserto surculo fidei, fecit arborem bonam et fructiferam; et de filiis irae quotidie facit filios gratiae, ut cordis contritione et oris confessione, quotidie clament: Abba, Pater. 'Abba syrum nomen est et hebraeum, latine et graece Pater'. In hoc duplici paternitatis nomine duplex designatur paternae benignitatis miseratio. Poenitens enim, loco filii receptus, debet sperare de peccatorum remissione et gloriae beatitudine. Rogamus ergo te, Abba, Pater, ut arborem bonam nos facias, fructum dignum poenitentia nos facere concedas qua in radice humilitatis radicati et fundati et ab igne aeterno liberati, ad fructum vitae aeternae capiendum pervenire mereamur. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De expulsione malorum a regno et receptione bonorum in ipsum

11 – Sequitur tertium. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in caelis, ipse intrabit in regnum caelorum. Dominus dictus, quod dominetur creaturae cunctae, vel "quod domui praesit", vel quasi dans minas. Super hunc locum evangelii dicit GLOSSA: "Iter regni Dei est obedientia, non nominis nuncupatio; non est hoc illud vere et proprie dicere, ubi prolatio discordat a voluntate, de quo Apostolus: Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto". "Vere dicere: Dominus Iesus est corde credere, ore confiteri, operibus attestari. Nam unum sine altero, negare est"; quantascumque enim laudes lingua resonet, vita blasphemat. Clamant Dominum, cuius non sunt servi, cuius minas non timent. Unde ipse dicit in Isaia: Ad me clamat ex Seir: Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Dixit custos: Venit mane et nox; si quaeritis quaerite; convertimini et venite. "Seir interpretatur hispidus", et significat peccatorem, spinis divitiarum et curarum obsitum. Unde dicitur in Genesi, quod 'Esau habitavit in terra Seir, regionis Edom' Et nota quod Esau appellatus fuit Seir et Edom: "Seir, quia pilosus", "Edom propter lenticulam rufam, pro qua vendidit primogenita". "Esau acervus lapidum", "Edom sanguis interpretatur". Ubi est acervus lapidum, idest divitiarum, ibi pungentes spinae sollicitudinum; et ubi sollicitudo, ibi sanguinis cruentatio. Peccator enim clamat ex Seir: Custos, quid de nocte? Ecce rota in medio rotae. In Matthaeo bis dicitur Domine, et in Isaia bis Custos, ad significandum quod ille qui est Dominus, necesse est quod sit et custos, ut domum, cui praeest, bene custodiat. Hoc duplex nomen Dominus creatorem et iudicem comprehendit, inter quae duo extrema ponitur medium, scilicet custos. Iesus Christus in rerum creatione fuit Dominus, in districti iudicii examine erit et Dominus, quia iudex, unicuique reddens quod iustum est; inter ista vero duo fuit custos de nocte: Dominus formam servi accepit, ut servos custodiret. Unde dicitur in Luca quod erat pernoctans in oratione Domini. Custos de nocte pernoctabat in oratione, non pro se sed pro creatura, ad quam venerat liberandam. Fuit etiam custos de nocte in Passione. Unde in Luca: Ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis; et positis genibus, orabat. "Solus pro omnibus orat, qui solus passurus erat pro omnibus". "AMBROSIUS: Pro me doluit, cum ipse pro se nihil habuit quod doleret". Ponit genua, "ut humilitatem mentis habitu corporis ostenderet". Vere tunc humilis, sed veniet crudelis ad ponendum terram in solitudine et scelestos conterendos ex ea.

12 – De quibus ipse conqueritur in Osee propheta: Adimpleti sunt, et saturati sunt; et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei. Et ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi ursa, raptis catulis; et dirumpam interiora iecoris eorum, et consumam eos ibi quasi leo. Bestia agri scindet eos. Perditio tua Israel; tantummodo ex me auxilium tuum. Nota quod in hac auctoritate octo notantur, quattuor scilicet vitia et quattuor poenae singulis vitiis respondentes: Adimpleti sunt, ecce divitiae et avaritia; et saturati sunt, ecce gula; et elevaverunt cor suum, ecce superbia et vanagloria; et obliti sunt mei, ecce luxuria. Unde dicit in Ezechiele: Oblita es mei, et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque portas scelus tuum et fornicationes tuas. Dominum post corpus suum proicit, qui, eius Passionis amaritudine oblitus, corporis delectationi intendit, pro cuius amore gulae et ventris fit servus. Et ideo ero eis, dicit Dominus, quasi leaena, contra adimpletos; sicut pardus in via Assyriorum occurram contra saturatos; quasi ursa raptis

catulis, dirumpam interiora iecoris eorum, idest superborum, qui elevaverunt cor suum. Iecore amamus, in quo amor terrenorum designatur', quae qui amat, eius interiora Dominus dirumpet. Et consumam eos, idest luxuriosos, ibi quasi leo, quod bestia agri, "idest diabolus", scindet gladio mortis aeternae, ut quem habuerunt incentorem in culpa, habeant tortorem in poena. Perditio tua, Israel, ex te est, quasi diceret: Si perditus fueris, culpa tua est. Sed auxilium tuum tantummodo non ab alio sed ex me est, qui custodio Israel. Bene ergo dicitur: Custos qui de nocte? Custos qui de nocte? Sequitur: Et dixit custos: Venit mane et nox; si quaeritis quaerite, convertimini et venite. Custos a cura dicitur. "Mane a mano; manum enim antiqui bonum dicebant. Quid enim melius luce?" Dominus, custos noster, 'cui, ut dicit Petrus, cura est de nobis', illis qui dicunt: Domine, Domine, dicit: Venit mane, idest gratiae illuminatio; ambulate ergo dum dies est, quia veniet nox, in qua non poteritis operari. 'Ubi enim, ut dicitur in Salomone, lignum ceciderit sive ad austrum, idest vitam suam, sive ad aquilonem, idest mortem, ibi erit'. Instanter ergo operare dum mane est, quia nec opus nec ratio est apud inferos, quo tu, o peccator, properas, idest peccatis tuis te impellis. Si ergo quaeritis, idest quaerere proponatis, quaerite dum mane est; et si quaeritis, quid est quaerere? Convertimini, inquit, et venite. Ecce qualiter Deus quaeritur et invenitur. Non verbis, Domine, Domine, quaerendus est Dominus, 'qui tales quaerit adoratores, qui adorent eum in spiritu et veritate', spiritu scilicet contritionis et veritate confessionis.

13 – Tali modo quaesivit Dominum ille sanctus Iosias, rex Iuda, de quo habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicitur, quod 'cum Iosias audisset verba legis Domini, scidit vestimenta sua; et percussit foedus cum Domino, ut ambularet post Dominum in omni corde et in tota anima, et proiecit de templo Domini omnia vasa quae facta fuerant Baal, et combussit ea foris Ierusalem in valle Cedron. Currus autem solis combussit igni, sed et pythones et ariolos et figuras idolorum et immunditias et abominationes abstulit Iosias et fecit Phase Domino'. "Iosias interpretatur in quo est sacrificium" et significat poenitentem, in quo est 'sacrificium Deo, spiritus scilicet contribulatus'. Hic, cum audit gloriam perennem iustorum et poenam infinibilem peccatorum, scindit vestimenta sua, idest affligit membra sua, quibus vestitur anima, et facit foedus cum Domino, ut scilicet ei Dominus peccata dimittat et ipse ad ea de cetero non redeat. Et de templo Domini, idest corde suo, in quo habitat Dominus, omnia vasa quae facta fuerant Baal, idest omnes modos gulositatis, quibus serviebat deo Baal, idest suo ventri, comburit in valle Cedron, "quod interpretatur tristis moeror", idest in humilitate tristitiae et moeroris. Et currus solis, idest quinque sensus corporis, qui quattuor rotis, idest delectatione temporalium, quae quattuor temporibus circumvolvuntur, discurrunt in sole, idest claritate gloriae transitoriae, igne comburit poenitentiae. Et aufert pythones, idest spiritum avaritiae, et ariolos, qui sunt incantatores, dicti "quod circa aras nefarias preces emittunt", per quos hypocritas intelligimus, et figuras idolorum, idest imaginationes turpium cogitationum et immunditias fornicationum et abominationes verborum. Istis omnibus emundatis, facit Domino phase, 'quod interpretatur transitus', quia transit de vitiis ad virtutes, ut convertatur et sequatur Dominum, non dicendo: Domine, Domine, sed faciendo voluntatem Patris, ut ad ipsius regnum mereatur in fine introire.

14 – Nota. Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Ipse Spiritus

testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei: si autem filii et heredes: heredes autem Dei, coheredes autem Christi. Si, conversi, Dominum fuerimus secuti, templum Domini ab omni immunditia mundantes, tunc bene cognoscemus quod Spiritus Dei reddit testimonium bonae spei spiritui nostro et quod sumus filii Dei, facientes voluntatem Patris, qui in caelis est. Si autem filii et heredes, idest eiusdem gloriae participes, heredes quidem Dei, qui nos aeternae hereditatis heredes constituit in testamento, sanguine et morte Filii sui confirmato; cuius coheredes sumus, 'quia caro et frater noster est', comparticipatione naturae, quam in caelis super angelos exaltavit, "ut nos suae divinitatis tribueret esse participes" et coheredes. Rogemus ergo, fratres carissimi, Patrem omnipotentem, ut nobis tribuat suam voluntatem facere, templum cordis nostri ab omni spurcitia purgare, verum phase celebrare, quatenus ad aeternam hereditatem, quam nobis per coheredem nostrum, Iesum Christum, dilectum suum Filium, compromisit, mereamur pervenire. Ipso praestante, qui, cum carissimo Filio suo et Spiritu Sancto unus et aeternus Deus, vivit et regnat per aeterna saecula. Dicat omnis Ecclesia: Amen. Alleluia.

PROLOGUS

Gratias trino et uni Deo indigni referimus, cuius adiuvante gratia usque ad primam dominicam augusti, prout melius potuimus, evangeliorum dominicalium cursum peregimus. Unde nota quod, a kalendis augusti usque ad kalendas septembris leguntur in Ecclesia quinque libri Salomonis, scilicet Parabolae, Ecclesiastes, Cantica canticorum, liber Sapientiae et Ecclesiasticus. In mense augusti sunt quattuor dominicae, cum quarum evangeliis quaedam, quae utiliora ad aedificationem et ad materiam aptiora esse videbimus, ex istis quinque libris, Deo dante, concordabimus.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in nona dominica post Pentecosten: Homo quidam erat dives qui habebat villicum, quod dividitur in tribus clausulis. In primis thema sermonis de scientia, vita praelati vel praedicatoris Ecclesiae, et de proprietate lactis, ibi: Qui fortiter premit ubera. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item thema in Adventu Domini, ibi: Longitudo dierum in dextera eius. Item thema contra carnales et mundanos, ibi: Per tria movetur terra. Item thema sermonis moralis contra carnales Ecclesiae praelatos et de natura aquilae et ursi, et proprietate vulturis, ibi: Homo quidam erat dives qui habebat villicum. Item thema contra simoniam sacerdotum et praelatorum, ibi: Mulier stulta et clamosa. Item contra illos qui scientiis lucrativis intendunt, ibi: Per ancillam cum fuerit heres. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de dilectione Dei et proximi, ibi: Convocatis itaque singulis debitoribus, et de natura olei et qualiter quattuor modis illa auctoritas, Spiritus Domini ferebatur super aquas, intelligatur. Item thema ad praelatos, ibi: Similitudo firmamenti. Item de quadruplici generatione et ipsius significatione, ibi: Generatio quae patri suo maledicit. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema sermonis de eleemosyna, ibi: Florebit amygdalus. Item de quattuor tabernaculis et quid significent, ibi: Ut recipiant vos

in aeterna tabernacula. Item ad claustrales, ibi: Quam pulchra tabernacula tua, Iacob.

Exordium. De scientia et vita praelati vel praedicatoris

1 – In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Hic diffamatus est apud ipsum quasi dissipasset bona ipsius. Dicit Salomon in Parabolis: Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac exprimit butyrum, et qui vehementer emulget elicit sanguinem. Nota ista quattuor: ubera, lac, butyrum et sanguinem. 'In uberibus, Vetus et Novum Testamentum'; in lacte, allegoria; in butyro, moralitas; in sanguine lacrimarum compunctio designatur. De uberibus Novi et Veteris Testamenti dicit Osee: Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis et ubera arentia. Perversis Ecclesiae praelatis et praedicatoribus dat Dominus vulvam, idest ventrem, sine liberis. Mens enim eorum Sancti Spiritus gratia non gravidatur et ideo remanet sterilis bonorum operum, carens filiis; et sic eorum ubera, idest utriusque Testamenti scientia, quam praedicant, est arida et infructuosa. Unde dicit Salomon in Parabolis: Ubi non sunt boves, praesepe vacuum est; ubi plurimae segetes, ibi manifesta fortitudo boum. Praesepe dicitur a prae et sepe, quasi sepe circumdatum, 'et significat congregationem fidelium', quam Dominus sepivit sepe fidei. Hoc praesepe est vacuum, cum boves, 'idest praelati', non sunt ibi vita ubi sunt praelatura; sed si sunt ibi fortitudine boni operis ubi sunt excellentia dignitatis, procul dubio plurimae sunt segetes, 'idest virtutum operationes', in fidelium congregatione. Bene ergo dicit Salomon: Qui fortiter premit ubera etc. Ille fortiter ubera premit qui scientiae utriusque Testamenti, quam praedicat, manum operationis apponit, ne ei possit obici quod dicit Salomon in Parabolis: Abscondit piger manus sub ascellas suas, et laborat si ad os suum eas converterit. Ascellae, locus sub brachiis, dictae, "quod ab eis brachia cilluntur, idest moventur". Manus sub ascellis abscondit et eas ad os non convertit, qui quod ore praedicat manu operari negligit. Praedicator igitur ex uberibus debet elicere lac historiae, ut ex ipso possit colligere butyrum moralitatis suavissimum. Nota quod lac constat ex tribus substantiis. Prima est quae dicitur serum aquosum; secunda, quae dicitur caseus; tertia butyrum. Serum aquosum historiam, caseus allegoriam, butyrum moralitatem significat, quae quanto est suavior tanto suavius afficit mentes audientium, quia mores destructi sunt. Ideo 'moralitati, quae mores instruit, magis est inhaerendum, quam allegoriae, quae fidem instruit; fides enim per Dei gratiam ubique terrarum est diffusa'. Sequitur: Et qui vehementer emulget elicit sanguinem. Sanguis dictus, "quod vegetet et sustentet, vel quod suavis sit", et significat compunctionem lacrimarum, quae animam vegetant et sustentant, ne corruat in peccatum. Et quid suavius lacrimis, quae emanant ex dulcedine contemplationis? 'Animae, inquit AUGUSTINUS, sanguis, lacrimae'. Unde 'lacrimae a laceratione mentis dicuntur'. Peccator ergo, dum vehementer verbo praedicationis, eius mentem sursum vehentis, emulgetur, elicit sanguinem, idest producit lacrimas, eo quod bona Domini sui sibi commissa dissipaverit. Unde dicitur in hodierno evangelio: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, villici apud dominum diffamatio et bonorum ipsius dissipatio, cum praemittitur: Homo quidam. Secundum, debitorum domini sui convocatio, cum additur: Convocatis itaque singulis debitoribus. Tertium, pauperibus bona facientium in aeterna tabernacula receptio, cum subiungitur: Et ego

vobis dico: Facite vobis amicos etc. Cum his tribus sancti evangelii clausulis quaedam de Parabolis Salomonis volumus concordare. In introitu hodiernae missae cantatur: Dum clamarem ad Dominum. Et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Non simus concupiscentes malorum, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus clausulis evangelii concordare. Prima particula est: Non simus concupiscentes. Secunda: Itaque qui se existimat stare. Tertia: Fidelis autem Deus est.

I – De villici apud dominum diffamatione et bonorum ipsius dissipatione

3 – Dicamus ergo: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud ipsum quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae; iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo; mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. In hac prima clausula primo subtiliter est investigandum: quid homo dives, quid villicus, quid bonorum domini dissipatio, quid fodere, quid mendicare significent. Iste homo dives est Iesus Christus: homo propter humanitatem, dives propter divinitatem. Unde de eo dicit Salomon in Parabolis: Pauper et dives obviaverunt sibi; utriusque operator est Dominus. Pauper, idest humana natura, et dives, idest divina, coniunctae sunt in Christo, ut absolveretur homo pauper, poenis et culpis obligatus. De huius hominis divitis divitiis dicitur in Parabolis: Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria. Viae eius viae pulchrae, et omnes semitae illius pacificae. 'Dextra dicta, dans extra; sinistra, sinens extra'. Sinistra et dextra Iesu Christi sunt duo adventus: primus in sinistra, secundus in dextera designatur. In primo Christus habuit divitias, scilicet paupertatem, humilitatem, quas in nundinis nostris proposuit, ut eas emeremus, sine quibus divites esse non possumus. Proposuit etiam et gloriam, quae est in tribulatione laetitia, in persecutione patientia. Ad has nundinas venerant apostoli, in quibus mirabiles merces lucrabantur, cum ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Super hoc habes concordantiam in Parabolis: Malum est, malum est, dicit omnis emptor; et cum recesserit, tunc gloriabitur. Si ad nundinas tribulationum, in quibus venduntur verae divitiae, ire disponis, vide prius si habes in bursa cordis pretium patientiae et laetitiae, quo emere possis; alioquin non consulo tibi quod accedas, quia vacuus redibis. Si vero confidis de pretio, accede et eme. Non cures si difficiles sunt divitiae, si malum, idest amarum, est bibere calicem tribulationis; quia, cum recesseris, tunc gloriaberis, quia de sinistra ad dexteram, in qua est longitudo dierum, transibis. Longitudine, inquit, dierum replebo eum etc. Sequitur: Viae eius viae pulchrae etc. Nota quod Iesu Christi duae sunt viae et duae semitae. Prima via fuit a Patre ad matrem, et haec via dicitur caritas, de qua Propheta: Deduc me, Domine, in via tua etc. Secunda via, a matre in mundum, et haec dicitur humilitas, de qua in Psalmo: In mari via tua etc., quasi diceret: O Christe, tu es factus via humilitatis in Maria. Cum hoc nomine mari iunge a huius pronominis tua, et fit Maria, "quae interpretatur stella maris". Hae viae sunt pulchrae. Unde de prima dicitur in Psalmo: Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna. O Verbum, quod cor Patris eructavit, intende prospere ad humani generis liberationem, procede ad suscipiendum humanitatem, et regna, devicto diabolo, ut dicas: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; et hoc totum fac in pulchritudine tuae caritatis, qua expellas

lepram nostrae iniquitatis. De pulchritudine secundae viae dicitur in Canticis: Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Mater et filia principis, idest Iesu Christi, fuit beata Maria, cuius gressus, idest mentis affectus, fuerunt pulchri in calceamentis scilicet hyacinthinis, idest gloriae caelestis desideriis. Unde Ezechiel: Calceavi te hyacintho, 'idest supernorum desiderio'. Et Iudith, ut in eiusdem dicitur libro, induit sandalia pedibus suis. "Iudith interpretatur confitens", et significat beatam Mariam, quae confessa est Domino, dicens: Magnificat anima mea Dominum. Haec pedibus affectuum induit sandalia desideriorum caelestium. Item, prima semita Iesu Christi fuit iudaicae persecutionis; secunda, patibulum crucis. "Semita dicta, quasi dimidium iter". Semis vel semissis, idest dimidium. Hae viae pacificae fuerunt, idest pacem nobis facientes. Unde Isaias: Disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus. 'Disciplina dicta, quia addiscitur plena'. Dei Filius pro nobis suscepit Passionis disciplinam, 'ut per suum sanguinem pacificaret quae in caelis sunt, et quae in terra', Deo Patri scilicet humanum genus reconciliando. Attende, o miser homo, quanta erat discordia inter te et Deum Patrem, cui numquam poteras reconciliari nisi disciplina sui Filii. Considera, peccator, quam gravia erant tua vulnera, quae non potuerunt curari nisi vulneribus Iesu Christi. Et quia tua vulnera erant ad mortem, mortem scilicet aeternam, ideo Dei Filius pro te fuit mortuus. 'Dolor est medicina doloris'. Noli ergo, obsecro, esse ingratus homini diviti, Dei et hominis filio, quia tua vulnera suis vulneribus curavit, sua morte te mortuum vivificavit, qui bonorum suorum villicum te constituit, ut ea conservares, non dissipares. Sed quia non times dissipare, ideo oportebit te rationem reddere. Unde in evangelio bene praemittitur: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset etc. "Villicus proprie dicitur villae custos, sed ponitur hic pro oeconomo, idest dispensatore, qui universam substantiam domus dispensat". Iste villicus quemlibet hominem significat, cui Dominus commisit tria dona: gratuita, naturalia et temporalia. Sed infelix gratuita et naturalia mortaliter peccando dissipat, temporalia male congregando vel non bene expendendo.

4 – Et qualiter ista dissipatio fiat, super hoc habes concordantiam in Parabolis Salomonis: Per tria, inquit, movetur terra, et quartum quod non potest sustinere: per servum cum regnaverit, per stultum cum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem cum in matrimonium fuerit assumpta, et per ancillam cum heres fuerit dominae suae. "Terra, a superiori parte, qua teritur, dicta", mentem hominis significat, quae multis et variis cogitationibus teritur, trita movetur, mota dissipatur, dissipata 'gratuitis spoliatur et in naturalibus vulneratur'. Movetur, inquam, illo quaternario maledicto, scilicet per servum etc. Servus regnans est corpus recalcitrans, de quo dicit Ecclesiasticus: Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo. Operatur in disciplina et quaerit requiescere; laxa manus illi et quaerit libertatem. Iugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduae. Servo malevolo tortura et compedes, mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum, sic enim condecet illum; quod si non audierit, grava illum compedibus. Sed, quia discretio in corporis afflictione valde est necessaria, ideo statim sequitur: Verum sine iudicio nihil facias grave. Si est tibi servus sensatus vel fidelis, in nullo scilicet te molestans caro tua, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta. Item, per stultum cum satiatus fuerit cibo. Stultus est animus infatuatus, deliciis inebriatus, de quo in Parabolis: Pestilente flagellato stultus sapientior erit. Pestilente, idest corpore, eo modo ut

dictum est flagellato, stultus, idest animus, sapientior erit, quia non deliciis sed lacrimis inebriatur. Item, in eodem: Stultitia alligata est in corde pueri; et virga disciplinae fugabit eam. Puer est corpus, puerilia agens, poma et flores temporalium quaerens, in cuius corde stultitia, idest amor temporalium est alligatus, quem virga poenitentiae fugat. Ita debet fieri superbo cordi sicut irato leoni, ante quem percutitur catulus, ex cuius percussione perterritus, ferocitatem deponit. A simili, si corpus virga abstinentiae percutitur, leoninus animus humiliatur. Item, per mulierem odiosam cum in matrimonium fuerit assumpta. "Mulier, a mollitie dicta, quasi mollier", est perversa cogitatio, quae tunc est odiosa, cum ad mentis consensum perducitur; tunc in matrimonium assumitur, cum opere foris exercetur. Item, per ancillam cum fuerit heres dominae suae. Domina est ratio, ancilla, sensualitas, quam etiam terra sustinere non poterit, cum ipsa sibi dominationem rationis usurpaverit. Isto maledicto quaternario villicus ingratus dissipat bona domini sui, et ideo diffamatur apud illum. "Haec accusatio fit, ut ibi dicit GLOSSA, quando non exercet opera pietatis erga illos quibus debuit".

5 – Sequitur: Et vocavit illum. Villicum dominus tunc "vocat, quando incutit timorem aeternae damnationis". Et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae, idest "dum vivis cogita qualiter debes operari". Qui operatur terram suam, inquit Salomon in Parabolis, saturabitur panibus; qui vero sectatur otium, replebitur egestate. Panibus gratiae in praesenti et gloriae in futuro saturabitur, qui terram "corporis sui" exercet in bonis operibus. Qui vero sectatur otium, idest corporis voluptatem, mortis aeternae egestate replebitur. Iam enim, "idest a tempore mortis", non poteris villicare. Ait autem villicus intra se, "timore scilicet perterritus": Quid faciam, "ut poenas evitem", quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo etc. Peccator, "cum considerat omnia temporalia cum vita ista sibi esse finienda, magis de acquirendis amicis quam congregandis divitiis pertractat; intelligens finita vita ista non esse ei locum, ut terram mentis suae fossorio devotae compunctionis fodiat ad ferendum fructum; ubi etiam confusibile erit mendicare, eo modo quo virgines fatuae mendicabunt". Unde Salomon: 'Piger in hieme noluit arare, mendicabit autem aestate, et non dabitur ei', qui in hieme vitae praesentis non vult arare, idest poenitentiam agere. 'Arare ab aere dicitur, quia prius aere arabatur'. Aes, durabile et sonorum, poenitentiam constantem et accusatoriam significat, qua patres antiqui carnem suam solebant arare. Sed nostri moderni arant non aere, sed ligno sicco. Fere hodie nullus est qui agat veram poenitentiam, et ideo mendicabunt aestate, 'idest generali resurrectione': Domine, Domine, aperi nobis. Et non dabitur eis vita, immo dicetur: Ite, maledicti, in ignem aeternum etc.

6 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idolatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. In hac clausula quattuor specialiter notantur, scilicet: idolatria, fornicatio, tentatio et murmuratio, quibus bona hominis divitis dissipantur. Iste quaternarius superiori concordat quaternario. Qui corpus suum, servum malevolum, non

ad necessitatem sed ad voluptatem amat, quasi idolatra idolum adorat, quemadmodum scriptum est "in Exodo": Sedit populus manducare et bibere, "scilicet coram vitulo", et surrexerunt ludere, idest ipsum adorare, vel "in ipsius veneratione ludos facere". Item, cum stultus cibo immoderate satiatur, fornicatione polluitur, sicut legitur in libro Numeri, quod 'fornicatus est Israel cum filiabus Moab, quae vocaverunt eos ad sacrificia sua, et comederunt idolothyta. Et iratus est Dominus. Et ceciderunt una die viginti tria millia'. Ecce quod ex gula fornicatio, ex fornicatione provenit mortis perditio. Item, qui mulierem odiosam ducit in matrimonium, per mentis et operis consensum, tentat Christum, cum, potius sibi quam illi obediens, eum tantum verbis confitetur. Ipse enim illa tria breviter comprehendit, dicens: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, ecce mulier odiosa, iam moechatus est eam in corde suo, ecce iam in matrimonium assumpta, et ideo morsibus serpentium, idest daemonum, feriendus. Item, qui ancillam, idest sensualitatem, efficit dominam rationis, murmur et dissensionem excitat in habitaculum suae mentis. Rogemus ergo Dominum, ut quaternario virtutum istum quaternarium vitiorum destruat, terram mentis nostrae stabiliat, bona sua ne dissipentur in nobis conservet, quatenus ad bona ipsius possidenda pervenire mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

7 – Homo quidam erat dives, qui habebat villicum etc. Villicus iste praelatum, cui Dominus villam, idest Ecclesiam suam, custodiendam commisit, significat. Cui loquitur Salomon in Parabolis: Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generationem generationum. O praelate, cognosce diligenter vultum pecoris, idest subditi, tui, si thau Passionis dominicae habet in fronte, quod in Baptismo suscepit, vel si ipsum abraserit 'et characterem bestiae superscripserit'; tuosque greges considera, ne aliquis, haeresis vel schismatis morbo infectus, alios inficiat. Discurre ergo, ut idem dicit in eodem, festina, suscita amicum tuum. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Non enim iugiter habebis potestatem, sed interim; si bene vigilaveris super custodiam gregis tui, tribuetur tibi corona in saeculum saeculi. Ecce qualiter villicus villam domini sui debet custodire. Sed, heu! heu! non dico villicus, sed latro et lupus, villam domini sui dissipat, et bona sibi commissa devorat. Unde, quomodo malitia praelatorum Ecclesia dissipetur, dicit Salomon in Parabolis: Per tria movetur terra, et quartum sustinere non potest: Per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; per mulierem odiosam, cum in matrimonio fuerit assumpta, et per ancillam, cum heres fuerit dominae suae. Terra, cui benedixit Dominus, est sancta Ecclesia, de qua ipse dicit in Genesi: Germinet terra herbam virentem etc. De hoc quaere in sermone: In principio creavit Deus caelum et terram. Haec terra, fidelium scilicet congregatio, movetur a fidei stabilitate, a vitae sanctitate, exemplo malitiae praelatorum. Per servum, inquit, cum regnaverit. 'Servus regnans est praelatus, peccati servus, spiritu superbiae elatus, simia in tecto, praesidens Dei populo', de quo dicit Salomon in Parabolis: Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius, super populum pauperem. Ecclesiae praelatus, servus regnans, princeps iniquus, est leo rugiens per superbiam, ursus esuriens per rapinam, spolians populum pauperem. Sed nota quod iste infelix crudelior est urso. Dicitur enim in NATURALIBUS quod 'natura aquilae et ursi talis est, ut numquam in ea ora rapiat, ubi sibi nidum vel antrum elegerit'. Serve nequam, parce saltem tuis, in quibus elegisti nidum tui stercoris et antrum tuae caecitatis. Iste servus facit suis subditis sicut vultur suis pullis, de quo dicitur

in NATURALIBUS quod vultur eicit pullos suos ante tempus, in quo possunt volare', et facit hoc ex invidia ad pullos, quoniam invidet naturaliter; et est fortis famis, et cum famescit deprehendit multum et invidet pullis, cum impinguantur. "Vultur a volatu tardo nominata dicitur, magnitudine quidem corporis, praepetes non habet volatus", et significat praelatum Ecclesiae, qui temporalibus praepeditus, a terrenis ad caelestia volare non potest. Hic subditos suos, malo exemplo suae vitae, eicit; antequam volare, idest mundum contemnere, caelestia amare possint; a nido fidei, a bono proposito expellit. Heu! quanti, malo exemplo praelatorum, nido fidei, de quo dicit Iob: In nidulo meo moriar, contempto, ad haereticos sunt conversi. Et quia 'invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum', iste invidet suis subditis, suis parochianis, dum eos videt, prosperis succedentibus, abundare. "Invidus alterius macrescit rebus opimis". Si suorum felicitate torquetur, quibus felicia debet optare? cuius felici eventu poterit gaudere? 'Qui suis nequam est, quomodo aliis bonus esse potest?' Per talem ergo servum dissipatur Ecclesia Iesu Christi. Item, movetur per stultum, cum saturatus fuerit cibo. Stultus saturatus cibo est Ecclesiae praelatus, gulosus et luxuriosus, de quo in Parabolis: Qui amat pinguia et vinum non ditabitur', scilicet bonis spiritualibus. Huic loquitur Salomon, in eisdem Parabolis: Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; ne forte bibant et obliviscantur iudiciorum sive beneficiorum, et mutent causam filiorum pauperum. "Lamuel interpretatur in quo est Deus", et significat praelatum, in quo est Deus per officii dignitatem et, utinam! per vitae sanctitatem. Huic bis dicitur, ut firmius memoriae inhaereat, quod praecipitur: Noli, noli regibus dare vinum. Reges sunt omnes fideles, summi Regis membra, quibus, o praelate, noli dare vinum, 'in quo gula et luxuria designantur', idest noli eos corrumpere tuae vitae malo exemplo. Noli, inquam, dare vinum, quia ubi, idest sive in praelato sive in subdito, talis regnat ebrietas, nullum est secretum castitatis et munditiae. Noli, inquam, dare vinum, ne, tuae malae vitae inebriati exemplo, obliviscantur iudiciorum Dei, et mutent, iniuste iudicantes, causam filiorum pauperum, qui iustitiam sibi fieri petunt. Cum caput languet, cetera membra dolent. Arescente radice, arescunt et rami. Unde in Parabolis: Cum prophetia, vitae et doctrinae in praelato, defecerit, dissipabibur populus, quia obliviscuntur iudiciorum Dei et iniuste iudicant causam pauperum. Ecce quanta ruina populi ex mala praelati vita, qui, cum cibo saturatur, Dei et populi sibi commissi obliviscitur. Hic, ut dicitur in Parabolis, facit sicut mulier adultera, quae comedit et, tergens os suum, dicit: Non sum operata malum. Sic iste, cum multa mala commiserit, sanctus et iustus in conspectu hominum apparere cupit.

8 – Item, Ecclesia dissipatur per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta. Mulier est praelatorum simonia, quae cum promittitur est odiosa, cum recipitur in matrimonium est assumpta. De hac muliere dicit Salomon in Parabolis: Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suae, super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes viam, et pergentes in itinere suo: Quis est parvulus declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sint, et in profundis inferni convivae eius. Qui enim applicabitur illi descendet ad inferos; nam qui abscesserit ab ea salvabitur. Nota quod, simonia dicitur mulier stulta et clamosa, plena illecebris, et nihil sciens. Mulier, quia per eam omnes iam fere corrupti sunt; stulta, quia vendit aurum pro plumbo, spirituale pro temporali; clamosa, quia causis et curiis effrons oblatrat; plena illecebris,

quas, dato animae suae pretio, emit in sua confusione; nihil omnino sciens nec intelligens, quoniam Deus tantum facinus inultum non permittet, quia ‘pecunia simoniaci cum illo erit in perditione, quoniam donum Dei, gratis datum, pecunia recepta vendidit’. Sequitur: Sedit in foribus domus suae etc. ‘Domus simoniae est prava voluntas simoniaci, cuius fores sunt manus et lingua, in quibus sedet simonia. Quicumque enim prece vel pretio, verbo vel dono, promissione vel oblatione, timore vel amore terreno et carnali, spirituale vel adnexum spirituali vendiderit vel dederit, simoniacus est, et salvari non potest nisi resignet et veram agat poenitentiam. Prava etiam voluntas emendi vel vendendi spirituale facit hominem simoniacum’. Et quia simonia in maioribus Ecclesiae praelatis maiorem elegit sibi locum, ideo additur: Super sellam in excelso urbis loco. “Urbs dicitur ab orbe, idest rotunditate, quia antiqui civitatem in orbe faciebant”. Urbs est Ecclesia, quae debet esse rotunda, idest perfecta, cui dicit Dominus: ‘Ut sitis perfecti sicut et Pater vester perfectus est’. Excelsus Ecclesiae locus est dignitas praelaturae. Simonia ergo sedet super sellam in excelso urbis loco, idest super illos qui sedent in cathedris ecclesiasticae dignitatis; quas quia amant, ideo carebunt secundis, ‘cum ceciderint de sella retrorsum, cervicibus fractis’. Vae ergo illis, qui libenter munera accipiunt, quae excaecant oculos sapientium. Hi Ierusalem aedificant in sanguine, idest consanguineis suis, nepotibus et nepotellis, ecclesiastica beneficia concedentes. Pars sacrilegii est rem pauperum dare non pauperibus. Si das parenti, debes dare non quia parens, sed quia pauper est. Cave ergo, ne mittas patrimonium Iesu Christi in corbonam, quia pretium sanguinis est. Noli ergo dare sanguinem sanguini, sed da peregrino et pauperi, ‘in quorum sepulturam, dominici sanguinis pretio, emptus fuit ager Haceldama’, idest sancta Ecclesia, cuius bona non divitum sed pauperum sunt. Sequitur: Ut vocaret transeuntes etc. Transeuntes et itinere suo pergentes sunt viri poenitentes, qui, ‘hic non habentes manentem civitatem’, deposita sarcina, currunt post Iesum, palmam supernae vocationis apprehendere festinantes. Hos vocat mulier fatua, sedens in excelso, ut ad se declinent. Ipsi vero, non ‘claritatem quae ex hominibus est, sed quae ex solo Deo quaerentes’, ad ipsam omnino renuunt declinare. Sed parvulus et vecors, “idest sine corde”, idest carnales ‘carnem sapientes, quorum gloria in confusione ipsorum’, ad ipsam declinant, aquam furtivam bibentes et panem eius absconditum devorantes. Aquae furtivae sunt praebendae, quae furtim, idest simoniace, hauriuntur. Panis absconditus, dignitatum excellentia, quae, in abscondito et quasi in obscuro, caecis vita et scientia confertur. Ista tanto dulciora et suaviora sunt quanto maiori ardore sitis et fame cupiditatis acquiruntur. Et ignorant infelices quod gigantes, idest daemones, sint ibi, idest in dignitate taliter acquisita; et in profundis inferni, cum diabolo aeternaliter puniendi, erunt convivae eius, idest simoniaci. Qui isti mulieri odiosae in matrimonium se applicaverit, ad inferos descendet; qui vero discesserit ab illa, salvabitur. Bene ergo dicitur, quod simonia dissipatur Ecclesia.

9 – Movetur etiam per ancillam, cum fuerit heres dominae suae. ‘Domina est theologia; ancilla, lex iustiniana et lucrativa scientia’. Hodie ancilla, dominae; Agar, Sarae; lex iustiniana legi divinae praeficitur. Nostri temporis praelati, non Christi sed Antichristi discipuli, legitima uxore contempta, ad concubinam accedere non verentur, ‘quae, videns se concepisse, despicit dominam suam’. ‘In curiis episcoporum perstrepunt legem Iustiniani non Christi, narrant fabulationes iniqui, sed non ut lex tua’, Domine, quae iam est derelicta et odio habita. Unde necesse habet clamare et dicere cum Sara ad Abraham: Inique agis contra me; dedi ancillam meam in sinum tuum, quae videns quod concepit

despectui me habet. Dissimulat interim Abraham, sed veniet sine dubio tempus, cum dicet: 'Eice ancillam et filium eius, et hereditatem sola libera consequetur'. O quam miser est qui legi, secundum quam temporalia iudicantur, impendit operam, et legem, qua ipse iudicabitur, non attendit! De hac materia plenius invenies in evangelio: Ego sum pastor bonus. Ecce iam habes qualiter villicus bona Domini dissipat, qualiter malitia praelatorum destruitur Ecclesia, quae, eorum oppressa iniquitate, in introitu hodiernae missae ad suum sponsum dicit: "Dum clamarem ad Dominum exaudivit vocem meam, ab his qui appropinquant mihi; et humiliavit eos qui est ante saecula et manet in aeternum. Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet". Hic tria notantur: clamoris Ecclesiae exauditio, falsorum ministrorum deiectio, ipsius Ecclesiae consolatio. Ecclesia, sui sponsi paupertate consignata in medio nationis pravae atque perversae, quae sibi appropinquat nomine non numine, corpore non mente, clamat ad Dominum, a nationis pravae oppressione postulans liberari. Et misericors Dominus ipsam liberabit et nationem perversam et peccatricem, 'quae se dicit ecclesiam et est synagoga Satanae', humiliabit usque ad inferos, cum 'aream suam mundabit et triticum in horreum suum congregabit, et paleas, idest illos qui modo disperguntur ad quaerendas divitiarum paleas, comburet igne inextinguibili'. Iacta ergo, o Ecclesia paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione, cogitatum tuum in Domino, quia ipse te enutriet, quia 'mammillis regum, ut dicit Isaias, lactaberis'. Reges sunt apostoli, duae mammillae, Christi doctrina et Sancti Spiritus gratia, quibus lactati fuerunt apostoli, quibus tamdiu lactaberis quousque, 'de virtute in virtutem accrescens, videbitur Deus deorum in Sion', cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

II – De debitorum domini convocatione

10 – Sequitur secundum. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta. Deinde alii dixit: Tu quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Dixitque illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter egisset; quia filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Super hunc locum dicit GLOSSA: "Cadus graece, amphora latine, continens urnas tres. Corus modiis impletur triginta. Simpliciter sic potest accipi. Quisquis indigentiam pauperis vel ex dimidia vel ex quinta alleviat parte, misericordiae suae [mercede] donandus est". MORALITER. Quid isti duo debitores, quid centum cadi olei et quid centum cori tritici, quid quinquaginta et octoginta significent videamus. Isti duo debitores omnes significant fideles, qui duo praecepta caritatis, qua Deum et proximum tenentur diligere, debent observare. In centum cadis olei, Dei caritas; in centum coris tritici proximi dilectio designatur. Nota rationem quare oleum Dei caritatem significat. Oleum superenatat omni liquori; et haec est causa, 'quoniam in pinguedine nihil est ex aqua et terra, sed ex aere, et propter hoc natat super aquam, quoniam aer, qui est in oleo, defert ipsum, quasi esset in utre, et ista est levitas eius'. Sic amor Dei omni amori debet superenatare. Unde Salomon in Parabolis: Fructus sapientiae pretiosior est cunctis opibus, et omnia quae desiderantur huic non valent comparari. Fructus sapientiae est Dei amor, cuius dulcedine degustata, 'sapit anima quam suavis sit Dominus'. Quid ergo eo pretiosius? Quid desiderabilius? Huic nec opes nec gloria rerum valent comparari. Et sicut in oleo nihil est ex aqua et terra, sed ex aere, sic in

Dei amore nihil carnalitatis, nihil terrenitatis debet admisceri, sed tantum aer, idest puritas mentis et conversatio caelestis. Beata illa anima quae in se habet Dei amorem, quoniam natat super omnem aquam, quia aer qui est in amante anima, defert ipsam.

11 – Unde in Genesi: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Nota quod ista auctoritas quattuor modis potest exponi. Primo sic: Sicut mens artificis superfertur operi quod facturus est, et sicut avis superfertur ovis, ex quibus procreandi sunt pulli, sic Spiritus Domini ferebatur super aquas, ex quibus 'facturus erat omnes rerum species iuxta genus suum'. Secundo sic: Spiritus Domini, idest spiritualis intellectus, debet ferri super aquas, idest carnalem intellectum. Unde in Ioanne: Spiritus est qui vivificat, caro autem, idest carnalis intellectus, non prodest quidquam, quia littera occidit – unde, in secundo libro Regum, 'Urias suae mortis litteras secum detulit' – spiritus autem vivificat '. De quo Ezechiel: Spiritus vitae erat in rotis'. In rotis Veteris et Novi Testamenti est spiritus vitae, idest spiritualis intellectus, animam vivificans. Unde in Parabolis: Lex sapientis fons vitae, ut declinet a ruina mortis. Tertio sic: Spiritus Domini, idest spiritualis praelatus, fertur super aquas, idest super populos. 'Quantum enim distat vita pastoris a vita pecoris, tantum distare debet vita praelati a vita subditi'. Unde Ezeclliel: Similitudo firmamenti super capita animalium, quasi aspectus crystalli horribilis et extenti super capita eorum desuper. Firmamentum est praelatus, in quo debet esse sol purae vitae, luna doctrinae, illuminantis noctem huius exilii, stellae bonae famae, cuius conversatio debet esse quasi aspectus crystalli horribilis. In crystallo constantia mentis et blanditia mansuetudinis, in horribili severitas correctionis designatur. Praelatus constans et lenis, severus et horribilis, ut res expostulat, debet esse, et sic feretur super aquas et super capita animalium, idest suorum subditorum, super quos debet extendi, ut eos protegat et defendat. Quarto sic: Spiritus Domini, idest anima, quae spiritum amoris divini iam concepit, fertur super aquas, idest super temporalia. Unde in Genesi: Arca ferebatur super aquas. Et aquae praevaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo caelo. Aquae divitiarum et concupiscentiarum ita iam praevaluerunt, quod totam terram operuerunt. Unde Isaias: Repleta est terra eius auro et argento, et non est finis thesaurorum eius, ecce avaritia; et repleta est terra eius equis, et innumerabiles quadrigae eius, ecce superbia; et repleta est terra eius idolis, ecce luxuria. His maledictis aquis cooperta est omnis terra, et, quod deterius et periculosius est, omnes montes excelsi, idest Ecclesiae praelati, istis aquis sunt cooperti. Sed arca Noe, idest anima viri spiritualis, fertur super aquas, quia omnia reputat tamquam stercora. Bene ergo dicitur, quod oleum amoris divini superenatat omni liquori. In centum cadis olei summa perfectio divini amoris intelligitur. Villicus ergo, idest Ecclesiae praelatus, debet dicere cuilibet fideli, qui debitor est Dei: Quantum debes domino meo, idest quantum teneris Deum diligere? Respondet: Centum cados olei, idest omnem perfectionem amoris ei debeo, quia ex toto corde, ex tota anima et ex omni virtute eum diligere teneor. Sed quia homo peccator sum, ideo ad illam amoris perfectionem pervenire non valeo. Tunc Ecclesiae villicus, sibi et illi praevidens, debet dicere: Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta. 'Cautio, a cavendo dicta, est breve recordationis chirographum'. Nota hic tria, in quibus vera poenitentia consistit. Praelatus vel sacerdos debet dicere peccatori: Quia ad illam summi amoris perfectionem nondum potes ascendere, interim accipe cautionem tuam, idest praepara vitam tuam ad agendam poenitentiam, et sede, in cordis contritione, cito, quia tempus breve est; scribe, in oris confessione, quinquaginta,

in operis satisfactione. De hoc numero quinquaginta plenius invenies in sermone: Cum complerentur dies Pentecostes.

12 – Sequitur: Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici etc. Triticum est proximi dilectio, de quo Salomon in Parabolis: Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium. Qui abscondit, idest subtrahit, frumentum, idest dilectionem proximo, maledicetur in illo generali conventu, in quo omnis populus astabit ante tribunal iudicis. Benedictio autem, Venite, benedicti Patris mei, super caput vendentium. Si vendis proximo triticum dilectionis, recipies mercedem retributionis aeternae. Unde in Parabolis: Foeneratur Domino qui miseretur pauperis; et vicissitudinem reddet ei. In centum coris tritici perfectio internae dilectionis intelligitur. Dicat ergo villicus, dicat Ecclesiae sacerdos vel praelatus peccatori: Quantum debes, idest quantum diligere debes in Deo proximum tuum? Respondet: Centum coros tritici, idest amicum et inimicum, in Deum et propter Deum, teneor diligere, et pro ipso, si necesse fuerit, animam ponere. Sed quia carnalis et debilis sum, ideo ad tantam proximi dilectionem non valeo pervenire. Tunc villicus debet ei dicere: Quia nondum pro fratre animam morti vales exponere, interim accipe litteras tuas et scribe octoginta. "Littera dicta, quasi legitera, eo quod iter legentibus praestet, vel quod in legendo iteratur". Accipe ergo litteras tuas, idest praepara mentis tuae iter ad diligendum proximum; et scribe octoginta, idest, doce eum ne erret et refice ne deficiat; doce animam quattuor evangelistarum doctrinis; refice eius corpus, quod consistit ex quattuor elementis, subsidio beneficii temporalis, et sic scribes octoginta. Has litteras prae oculis semper debes habere, ut quoties proximum vides, toties in eo octoginta scribas et scribendo legas et legendo iteres. Tibi enim sic legenti ipsae litterae praestabunt iter, quo pervenies ad bravium capiendum.

13 – Sequitur: Et laudavit dominus villicum iniquitatis etc. Sacerdos vel Ecclesiae praelatus, quia male vivendo bona Domini sui dissipat, ideo iniquus dicitur. "Iniquus, quod non sit aequus, sed pravis operibus maculatus". Sed, quia peccatoribus consulit, verbum Domini proponit, et quid Deo et proximo quilibet, secundum posse suum, debeat reddere ostendit et prudenter instruit, a Domino laudatur: Filii enim huius saeculi etc. Nota quod "prudentia humanis rebus, sapientia divinis tribuitur". Prudentiae partes sunt scientia rerum civilium, militarium, terrestrium, nauticarum. Item, "prudentia est rerum bonarum et malarum utriusque scientia, cuius partes sunt memoria, intelligentia, providentia". Secundum, generationibus constat. Unde dictum quod sequatur, abeuntibus enim aliis alia succedunt: Filii ergo huius saeculi prudentiores sunt in generatione sua, "scilicet carnali", filiis lucis. Lux dicta, quod diluat tenebras. Filii huius saeculi, temporalia sequentes, filiis lucis, ipsa contemnentibus, qui luce vitae suae tenebras peccatorum diluunt, prudentiores sunt in generatione sua. De qua habes concordantiam in Parabolis Salomonis: Generatio quae patri suo maledicit et quae non benedicit matri suae. Generatio quae sibi munda esse videtur, et tamen non est lota [a] sordibus suis. Generatio cuius excelsi sunt oculi, et palpebrae eius in altum surrectae. Generatio quae pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus. Nota quod in hac auctoritate quattuor genera hominum iniquorum ponuntur, scilicet perversi praelati, falsi religiosi, superbi, avari et usurarii. Generatio, quae patri suo maledicit et matri suae non benedicit, sunt perversi Ecclesiae praelati et sacerdotes,

qui Deo Patri, ‘cuius nomen per eos blasphematur’, vitae immunditia, officii negligentia maledicunt, et matri suae Ecclesiae non benedicunt, immo eius fidem, quam praedicare verbo et exemplo debent, malis operibus destruunt. Item, generatio, quae sibi munda videtur, sunt falsi religiosi, ‘hypocritae, similes sepulcris dealbatis’, de quibus dicit beatus BERNARDUS: ‘Si possent exterius sine nota vivere, salva sibi omnia arbitrantur’. Item, generatio, cuius excelsi sunt oculi, sunt superbi, qui ‘extento collo et nutibus oculorum vadunt’, quorum palpebrae gressus non praecedunt, sed in altum se erigunt. “Contra quos dicit Propheta: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei”. Item, generatio, quae pro dentibus etc., sunt avari et usurarii, “quorum dentes arma et sagittae”, qui pauperes devorant et substantias aliorum sibi acquirunt. Omnes isti sunt filii huius saeculi, qui filios lucis stultos reputant, se autem prudentiores, ‘quorum prudentia mors est’. Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Villicus putabat se stare, sed a villicatione cecidit, quia bona domini dissipavit. Filii huius saeculi existimant se stare, sed, subtracto baculo divitiarum arundineo, cui innituntur, cadent in infernum, et tunc cognoscent, quod filii lucis prudentiores sunt filiis huius saeculi. “Tentatio, idest peccati delectatio, non apprehendat vos, o filii lucis, idest rationem in consensum non ducat, nisi humana, idest nisi de his sine quibus ista vita non agitur. Humana tentatio est aliter sapere quam res se habeat, et cum bono animo tamen in aliquo labimur consilio. Sed si non est in nobis perfectio angeli, non sit praesumptio diaboli”. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut tuam et proximi dilectionem nobis tribuas, filios lucis nos facias, a casu peccati et tentatione diaboli nos eripias, quatenus ad lucis inaccessibilis gloriam ascendere mereamur. Te praestante, qui es benedictus et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

III – De pauperibus bona facientium in aeterna tabernacula receptione

14 – Sequitur tertium. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. “Mammona, lingua Syrorum, divitiae iniquitatis, quia de iniquitate collectae sunt. Si ergo iniquitas bene dispensata vertitur in iustitiam, quanto magis divitiae divini sermonis, in quo nulla est iniquitas, bonum dispensatorem levant in caelum?”. “Amicus dictus, quasi animi custos”, vel “ab amando”. “Amicitia est voluntas erga aliquos rerum bonarum illius causa quem diligit, cum eius pari voluntate”. Huius mundi divites, qui mendaciis divitias de iniquitate, ‘idest inaequalitate’, congregant, nullos habent propinquiores amicos, si bene cognovissent, quam pauperes manus, quorum Christi sunt gazophilacium. GREGORIUS: “Ut in sua manu post mortem divites aliquid inveniant, eis ante mortem dicitur in quorum manibus divitias suas ponant”. ‘O dives, da Christo de his quae tibi dedit. Habuisti largitorem, habe debitorem, posside foeneratorem’. O dives, manum aridam, obsecro, extende pauperi, et quae prius erat arida avaritia, floreat nunc eleemosyna. Unde Salomon in Ecclesiaste: Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis. ‘Amygdalus, ut dicit GREGORIUS, ante alias arbores floret’ et significat eleemosynarium, qui, compassione et misericordia floridus, ante omnia florem eleemosynae debet emittere. Unde Isaias: Florebit et germinabit Israel. Israel, idest vir iustus, florebit eleemosyna, germinabit compassione. Sed nota quod, cum germen prius sit flore, non praemisit germinabit, sed florebit et germinabit: hac scilicet ratione quia,

cum vir iustus floret eleemosyna, debet germinare compassione, quia non tantum manu, sed etiam cordis affectu, ipsam debet pauperi porrigere, ne eleemosynam defleat avaritia. Florebit ergo amygdalus, idest eleemosynarius, et impinguabitur locusta, idest pauper, qui bene comparatur locustae. Sicut enim 'locusta, tempore frigoris torpescens vires amittit, sed adveniente calore quasi ilarescit et salit', sic pauper tempore famis frigore necessitatis vires amittit, corpore rigescit, facie pallescit, sed adveniente beneficii calore, eleemosynae munere, vires recipit, et de collato beneficio Deo et danti gratias reddit. Et sic dissipatur capparis, idest avaritia. Avaritiae dissipatio, eleemosynae distributio. Facite ergo vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula.

15 – Nota quod, quattuor sunt tabernacula. Prima sunt carnalium, secunda incipientium, tertia proficientium, quarta pervenientium. Prima sunt Idumaeorum et Ismaelitae, secunda Cedar, tertia Iacob, quarta Domini virtutum. De primis dicitur in Psalmo: Adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae. "Idumaei, sanguinolenti, Ismaelitae interpretantur obedientes, sibi, supple, et non Deo". Per hos luxuriosos, qui sanguine luxuriae inquinantur, et superbos, qui non Deo sed suae voluntati obediunt, intelligimus. Horum tabernacula, idest conventicula, disponunt testamentum adversus testamentum, quod Dominus in monte condidit, scilicet Beati pauperes spiritu. De his tabernaculis fugiendum est ad tabernacula Cedar; de quibus in Canticis: Nigra sum, sed formosa, filiae Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Hanc auctoritatem invenies expositam in sermone: Cum immundus spiritus exierit. Qui in his tabernaculis bene militaverit, transiet ad tabernacula Iacob, de quibus dicitur in libro Numeri: Quam pulchra tabernacula [tua] Iacob! et tentoria tua Israel! Ut valles nemorosae, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quae fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Nota ista tria: valles, horti, cedri. In vallibus nemorosis, mentis humiliatio; in hortis irriguis, lacrimarum compunctio; in cedris supernorum contemplatio designatur. Tabernacula ergo Iacob et tentoria Israel sunt militia viri activi et contemplativi, quae tabernacula fixit Dominus, quia iuxta beneplacitum Domini sunt disposita. Unde in Exodo dictum est Moysi: Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Mons dictus, motum non habens, est Christus, qui non abiit in consilio impiorum etc. Exemplar, ipsius vita, secundum quam nostra tabernacula debent figi et construi. Tabernacula et tentoria idem sunt et idem significant. "Tentorium dictum, quod tendatur funibus et palis", idest tabernaculum vel papilio. Tabernacula ergo viri activi et contemplativi sunt pulchra, ut valles nemorosae, quia in humilitate mentis, quae obumbraculum praestat contra ardorem vitiorum, consistunt; et ut horti iuxta fluvios irrigui, quia lacrimarum compunctione eorum mentes irrigantur; et quasi cedri prope aquas, quia in altitudine contemplationis, in odore sanctae conversationis, 'in abundantia fluminis, laetificantis civitatem Dei', radicitus superplantati. De his tabernaculis, cum finita militia fuerit, 'cum hiems transierit et imber abierit et recesserit', tunc transmigrabit ad 'tabernacula Domini virtutum', de quibus promittit Dominus in Isaia: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta. Populus poenitentium, populus Domini et oves pascuae eius, qui modo stat in certamine, sedebit in pulchritudine pacis. "Pax est tranquilla libertas", "a pacto dicta. Posterius vero pax accipitur, cum foedus primum initur". Qui modo foedus reconciliationis init cum

Domino, postea sedebit in pulchritudine pacis in caelesti regno. Pax temporis et pectoris, heu! quoties polluitur. Sed pax aeternitatis pulchra in saeculum saeculi permanebit et in tabernaculis fiduciae. Tunc enim 'non erit qui exterreat', sed habitabit confidenter et in requie opulenta. "Opulenta, ab ope dicta". Requies opulenta, geminae stolae scilicet, animae et corporis significat glorificationem, quam sancti aeternaliter possidebunt. Facite ergo, o divites, vobis pauperes amicos; recipite eos in vestra tabernacula, ut, cum defecerit vobis mammona iniquitatis, subtracta fuerit palea temporalis, recipiant vos in aeterna tabernacula, ubi est pulchritudo pacis, fiducia securitatis, requies opulenta aeternae satietatis. Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. Loquitur Apostolus Christi pauperibus et poenitentibus, 'in tabernaculis Cedar militantibus'. Fidelis est Deus, "in promissis verus", qui non patietur vos, "pro se tribulatos", tentari supra id quod potestis "ferre; sed qui dat tentanti licentiam, dat tentato misericordiam". Faciet cum tentatione etiam proventum, "idest virtutum augmentum", ut possitis sustinere, "idest ne deficiatis, sed vincatis". Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut de tabernaculis Idumaeorum nos faciat exire et in tabernaculis Cedar militare et ad tabernacula pacis Iacob transire, quatenus ad aeterna tabernacula pacis, fiduciae et requiei mereamur transmeare. Ipso praestante, qui est benedictus, laudabilis, amabilis, perennis per aeterna saecula. Dicat omnis Ecclesia: Amen. Alleluia.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decima dominica post Pentecosten: Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis in Nativitate vel Passione Domini, ibi: oritur sol et occidit. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de triplici nomine Ierusalem et ipsius significatione, ibi: Cum appropinquaret Iesus. Item de regina Saba et quid significet, ibi: Regina Saba. Item de mundi vanitate, ibi: Vidi cuncta sub sole quae fiunt. Item thema ad poenitentes et qualiter poenitentia sit agenda, ibi: Filia populi mei. Item de fletu, ibi: Oculi tui sicut columbae. Item de exultatione carnalium, ibi: Venite, fruamur bonis. Item thema contra amatores divitiarum, religiosos, praelatos et clericos, ibi: Anathema in medio tui, Israel. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de huius exilii miseria et hominis fine, ibi: Memento creatoris tui, et cetera quae de hac materia exponuntur. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema sermonis contra simoniacos, ibi: Et ingressus in templum. Item de Dei sapientia, scilicet Iesu Christo, et eius potentia, ibi: Sapientia attingit. Item sermo moralis de contemplatione, ibi: Intrans domum meam. Item sermo de oratione et quae ad ipsam sunt necessaria, et de natura apum, ibi: Domus mea domus orationis vocabitur. Item ad religiosos et de thuris collectione et ipsius proprietate, ibi: Quasi Libanus non incisus. Item de compunctione lacrimarum, ibi: Inebriabo te lacrima mea Hesebon. Item de spelunca latronum et natura draconis, struthionis, pilosi, ululae et sirenae, et quid significent, ibi: Requiescent bestiae.

Exordium. Sermo in Nativitate et Passione Domini

1 – In illo tempore: Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu. Dixit Salomon in Ecclesiaste: Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens, gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos regreditur. "Sol, dictus, quod solus luceat', est Iesus Christus, qui omnia vivificat et illuminat spiritualis gratiae spiendore et virtute, qui oritur fideli, occidit infideli"; vel oritur in Nativitate, occidit in Passione, unde: Sol cognovit occasum suum, et ad locum suum revertitur in Ascensione, unde: Exivi a Patre et veni in mundum, ubi occasus, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Natura enim via procedit circulari. Iesus Christus, naturam naturans, naturam naturatam regens, via utitur circulari, quia ad locum suum revertitur; ibique renascens, idest de caelo rediens in iudicio, gyrat per meridiem, idest considerat bona opera, et flectitur ad aquilonem, idest considerat mala, lustrans universa, 'quia nihil absconditum quod non reveletur'. Unde dicit in Isaia: Ego quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis. Ecce quomodo 'cortina trahit cortinam'. Hoc quod dicit Ecclesiastes: Ad locum suum revertitur, hoc [est] quod Dominus dicit in Isaia: Ego quiescam; quasi diceret: Laboravi sustinens crucem; occidi in Passione, sed resurgens revertar ad sinum Patris, in quo quiescam. Quod dicit ibi: Renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem, hoc est: Et considerabo in loco meo. Quod vero dicit: Lustrans universa, hoc est: Sicut meridiana lux clara est. Tunc ei aperientur libri et 'illuminabuntur abscondita tenebrarum, et manifesta erunt consilia cordium', quia spiritus, idest ipse sol, qui omnia vivificat, qui dat flatum habitantibus super terram, Iesus Christus, perget in circuitu, 'non relinquens lapidem super lapidem, quin omnia videat, 'scrutans murum' et 'perfodiens parietem', intrans in medium oris Behemoth 'et ligans fune linguam eius', 'praecipitans, cunctis videntibus, mortem cum mortuis in sempiternum'. Et sic regredietur in circulos suos, idest cum sanctis suis in caelestem Ierusalem, quibus erit sicut nubes roris in die messis. Consummata enim messione, 'paleas comburet igni inextinguibili, grana reponet in horreo' caelesti, et tunc erit sicut nubes roris: nubes lucida operiens castra Israel et tabernaculum Ecclesiae triumphantis, roris quia refrigerabit et satiabit. De hoc sole et ipsius gyratione, reflexione, lustratione, dicitur in hodierno evangelio: Cum appropinquaret Iesus etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Iesu Christi super civitatem Ierusalem pia compassio, cum praemittitur: Cum appropinquaret. Secundum, ipsius civitatis desolatio, cum adiungitur: Venient dies in te. Tertium, vendentium et ementium de templo eiectio, cum subinfertur: Et ingressus in templum. Cum his tribus clausulis quasdam auctoritates de tribus libris Salomonis, scilicet Ecclesiaste, Cantico amoris et Sapientia, volumus concordare. In introitu hodiernae missae cantatur: Deus in loco sancto suo. Et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Scitis quoniam cum gentes essetis, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus sancti evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Scitis quoniam. Secunda: Divisiones vero gratiarum sunt. Tertia: Unicuique datur.

I – De Iesu Christi super Ierusalem pia compassione

3 – Dicamus ergo: Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Nota quod "Ierusalem primum dicta fuit Salem, quam Iudaei Sem filium Noe, quem dicunt Melchisedech, post diluvium in Syria condidisse asserunt, in qua fuit regnum eiusdem Melchisedech. Hanc postea tenuerunt Iebusaei, a quibus dicta est Iebus; sicque duobus nominibus coniunctis, idest Iebus et Salem, vocata est Ierusalem, quae postea a Salomone, in melius restaurata, Ierosolyma, quasi Ierosolomonia, dicta est". "Salem pax", "Iebus conculcata, Ierusalem visio pacis interpretatur", in quo triplex animae status designatur. Anima in Baptismo fuit Salem; in poenitentia est Iebus; in gloria erit Ierusalem. In Baptismo fuit ei pax reddita, quia de filia irae facta est filia gratiae. In poenitentia debet esse conculcata et attrita. Unde Isaias: Pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim. Ebrii Ephraim, "qui interpretatur frugifer", sunt divites huius mundi, superbia et luxuria inebriati; corona, idest gloria, pedibus poenitentiae conculcatur, cum vino contritionis inebriantur. Unde in Parabolis: Nullum secretum est ubi regnat ebrietas. Nullum secretum est iniquitatis ubi regnat ebrietas verae contritionis: omnia enim denudat in confessione quae prius latuerant in mente. Visio pacis erit in gloria, in qua, ut dicit Isaias, 'videbit oculo ad oculum, cum converterit Dominus Sion'. Et iterum: Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum. O anima, si prius fueris Iebus, postea videbis quod oculus non vidit.

4 – Unde Isaias: Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te. Vere videbis, quia omnia videntem videbis. Videbis sapientiam Salomonis, ut dicitur in tertio libro Regum de regina Saba, 'et domum, quam aedificavit in Ierusalem, et cibos mensae eius'. De qua in Luca: Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno caelorum. Tunc vere dicere poteris cum regina Saba, "quae interpretatur captiva", et tu modo captiva sed tunc regina: Verus est sermo quem audivi in terra mea, in terra peregrinationis meae, super sermonibus tuis et super sapientia tua. Et non credebam narrantibus mihi donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nunciata non fuerat: maior est sapientia tua, et opera tua quam rumor quem audivi. Beati viri tui et servi tui hi, qui sunt coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Ecce quid videbis. Afflues etiam deliciis et divitiis, idest glorificatione animae et corporis, et mirabitur cor tuum caelestis Ierusalem pulchritudinem, angelorum beatitudinem, omnium sanctorum coronam immarcescibilem; et sic dilatabitur gaudio inextimabili, iucunditate inenarrabili. Sed, heu! tanta gloria, tanta affluentia postposita, infelix anima diligit temporalia, apprehendere nititur fugientia, amplectitur stercora! Et ideo Dominus videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu. Dominus non flet civitatem terrenam sed animam, non ruinam lapidum sed virtutum. Nota ista duo verba: videns et flevit. O anima, si videres, vere fleres; sed quia non vides, ideo non fles.

5 – Si videres, inquam cum Ecclesiaste, qui dicit: Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. Nota quod sub sole est vanitas, super solem veritas. Anima ergo quae est sub sole per amorem temporalium, et non est supra solem per contemplationem supernorum, quid aliud debet facere, nisi flere et gemere? Et bene coniunguntur vanitas et afflictio: ubi enim vanitas felicitatis terrenae, ibi afflictio mortis

aeternae. Si ergo videres, utique defleres. Item, dicit Ecclesiastes: Verti me ad alia, et vidi calumnias quae sub sole geruntur, et lacrimas innocentium, et consolatorem neminem; nec posse resistere eorum violentiae cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque iudicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quae fiunt sub sole. Sub sole, ubi vanitas et falsitas, calumniae potentium contra egenos, et violenta iudicia contra pauperes, ex quibus lacrimae innocentium, qui neminem habent consolatorem. "Consolator dictus, qui soli se applicat et sollicitudinem alloquio suo levat". "Nemo ab homine est tractum, quasi ne homo, quod est nullus homo. Nullus vero, quasi ne ullus". Si homo esset, consolator non deesset; sed quia sunt leones, non homines, ideo pauperes, humano auxilio destitutos, affligunt, quorum violentiae resistere non possunt. Et laudavi magis mortuos, scilicet mundo, qui sunt meliores quam qui vivunt mundo, et feliciorem utroque iudicavi qui necdum natus est, scilicet peccato. Unde Iob: Pereat dies in qua natus sum, idest in qua de novo factus sum peccator. Si haec misera anima videret, utique fleret.

6 – Unde Ieremias docet animam qualiter seipsam defleat, dicens: Filia populi mei, accingere cilicio et conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. Nota ista quattuor: cilicio, cinere, luctum et planctum. In cilicio, asperitas poenitentiae et abominatio culpae propriae; in cinere, humilitas et vilitas conditionis nostrae; in luctu, dolor contritionis intimae; in planctu lacrimarum effusio designatur. Dicit ergo Christus: O anima filia, quam nimio dolore Passionis parturivi, quae es fide filia populi mei, idest Ecclesiae militantis, accingere cilicio, idest asperitate poenitentiae, ut caro, quae laeta duxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam; et quae prius sensit peccati delectationem, ipsius habeat abominationem. Nota quod dicit accingere et non induere. In quo duo innuit, scilicet luxuriae refrenatio et diabolicae suggestionis impugnatio. Unde in Psalmo: Accingere gladio tuo super femur tuum. Cilicium et gladius idem significant, carnis scilicet afflictionem, quae femur, idest luxuriam, restringit. Unde in Canticis: Uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Timores nocturni sunt diaboli et carnis suggestiones occultae, propter quas evitandas, omnis qui lectum veri Salomonis, idest conscientiam suam, in qua requiescit Iesus Christus, vult custodire, debet habere ensem mortificationis super femur suae carnis. Sequitur: Et conspergere cinere, illius maledictionis memor: 'Cinis es et in cinerem reverteris'. "Cinis ex incendio dicitur, ex eo enim fit". Adam cum sua posteritate, igne cupiditatis accenso, flatu falsae promissionis fuit incensus, et ideo in cinerem mortis est reversus. Luctum unigeniti fac tibi. Luctus dictus, quod fit humano cordi quasi vulnus vel ulcus, cui sanando consolationes adhibentur, et significat contritionem, quae est vulnus cordis, cui debet adhiberi consolatio, ut speret de misericordia Redemptoris. Et nota quod dicit luctum unigeniti. Sicut non est dolor super dolorem mulieris, quae solum unigenitum habet, quem super omnia diligit, cum ipse moritur, sic non debet esse dolor super dolorem animae poenitentis, quae, cum unicum haberet filium, scilicet fidem per dilectionem operantem, per mortale peccatum ipsam perdidit. Anima fidei, caritas, quae ipsam vivificat, qua amissa fides moritur. Et ideo, quia animam fidei amisisti, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. Cordis contritioni debet adiungi amaritudo lacrimarum, ut anima seipsam defleat et unigenitum mortuum resuscitet, quia Dominus flevit super Lazarum et super civitatem Ierusalem.

7 – Nota. ‘Flere est ubertim lacrimas effundere, quasi fluere; plorare vero cum voce; lugere autem cum aliquibus dictis miserabilibus. Unde dicitur lugere, quasi luce egere’. De fluentis istius fletus habes concordantiam in Cantico amoris, ubi loquitur sponsus sponsae: Oculi tui sicut columbae desuper rivos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident iuxta fluenta plenissima. In oculis vigil providentia designatur. ‘Columba in aquis praevidet accipitrem se rapere machinantem’; et nos in rivulis transitoriae dulcedinis praevidere debemus tortorem, quia incentor culpae exactor erit et poenae. Lac, quo nihil gratius datur, significat hilaritatem conscientiae de spe divinae misericordiae. Fluenta plenissima effusiones sunt lacrimarum. Anima ergo tamquam columba, residens super fluenta lacrimarum plenissima, confidens de Dei misericordia, debet praevidere, vigilanti cura, ut sibi caveat fallaciam transitoriae dulcedinis et malitiam diaboli suggerentis. AUGUSTINUS: ‘In hac valle miseriae eo magis flendum quo minus flemus’. Videns ergo Dominus civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses “ruinam quae imminet, et tu flevisses, quae modo exultas”.

8 – De hac exultatione habes concordantiam in libro Sapientiae, ubi dicunt impii, apud se non recte cogitantes: Venite et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae; ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec est sors. Ista non indigent expositione, quae quotidie videmus in carnalium exponi opere. Sequitur: Et nunc in hac die tua quae ad pacem tibi. Unde Salomon in Ecclesiaste: Etenim quia non profertur sententia cito contra malos, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur. Et iterum: Sunt impii qui ita securi sunt quasi iustorum facta habeant. O peccator, in hac die tua, quae ad pacem tibi, tuus es modo, sed veniet tempus quo eris alterius, quia diabolo omnino traditus. Nunc exultas in die tua, sed veniet dies sua, in qua dolebis. Cum accepero, inquit, tempus, iustitias iudicabo. O peccator, Dominus accomodavit tibi tempus ad promerendum salutem, et tu de accomodato fecisti tuum; sed crede mihi, quia ipse accipiet suum et iustitias iudicabit. O Domine, si iustitias iudicabis, de iniustitiis quid erit? Unde dicit in Ezechiele: Ecce ego ad te, et eiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te iustum et impium’, iustum putative, de quo dicit Ecclesiastes: Noli esse nimium iustus. “Vagina, dicta quasi bagina, eo quod in ea gladius baiuletur”. Gladius in vagina est divinitas in humanitate. De hac vagina eiciet Pater gladium et vibrabit ipsum, ut dicit Propheta: Gladium suum vibrabit. Nota quod gladius vibratus duo facit, scilicet splendorem et umbram tremulam. Pater in die sua vibrabit gladium, idest Filium suum, quia ei omne iudicium dabit, qui splendorem sanctis et umbram tremulam damnationis ostendet impiis. ‘Tollatur, inquit, impius ne videat gloriam Dei, quia in terra sanctorum iniqua gessit’. Immo ‘videat illum in quem transfixit’. O infelix anima! Nunc autem haec abscondita sunt ab oculis tuis, quos dies et pax tua excaecavit, quibus excaecata, tamquam brutum animal, duceris a diabolo, funiculo cupiditatis, ad ista fugientia capienda. Unde huic primae evangelii clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Scitis quoniam, cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit: Anathema Iesu; et nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Gentes, idest carnales

“gentiliter viventes”, quia in hac die pacem habent, eunt ad simulacra muta, idest ista temporalia, quae similitudinem habent solidi, sed bene inspicienti perlucidum est mendacium. Sunt enim quasi stercus nive coopertum, ‘fallax gloria et vana pulchritudo’. Haec simulacra temporalium qui diligit, est anathema Iesu, ‘idest separatus a Iesu’, qui ea contemnere praecepit.

9 – Super hoc habes quid simile in libro Iosue, ubi dicit Dominus: Anathema in medio tui Israel est; non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere, scilicet Achor. Cui dixit Iosue: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, et indica mihi quid feceris; ne abscondas. Qui ait: Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti et regulam auream quinquaginta siclorum, et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentum quoque fossa humo operui. Tollens itaque Iosue Achor, argentumque et pallium et auream regulam, et lapidavit eum, et cuncta quae illius erant igne consumpta sunt. ‘Achor interpretatur pervertens, aut fratris ruina’, et significat huius mundi divitem, qui pervertit iustitiam, bona pauperibus auferendo vel eis sua non reddendo, et sic est fratris ruina. Hic furatur pallium etc. Nota quod in pallio coccineo, pauperum hominum substantia, multo sanguine et sudore acquisita; in ducentis siclis argenti, utriusque Testamenti scientia; in regula aurea quinquaginta siclorum, omnium religiosorum designatur vita. Pallium coccineum furantur milites et burgenses, avari et usurarii. Ducentos siclos argenti furantur nostri temporis latrunculi, praelati scilicet et clerici. Regulam auream quinquaginta siclorum furantur falsi religiosi. Huius mundi divites et potentes pauperibus, quos suos villanos vocant, cum ipsi sint diaboli villani, substantiam pauperculam et sanguineam, qua qualicumque modo operiuntur, auferunt. Unde de eis dicit Iob: Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Et Salomon in Parabolis: Qui vehementer emungit, elicit sanguinem. De quo Ieremias: Inventus est in alis tuis sanguis pauperum. Item, utriusque Testamenti scientiam, quae, propter sui perfectionem et sonoritatem, per ducentos siclos argenti significatur, furantur praelati et clerici, cum eam non ut aedificent, sed ut laudes et honores sibi acquirant, addiscunt. Unde de eis dicit Salomon in Parabolis: Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua. Sus suis est porca; mulier pulchra et fatua sunt clerici. Mulier, quia molles et corrupti, tamquam meretrices in causis et curiis pro denariis se exponentes. Pulchra, gloria vestium, turba nepotum et forte filiorum, multiplicatione praebendarum. Fatua, ‘quia quod ipsi vel alii fantur, non intelligunt’, tota die in Ecclesia clamant et quasi canes latrant, sed seipsos non intelligunt, quia corpus in choro et cor est in foro. Si etiam praedicationem audiunt, non intelligunt; praedicare clericis et fari fatuis, quae utilitas in utroque nisi clamor et labor? Isti, cum habeant circulum aureum scientiae et eloquentiae, non verentur, tamquam porca, mittere ipsum in stercus luxuriae et avaritiae. Item, regulam auream quinquaginta siclorum furantur falsi religiosi. “Regula quasi mensuram regens dicitur, vel quod distortum pravumque corrigat”. Regula aurea est vita religiosorum, quae hominem distortum et pravum ad mensuram recte vivendi corrigit, et modum rebus ponit. Hanc regulam omnes fere religiosi furati sunt, quia ad veritatem evangelii non ambulant, secundum patrum instituta non vivunt, sed distorte et simulatorie vitam suam ducunt. Regulam auream beati Benedicti monachi furantur. Regulam auream beati Augustini canonici furantur, et sic de singulis religiosis; ‘qui sua, non quae Iesu Christi sunt, quaerunt’. Haec regula dicitur

constare quinquaginta siclis, quia omnium religiosorum vita consistit in poenitentia, quae in quinquagesimo psalmo: Miserere mei, Deus, plenarie praenotatur. Omnes ergo isti, qui pallium coccineum, ducentos siclos argenti et regulam auream, ut praedictum est, furantur, in die iudicii, duris increpationibus lapidabuntur, et postea igne aeterno comburentur et sic erunt anathematizati in perpetuum, a Iesu separati. Iustus vero, qui Dei Spiritu agitur et in Spiritu Dei loquitur, non dicit, 'cogitando, loquendo, operando, anathema Iesu, idest quod separet eum a Iesu'. Et nemo potest dicere, "cogitatione, verbo et opere: Iesus est Dominus et ego servus eius, nisi per Spiritum Sanctum". Rogamus ergo, Domine Iesu, ut gratiam nobis infundas, quatenus super civitatem nostram defleamus, temporalia contemnamus, ad caelestem Ierusalem perveniamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De civitatis Ierusalem desolatione

10 – Sequitur secundum. Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. "Venient, venient dies, quando animas exeuntes a corporibus daemones inimici circumdabunt vallo, trahentes eas ad societatem suae damnationis; et undique circumdabunt te et coangustabunt, quando non solum operis, sed etiam locutionis et cogitationis, iniquitates ante oculos eorum replicabunt. Et ad terram prosternunt, cum caro in pulverem redigitur. Filii etiam cadunt, cum in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, quae cogitationes etiam per lapides significantur, cum subditur: Et non relinquent lapidem super lapidem. Perversus enim cum perversae cogitationi perversiorem adicit, quasi lapidem super lapidem struit. Sed cum anima ad ultionem rapitur, talis cogitationum constructio dissipatur; et hoc ideo quia non cognovit tempus visitationis suae. Perversam enim animam Deus visitat aliquando praecepto, aliquando flagello, aliquando miraculo, sed quia superbiens contemnit, nec de malis suis erubescit, in extremo inimicis tradetur, cum quibus in aeterno iudicio damnationis societate colligatur. Et unde infelici haec eversio contingat, subditur: Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae". Unde Isaias: Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit, populusque meus non intellexit. Bos, idest latro, qui, tamquam bos iugum, crucem pertulit, cognovit possessorem suum, dicens: Memento mei etc. Et asinus, idest centurio, quia "gentilis", dicens: Vere Filius Dei erat homo iste. Israel, idest clerici, non cognoscunt, et populus, idest laici, non intelligunt. Super hoc habes concordantiam in Ecclesiaste, circa finem, ubi dicitur: Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis tuae et appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent; antequam tenebrescat solis lumen, et luna et stellae, et revertantur nubes post pluviam; quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosae erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina, et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentes et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiae carminis; excelsa quoque timebunt et formidabunt in via. Florebit amygdalus, impinguabitur locusta et dissipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae, et circuibunt in platea plangentes. Antequam rumpatur funis argenteus et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem et confringatur rota super cisternam, et revertatur pulvis in

terram suam unde erat, et spiritus redeat ad eum, qui dedit illum. O civitas Ierusalem, anima ad Dei similitudinem creata, memento Creatoris tui, "qui te fecit, qui te iudicabit", et hoc in diebus iuventutis tuae, cum pronior est aetas ad peccandum et acceptabilior ad poenitentiam peragendam. Unde praemisit: Laetare, iuvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum. "Iuvenis dictus, quod iuvare possit". Memento ergo, idest mente habeto, antequam veniat tempus afflictionis tuae, "idest senectutis, mortis et iudicii", et appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent, in hac die tua, quae ad pacem tibi et quae placent tibi. Sed venient dies in te, qui non placebunt tibi. Placuisti tibi et displicuisti Deo. Venient dies, quando displicebis tibi. Memento, inquam, antequam tenebrescat solis lumen, idest prosperitatis mundanae claritas mortis caligine obtenebretur. Et luna et stellae, "idest sensus corporis, qui in senectute debilitantur", et in morte omnino obtenebrantur. Unde Isaias: Suspiciet sursum, et ad terram intuebitur: et ecce tribulatio et tenebrae, et dissolutio et angustia et caligo persequens; et non poterit avolare de angustia sua. Tribulatio est in diaboli suggestione, tenebrae in mentis excaecatione, dissolutio in operis perpetratione, angustia in consuetudine, caligo persequens in gehennae damnatione. Item, tribulatio est in vita, tenebrae in senectute, dissolutio in infirmitate, angustia in animae emissione, caligo persequens in daemonum infestatione. Memento ergo Creatoris tui. Et revertantur nubes post pluviam. 'Nubes sunt praedicatores', qui pluviam effundunt, cum animae suae damnationis captivitatem annuntiant; recedunt, quando eis non vult credere; revertuntur, 'cum quod annuntiaverunt adimpletur'. Quando commovebuntur custodes domus. Salomon, in hac auctoritate, mixtim loquitur modo de senectute, modo de hominis morte. Ab isto vero loco usque ad illum: Antequam rumpatur funis argenteus, de hominis senectute, quae est mortis nuntia, verba proponit. Costae dictae, "quod ab ipsis interiora custodiantur", sunt custodes domus, "quae muniunt mollia", in hominis senectute commoventur, idest debilitantur. Et nutabunt viri fortissimi, idest "crura totum corpus sustinentia, turbabuntur". Et otiosae erunt molentes, idest "dentes erunt debiles, non valentes molere cibum". Et tenebrescent videntes per foramina, idest, "oculi caligabunt". Et claudent ostia in platea. "Senes, qui non possunt ambulare, in domo sedent"; "claudent ostia, ne videant lusus iuvenum; omnia enim talia sunt eis importabilia". In humilitate vocis molentes, quia sensus senilis, vox humilis, tenuis, nec proprio labore cibum quaerere vel terere possunt. Et consurgent ad vocem volucris, idest "galli"; "frigescente enim sanguine, siccato humore, quibus alitur sopor, non possunt dormire". Et obsurdescent omnes filiae carminis, idest "aures, quae delectantur carmine, prae nimia senectute nihil valentes discernere", obsurdescent. Excelsa quoque timebunt. Senes enim timebunt "ingredi" excelsa, "lassis poplitibus". Et formidabunt in via, scilicet "plana, ne cadant". Florebit amygdalus, idest "canescet caput", et impinguabitur locusta, idest "intumescent tibiae". Locusta grossi ventris est, et inferioribus solent senes tumere. Et dissipabitur capparis, idest "refrigescet libido, organis membrorum deficientibus". "Capparis renibus valet, et quia circa partes illas libido regnat, per capparim significatur". Quoniam ibit homo, "sic dissolutus", in domum aeternitatis suae, idest "in terram", et circuibunt in platea plangentes, idest parentes et amici cum cadavere 'ibunt lamentantes'. Ecce quanta miseria tua, o homo. Unde superbis ergo?

11 – Sequitur de morte. Antequam rumpatur etc. "Memento creatoris tui antequam funis argenteus", idest "continuatio vitae", rumpatur, et vitta aurea, idest "anima, pretiosa pars

hominis", recurrat "unde venit". Et conteratur hydria etc. Hydria est "homo", quia de terra factus; rota, quia semper in rota mundi volvitur; qui tunc super fontem et cisternam confringitur, cum, morte dissolutus, 'aquas concupiscentiarum, quas de mundanae vanitatis cisterna hauserat', amittit. Et nota quod per hydriam intelligitur cupiditas. Unde 'Samaritana abiecit hydriam ad praedicationem Domini'. Quando ergo dives moritur super divitias, potest dici quod hydria contrita est super fontem, quia miser homo moritur cum fonte cupiditatis. Per cisternam intelligitur congregatio divitiarum. Unde Ieremias: Dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, quae continere non valent aquam. Tunc rota frangitur super cisternam, quando cupiditas hominis non relinquit divitias, sed inter ipsas moritur. Et revertitur pulvis, idest "corpus", in terram suam unde erat. Primo homini dictum est: Pulvis es, et in pulverem reverteris. "Pulvis dictus, quod vi venti pulsetur". Et spiritus, idest "anima", redeat ad "Deum", qui fecit illum: "non est enim ex traduce". Deus fecit animam, cui virtutes gratis infudit, ut se creatorem agnosceret, cognitum diligeret, dilectum coleret, colendo ipso perfrui mereretur. Unde huic secundae evangelii clausulae concordat secunda particula epistolae: Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nota ista tria: divisiones gratiarum, ministrationum, operationum. "Gratias, dicit Apostolus, ipsas virtutes gratis a Deo datas, scilicet fidem, spem et huiusmodi, quarum effectus sunt, quantum ad proximos ministratio, quantum ad se operatio". Deus infundit, nos ministramus, et ipse qui infundit operatur. "Quod dicit: Spiritus, Dominus, Deus, eadem prorsus substantia intelligitur. Trinitas vero in Personis, quae operatur omnia in omnibus. Non uni omnia [tribuit], sed in omnibus [omnia operatur], ut quod non habet quis in se, habeat in alio, et sic maneat caritas et humilitas". Supplicamus ergo tibi, Trinitas et Unitas, ut cum venerint dies afflictionis et ultimae incinerationis et ruptio argentei funis, anima, quam fecisti, ad te recurrat, tu eam suscipias, quatenus, ab obsidione daemonum liberata, in libertatem gloriae filiorum Dei mereatur advolare. Te praestante, qui es benedictus, trinus et unus Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

III – De vendentium et ementium de templo eiectione

12 – Sequitur tertium. Et ingressus templum, coepit eicere vendentes et ementes, dicens illis: Quia domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Ioannes sic dicit: Ascendit Ierosolymam Iesus, et invenit in templo vendentes oves et boves et columbas et numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves; et aes numulariorun effudit, et mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc; et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Nota quod Dominus "bis legitur vendentes et ementes de templo eiecisse: semel primo anno suae praedicationis, et secundo cum ad Passionem iret. Iesus templum ingreditur, dum quotidie Ecclesiam visitat, et actus cuiusque considerat, et eos eicit qui inter sanctos vel ficte bona, vel aperte mala faciunt. Per boves, qui arant, praedicatores caelestis doctrinae significantur. Boves vendunt, qui non amore Dei, sed pro quaestu temporali praedicant. Oves innocentes sua vellera vestiendis praebent. Per eas significantur opera munditiae et pietatis, quae venduntur dum pro humana laude geruntur. 'Spiritus in columba apparuit'. Unde per columbam Spiritus accipitur, quem vel quam vendunt simoniaci". Istud est

grave peccatum. Unde in Actibus, Iudaeis quaerentibus, quid agerent, dictum est: ‘Agite poenitentiam’. Simoni vero mago hoc idem dictum est quaerenti: ‘Poenitentiam age, si forte tibi Dominus parcat’. “Nummos mutuo dant in Ecclesia, qui non simulate caelestibus sed aperte terrenis serviunt. Hi omnes eiciuntur ‘de parte sortis sanctorum”, qui vel ficte bona, vel aperte mala faciunt, et funiculis peccatorum modo flagellantur ad correctionem, quibus incorrecti, in fine ligabuntur. Oves quoque et boves eicit, quia talium vitam et doctrinam ostendit reprobam. Aes et mensas subvertit, quia in fine ipsae res, quas dilexerant, destruentur”. Nota quod cum Dominus eiceret vendentes et ementes de templo, ‘quidam fulgor radiosus egrediebatur ex oculis ipsius, quo territi, sacerdotes et levitae non poterant ei resistere’.

13 – Super hoc habes concordantiam in libro Sapientiae, ubi de ea dicitur: Sapientia attingit ubique propter munditiam suam. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis Omnipotentis sincera et ideo nihil inquinatum in illam incurrit. Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest; et permanens omnia innovat. Christus Dei virtus et Dei sapientia attingit ubique, scilicet in caelo sua visione angelos satians, in terra peccatores misericorditer ad poenitentiam expectans, in inferno daemones et desperatos peccatores crucians. Attingit, inquam, propter suam munditiam, “quia lux est, et tenebrae in eo non sunt”. Vapor est “calefaciens frigus infidelitatis nostrae”, existens eiusdem virtutis cum Deo Patre, et emanatio, idest “splendor gloriae consubstantialis, aequalis, coaeternus”; quaedam, idest quodammodo, emanat a claritate Omnipotentis, existens unius claritatis cum Omnipotente; sincera, quia “summo bono non appropinquat malum”, et ideo nihil inquinatum in illam incurrit, quia “semper simplex bonum est”. Candor est enim lucis aeternae et speculum, “in quo videtur Pater. Unde: Qui videt me, videt et Patrem meum”. Sine macula, “quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius”. Et imago bonitatis illius, idest “plena repraesentatio”, exsistens eadem bonitas cum illo: et cum sit una, scilicet “cum Patre”, omnia potest, “quia omnipotens” et permanens, “immutabilis”; omnia innovat, “regendo et ordinando”. Non ergo mirum si potuit eicere vendentes et ementes de templo, et si illi sacerdotes et levitae resistere non potuerunt. Aliter. Sapientia Dei Patris fuit vapor calefaciens in sua incarnatione. Tunc enim hiems “infidelitatis” transiit, imber “daemoniacae persecutionis” abiit. Flores aeternae promissionis apparuerunt in terra nostra. Fuit emanatio claritatis in miraculorum operatione, candor lucis aeternae in sua resurrectione; speculum sine macula erit nobis in aeterna beatitudine, in qua ‘speculabimur eum sicuti est’, cuius sapientia in nobis resultabit. Dicit AUGUSTINUS: “Quae erit illa dilectio, cum singuli in singulis facies nostras videbimus, sicuti modo alterutrum facies nostras videmus?” Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eundem Spiritum etc. “Unicuique. Divisa sunt dona, et non ad meritum semper dantur, sed ad utilitatem Ecclesiae aedificandae”. Quae qui vendunt vel emunt, de ipsa Ecclesia sunt eiciendi, sicut Christus eiecit de templo vendentes et ementes.

14 – Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Dicit Salomon in libro Sapientiae: Intrans in domum meam conquiescam cum illa, “idest sapientia”; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius,

sed laetitiam et gaudium. ‘Homo spiritualis, rediens a temporalium sollicitudine, a cogitationum inquietudine, et intrans in domum propriae conscientiae, et clauso ostio quinque sensuum, conquiescit cum Sapientia, divinae scilicet contemplationi vacans, in qua supernae dulcedinis quietem degustat’. Conversatio enim sapientiae non habet amaritudinem, idest peccati delectationem; palatum enim quod afficit, nullum venenum inficit. Nec habet taedium convictus ipsius; “spirituales enim deliciae augent desiderium, et cum magis sumuntur avidius amantur”, in quibus est laetitia et gaudium. Beata illa domus, felix illa conscientia, quam sapor sapientiae afficit, in qua ipsa sapientia requiescit, quae dicit: Domus mea domus orationis vocabitur. ‘Domus, a domate graeco, idest tecto, dicitur’. Nota quod domus ex tribus consistit, scilicet fundamento, parietibus et tecto. In fundamento, humilitas; in parietibus, virtutum congeries; in tecto caritas designatur. Ubi ista conveniunt, ibi Dominus, qui dicit: Domus mea, domus orationis vocabitur. “Oratio dicta, quasi oris ratio”. Nota quod orationi sex sunt necessaria: odor internae devotionis, delectatio tribulationis, lacrimae [compunctionis], mortificatio carnis, vitae munditia et eleemosyna; quae notantur in Genesi, ubi dixit Iacob filiis suis: ‘Ite et deferte viro, scilicet Ioseph, munera, balsamum et mel, thus, myrrham, resinam et amygdala’. Balsamum est odor internae devotionis. Unde in Ecclesiastico: Quasi balsamum non mistum odor meus, scilicet purae devotionis, quam non corrumpit duplicitas cordis. Item, mel est delectatio tribulationis. Unde in Deuteronomio: ‘Suxerunt mel de petra’. Petra est duritia adversitatis vel tribulationis. Unde Iob: In duritia manus tuae adversaris mihi. Mel de petra sugit qui adversitatis duritiam in mentis suavitate recipit. Unde dicitur in NATURALIBUS quod, “apes sedentes super alvearia sugunt mel quod est in favis, et dicitur quod si hoc non facerent, corrumperetur illud quod est in favis et generaretur ex eis aranea”. Favus est mel in cera, dictus, “quia comeditur magis quam bibitur: phagäin enim graece, comedere latine”. Apes sunt viri iusti, qui sedent super alvearia, idest affligunt et humiliant corpora sua, et sugunt quod est in favis. Nota quod sicut in favo est mel et cera, sic in vita viri iusti est mel internae dulcedinis et cera exterioris adversitatis, quae defluit et deficit a facie ignis, idest praesentia divini amoris. Sedeant, obsecro, apes super alvearia et sugant quod est in favis, ne, per impatientiam et cordis amaritudinem, corrumpatur mel internae dulcedinis et generetur aranea. ‘Aranea ab aere dicta, quod in aera fila gerat’, et significat superbiam cordis, quae, natione caelestis, caelestium mentes inhabitare nititur. Proh dolor! Cum mel corrumpitur, aranea generatur; ex internae dulcedinis corruptione generatur aranea superbiae. Item, thus est oratio, unde: Dirigatur, oratio mea etc. Thus est dictum a Theïs, idest Deo, cui adoletur. Nota quod thus Arabia sola mittit, “quae interpretatur sacra”, “in qua est arbor, quae dicitur libanus, cortice et folio lauro similis, sucum amygdali modo emittens, quae bis in anno colligitur, autumno scilicet et vere. Sed autumnali collectioni praeparatur inciso cortice in aestatis fervore et prosiliente spuma pingui, quae concreta densatur, ubi loci natura poscat. Hoc est thus candidum. Secunda vindemia praeparatur hieme, incisis corticibus; rubrum hoc exit, nec comparandum priori. Novellae arboris candidius sed veteris odoratius”. “Quicumque dominium istius tenent nemoris, arabice sacri vocantur; qui, cum loca ista vindemiant vel incidunt, non funeribus intersunt, non congressibus feminarum polluuntur”.

15 – Arabia est mens sacra viri iusti, in qua est et debet esse libanus, “quae interpretatur candidatio”, idest munditia vitae, de qua procedit thus orationis purae. Unde

Ecclesiasticus: Quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam. Libanus significat illos, quorum tota vita in oratione consistit. Libanus non incisus debent esse omnes religiosi, praecipue ut eorum mens non sit divisa in oratione, ut aliud habeant in ore et aliud in corde, quia mens divisa non impetrat. Laborare ergo debent, ut sint integri, ut lingua cordi consonet, et sic erit dulcis melodia in auribus Domini sabaoth. Collectio thuris in autumno significat devotionem orationis proficientium; vindemia thuris in vere significat orationem incipientium, noviter scilicet conversorum. Tam isti quam illi, inciso cortice, gummam emittunt, quia compuncta eorum corda Deo orationem reddunt. Sed illi in aestatis fervore, isti in hieme inciduntur; illi candidum, isti rubrum thus emittunt. Proficientes enim, in fervore caelestis desiderii, devotionem candidam orationis cum lacrimis compunctionis emittunt. Incipientes vero in hieme propriae tentationis, frigore daemoniacae suggestionis adhuc afflicti, dolorosam et quasi sanguineam cum amaritudine lacrimarum et suspiriorum emittunt orationem. Pharao enim contemptus surgit in scandala. Novellae arboris thus candidius, sed veteris est odoratius. Praecedere enim debet candor vitae et subsequi odor bonae famae. Cum incipis, magis debes niti ad munditiam vitae; cum proficis, ad odorem bonae famae. Quicumque thus orationis voluerit colligere et Deo offerre caveat ne intersit funeribus rancoris et odii – qui odit fratrem suum homicida est –, ne congressibus feminarum polluatur, nec etiam cogitationum malarum. Item, myrrha, 'ab amaritudine sic dicta, est carnis mortificatio', de qua dicitur in libro Iudith, quod Iudith lavit corpus suum, et unxit se myrrha optima. Confitens enim debet lavare se in confessione, et ungere se carnis mortificatione in peccati satisfactione. Et Danieli dictum est: Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua; in conspectu, inquit, Dei, non hominum.

16 – Item, 'resina est lacrima arboris', et significat lacrimam emanantem de intimo cordis, de qua dicit Dominus, in Isaia, Ezechiae: Audivi orationem tuam et vidi lacrimam tuam. Et iterum: Inebriabo te lacrima mea, Hesebon et Eleale. "Hesebon, cingulum tristitiae vel cogitatio moeroris"; "Eleale conscensio interpretatur", et significat animas poenitentium, quae cingulo tristitiae et moeroris accinguntur, ut expediti valeant conscendere ad domum Domini. Unde Isaias: Per ascensum Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. "Luith interpretatur genae". Per ascensum ergo Luith, idest genarum, flens ascendet ad Dominum. "Oronaim interpretatur foramen moeroris", et significat oculum, per quem egreditur clamor "luctus", ascendens ad Dominum. Unde in Ecclesiastico: Nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad caelum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. Animas ergo poenitentium Dominus lacrima suae Passionis inebriat, 'qui cum clamore valido et lacrimis obtulit' seipsum Deo Patri. Inebriat, inquam, ut, 'temporalium obliti, ad ea quae ante sunt se extendant'. Item, amygdalus, "quae floret in hieme", est eleemosyna, qua quis in hieme praesentis vitae debet florere. Unde in Ecclesiaste: Florebit amygdalus etc. Quaere in tertia clausula evangelii: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Et Ecclesiasticus: Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes. Bene dicit: ne defraudes, cum fraus sit in aliena re, iuxta illud: "Aliena rapere convincitur, qui sibi ultra necessaria retinet". Eleemosyna dicitur ab Heli, quod est Deus, et moys, quod est aqua, inde helimosina, quasi Dei aqua. Eleemosyna graece, misericordia latine. Felix illa domus, beata illa apotheca, in qua

reponuntur ista sex, ex quibus vera et pura procedit oratio, usque ad aures Dei ascendens et omne quod quaerit impetrans. Bene ergo dicit Dominus: Domus mea domus orationis vocabitur. De hac domo habes concordantiam in introitu hodiernae missae: Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unanimes in domo, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae. Locus et domus mentem iusti significant. Locus, unde Ezechiel: Audivi, inquit, post me vocem commotionis magnae: Benedicta gloria Domini de loco suo. Vox commotionis magnae est cordis contritio, per quam mens hominis fit locus Dei, de quo benedicitur et glorificatur Deus. Domus, de qua dicit: Domus mea domus orationis vocabitur. In hac domo facit inhabitare unanimes, idest rationem et sensualitatem, ut sensualitas rationi, ratio suo superiori, scilicet Deo, obediens. Ipse dabit virtutem, ne prospera elevent, et fortitudinem, ne adversa deiciant, plebi suae, unde Isaias: Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat.

17 – Sequitur: Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Unde Ieremias: Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum, in oculis vestris? Hominis conscientia fit spelunca latronum, cum evenit ei quod dicit Isaias: Requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi; et respondebunt ibi ululae in aedibus eius, et sirenae in delubris voluptatis. “Bestiae, a vastando dictae sunt, quae morsu vel unguibus saeviunt”. “Draco, serpens maior cunctis animantibus sine pedibus; dictus, quia speluncis tractus, fertur in aerem concitaturque propter eum aer. Vim non in dentibus sed in cauda habet”. “Draco marinus aculeum in brachiis habet, ad caudam spectantem”. “Struthio e graeco nomine dicitur, eo quod animal in similitudine avis pennas habet, de terra non tamen altius elevatur; ova fovere negligit, sed proiecta tantummodo, fotu pulveris animantur”. ‘Pilosi, qui et incubi; horum forma ab humana effigie incipit, sed in bestiali terminatur. A graecis panas vocantur’. Unde pagani dixerunt pilosum esse barbatum, rubicunda facie, caprinis pedibus. ‘Ululae sunt aves nocturnales, dictae ab ululatione vocis quam efferunt, quas vulgo cavones vel noctulas dicunt’. ‘Sirenae, ut fertur, sunt animalia mortifera in mari, quae a capite usque ad umbilicum figuras humanas habent, extremas vero partes usque ad pedes volatiles; dulcissimum melodiae carmen canunt, ita ut per suavitatem vocis auditus hominum a longe navigantium ad se trahant et gravi somno sopitos dilaniant. Secundum veritatem meretrices fuerunt, quae transeuntes ad se ad egestatem deducebant. Alas et ungulas habuisse feruntur, quia amor luxuriae volat et vulnerat’. Nota: in bestiis, superbia et rapina; ‘in draconibus, irae et invidiae venenosa malitia; in struthionibus hypocritarum fallacia’; in pilosis, avaritia et simonia; in ululis, detractio et adulatio; in sirenis, gula et luxuria designantur. Superbia raptores pauperes, pupillos et viduas, quasi bestiae, devastant. Unde Ezechiel, de huius saeculi potente superbo, loquitur: Tulit unum de leunculis, idest filiis, suis, et factus est leo, et didicit praedam capere, et homines devorare; didicit viduas facere, et plenitudo eius a voce rugitus illius. Item, iracundi et invidi, quasi dracones, a propriae conscientiae spelunca tracti, non enim se possunt continere, aerem verbis implent, clamoribus concitant, blasphemiis foedant, quorum vis malitiae non tantum in dentibus, quoad blasphemiam, sed maxime est in cauda, quoad vindictam et iniuriam, quam inferunt manualiter. ‘Item, hypocritae, tamquam struthiones, habent similitudinem sanctitatis, sed, praegravati amore gloriae temporalis, a terrenis non possunt elevari’. ‘Ova fovere negligit struthio, quia hypocrita filios, quos post praedicationem acquisivit, in terrenis perire deserit’. Unde Iob: Penna

struthionis similis est pennis herodii et accipitris, quae derelinquit in terra ova sua. Tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Induratur ad filios suos, quasi non sint sui. "Ova dicta, quod sint uvida, idest humore plena. Nam humidum est quod exterius humorem habet, uvidum quod interius". 'Ova sunt noviter conversi, qui humorem compunctionis habent in corde, quos Dominus in pulvere, idest humilitate poenitentiae, calefacit, ut producere valeant fructum boni operis. Praelatus hypocrita, gloriae temporali intentus, obliviscitur quod pes carnalis affectus conculcet, et bestia agri, idest diabolus, conterat suos subditos; ad quos induratur, quasi non sint sui'. 'Mercenarius est enim, et ideo non pertinet ad eum de ovis et de ovibus'. Item, avari et simoniaci hodie saltant et ludunt, tamquam pilosi, in Ecclesia Christi, facie rubicundi, capati et impinguati, quorum pedes, idest affectus, et mores sunt caprini, idest foetidi; cuius foetoris eorum conscientiae spelunca est testis. Item, detractores et adulatores, quasi ululae in nocte, idest absentia illius cui detrahunt, et falsa laude cui adulantur, horrende ululant. Item, gulosi et luxuriosi, tamquam sirenae, animam suam dilaniant, substantiam devorant, et quos seduxerint in mare aeternae damnationis secum praecipitant. Ecce his omnibus vitiis domus, idest Ecclesia Dei, quae facta est quasi spelunca latronum, et conscientia hominis, quae facta est cavea daemonum, repletur a summo usque ad imum; et ideo dicit Dominus: Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Eia ergo, fratres carissimi, humiliter et lacrimabiliter rogemus Dominum Iesum Christum, ut de Ecclesia sua vendentes et ementes simoniacos eiciat, et de domo conscientiae nostrae, quondam sua, vitia supra dicta expellat, et domum sanctae orationis ipsam faciat; quatenus ad domum caelestis Ierusalem valeamus pervenire. Ipso praestante, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per aeterna saecula. Dicat omnis pura conscientia: Amen. Alleluia.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in undecima dominica post Pentecosten: Duo homines ascenderunt in templum, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis in Nativitate Domini, et de quattuor equis solis et ipsorum significatione, ibi: Tripliciter sol. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de quattuor speciebus superbiae, ibi: Duo homines ascenderunt. Item contra pauperem superbum, divitem mendacem et senem fatuum, ibi: Tres species. Item sermo moralis de miseria nostri corporis, ibi: Tres species. Item de mendacio mundi, ibi: Divitem mendacem. Item de diaboli fatuitate et Christi obedientia, ibi: Senem fatuum. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de sex quae sunt necessaria poenitenti, ibi: Publicanus stans a longe. Item de concordia, et quinque sensibus corporis, qui sunt quinque fratres, ibi: In tribus beneplacitum est spiritui meo. Item thema morale de humilitate, ibi: Omnis qui se exaltat. Item de vero poenitente, et de natura apum, ibi: Memoria Iosiae. Item de humilitate et de natura cameli, ibi: Omnis qui se humiliat; et ibi: Egressus sum per portam Vallis.

Exordium. Sermo in Nativitate Domini

1 – In illo tempore: Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tamquam iusti et aspernabantur ceteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum etc. Dicitur in Ecclesiastico: Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcaecat oculos. "Sol dictus, quod solus appareat, obscuratis fulgoribus suis cunctis sideribus". 'Solis equi quattuor pinguntur, scilicet Pyrois, idest splendens, Heous, idest calens, Aethon, idest ardens, Phlegon, idest tepescens'; has enim quattuor naturas habet: quando oritur splendens est; cum ascendit, calens; quando est in meridie, ardens; cum declinat ad occasum, tepescens. 'Sol est Iesus Christus', 'qui habitat lucem inaccessibilem', cuius luci omnis lux tenebrae, cuius iustitiae 'omnis sanctorum iustitia comparata reputatur sicut pannus menstruatae'. Huius solis quattuor equi quattuor sunt evangelistae: Matthaeus, Marcus, Ioannes et Lucas. 'Matthaeus fuit quasi equus splendens, cui attribuitur facies hominis, quia de homine exorsus est scribere: Liber generationis Iesu Christi; Marcus, calens, cui attribuitur facies leonis, qui calidae est naturae, sic enim ait: Vox clamantis in deserto etc.; Ioannes, ardens, cui facies aquilae, eo quod irreverberatis oculis, tamquam aquila super seipsum elevatus, prospexit solem, cum dixit: In principio erat verbum; Lucas, tepescens, cui facies vituli attribuitur, qui in sacrificio occiditur'. Iesus Christus fuit sol splendens in sua nativitate; calens in sua praedicatione, in qua rugiit sicut leo: Agite, inquit, poenitentiam etc.; ardens in miraculorum operatione, in qua apparuit quod verus esset Deus; tepescens in sua passione, velut vitulus Patri immolatus, occidit in mortem. Item, iste sol, cum peccatori oritur, fit ei splendens in peccati cognitione, calens in ipsius dolore, ardens in satisfactionis fervore, tepescens in vitiorum mortificatione. De hoc ergo sole dicit Ecclesiasticus: Tripliciter sol exurens montes etc. Mons dictus. motum non habens. 'Montes huius saeculi superbos significant, de quibus in Psalmo: Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini', quod fit cum ipsos exurit tripliciter, idest contritione, confessione, operis satisfactione. Hac ustione exuri orabat Propheta, cum dicebat: Ure renes meos et cor meum. Cor uritur contritione, lingua confessione, renes satisfactione. Sequitur: Radios igneos exsufflans, idest ex se sufflans. Radii solis sunt paupertas et humilitas, patientia et obedientia Iesu Christi. Quot exempla, quot salutis verba nobis dedit, tot radios igneos, quibus accenderemur in ipsius amore, nobis ex se sufflavit. De quibus subditur: Et refulgens radiis suis obcaecat oculos. Radiis paupertatis et humilitatis suae 'excaecat oculos superborum, ut non videntes videant'. Est enim tamquam collyrium, oculum infirmum turbans et quasi excaecans, sed postea clarificans et illuminans. Unde ipse dicit in Ioanne: In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant. Et iterum: Si caeci essetis, non haberetis peccatum – quia quaereretis collyrium, quod aufert omne peccatum –; nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet. Isto sole exustus, accensus, obcaecatus fuit ille publicanus, verus poenitens, de quo dicitur in hodierno evangelio: Duo homines ascenderunt in templum etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur: pharisaei arrogantia et publicani poenitentia. Primum, cum praemittitur: Duo homines etc. Secundum, cum adiungitur: Et publicanus, stans a longe. Nota etiam quod in hac et sequenti dominica quasdam auctoritates libri Ecclesiastici cum istius et sequentis evangelii clausulis concordabimus. In introitu hodiernae missae cantatur: Deus, in adiutorium meum intende; et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Notum vobis facio evangelium, quam in duabus

particulis volumus dividere et cum clausulis evangelii concordare. Prima particula: Notum vobis facio. Secunda: Ego sum mininus.

I – De pharisaei arrogantia

3 – Dicamus ergo: Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus pharisaeus et alter publicanus. Pharisaeus autem stans, haec apud se orabat, dicens: Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omium quae possideo. In primis notandum quod "quattuor sunt, ut ibi dicit GLOSSA, species tumoris: cum vel quis bonum quod habet a se habere aestimat; aut si datum a Deo, pro meritis datum putat; aut cum iactat se habere quod non habet; aut cum, despectis ceteris, appetit singulariter videri habere quod habet – Unde versus: "A se pro meritis, falso plus omnibus, inflant". Hac pharisaeus peste laborabat, qui ideo non iustificatus descendit, quia, merita bonorum sibi singulariter tribuens, publicano se praetulit". Ecce leo mortuus et canis vivus, de quibus Salomon in Parabolis: Melior est canis vivus leone mortuo, idest humilis publicanus, superbo pharisaeo. Et nota quod 'os colli leonis est continuum, et in eo non est anulositas'; 'et in eius ossibus non invenitur medulla. Et ossa leonis praecipue sunt dura, magis quam ossa aliorum animalium, et propter hoc quando colliditur unum cum alio, emicat ignis'. A simili, in collo superbi non est anulositas, idest flexibilitas. Unde Iob: Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est. "Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa viscera, et rigor lentescat ille quem dedit nativitas". Superbe pharisaee, quid te elevat cor tuum, ut dicitur in Iob, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? Scilicet: Non sum sicut ceteri hominum: raptores. Quid est homo ut immaculatus sit, et ut iustus appareat natus de muliere? Ecce caeli non sunt mundi in conspectu eius. Quanto magis abominabilis et inutilis homo? Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, ut in eodem Iob dicitur, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum! Superbus etiam non habet medullam compunctionis vel compassionis, ex cuius verborum et operum collisione egreditur ignis arrogantiae, irae et vanaegloriae. Unde dicitur in libro Iudicum: Egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. 'Rhamnus est spinarum genus densissimum et nimium permolestum'; significat superbum, spinis divitiarum et peccatorum obsitum; ex quo procedit ignis superbiae, devorans omnes cedros Libani, idest omnia opera quae facit, scilicet: Ieiuno bis in sabbato etc. Ibi dicit GREGORIUS: "Quid prodest si tota civitas custodiatur, et unum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur?" Item, cum de bonae vitae perfectione extollimur, hanc nec inchoasse monstramus. Et Ecclesiasticus: Noli te extollere in faciendo opere tuo. Omnis enim arrogans abominatio est apud Deum. Bene ergo de leone mortuo dicitur: Pharisaeus stans, quasi collo inflexibili. "Pharisaeus interpretatur divisus"; se enim iustum reputans, a publicano separabat, dicens: Non sum sicut ceteri hominum: raptores etc. "Quid est ceteri hominum, nisi omnes praeter ipsum? Quasi diceret: Solus iustus sum", ceteri sunt peccatores.

4 – Super hoc habes concordantiam in Ecclesiastico: Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animae illorum: pauperem superbum et divitem mendacem, et senem

fatuum et insensatum. ‘Superbus dictus, super vadens’. “Mendax, quod mentem alterius fallit”. ‘Senex dictus, quod se nesciat: delirat enim propter nimiam aetatem; vel a sensus diminutione, eo quod iam per vetustatem desipiat. Physici enim dicunt puerorum et senum aetatem convenire. In illis enim nondum sanguis calidus est, in istis iam frigidus’. Nota quod istae tres species, Deo odibiles, in isto pharisaeo et quolibet superbo reperiuntur. Pharisaeus pauper superbus fuit: pauper, per foramen enim, quod apertum reliquerat, latrones intraverunt et omnia eius bona furati fuerunt; superbus, quia supra se vadens, se meliori se praetulit. Superbus pauper est, quia caret divitiis humilitatis, qua qui caret, in summa miseria est. Pharisaeus fuit dives mendax: dives dum dixit: Ieiuno bis in sabbato; mendax cum praemisit: Non sum sicut ceteri hominum. Hoc ipsum temporis nostri religiosi, divites in sanctitatis apparentia, sed mendaces in mentis elatione, dicunt cum Elia, in tertio libro Regum: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam, ut auferant eam. Audiant isti, qui se credunt solos Domino servire et genua ei flectere, quid ipse dicat: Reliqui mihi in Israel septem milia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. Frater, et ‘a Nazareth aliquid boni potest esse’: ‘non tantum Deus noster est Deus montium, sed etiam et convallium’. Ego, inquit in Canticis, flos campi, et lilium convallium. ‘In excelsis habitat Deus, et tamen humilia respicit’. Fuit etiam pharisaeus senex fatuus: senex, quia seipsum nesciebat, sensum perdiderat, et quod loquebatur non intelligebat. Ascenderat enim in templum, ut oraret, non ut se laudaret; a laude incepit propria qui incipere debuerat ab oratione dominica. Sic enim quidam in sua praedicatione faciunt: a propria laude quasi a prologo incipiunt. ‘Sordescit laus in ore proprio’, et: ‘Laudet te os alienum non tuum’.

5 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Notum vobis facio evangelium quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini, qua ratione praedicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Evangelium, quod Christus et apostoli praedicaverunt, est humilitas. Discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde. Hanc lectionem discipuli ab ipso didicerunt et alios docuerunt. Unde Paulus, ‘qui interpretatur humilis’, notum, inquit, vobis facio evangelium, in quo et statis, per quod et salvamini. Ubi humilitas ibi statio et salvatio, quam quia pharisaeus non habuit, ideo cecidit, et dum se iustificavit, peccatorem se constituit. Qui tenet humilitatem salvatur, qui non tenet frustra credit, frustra operatur; et quia per humilitatem pervenitur ad gloriam, ideo ista epistola, in qua fit mentio de Christi morte et resurrectione, legitur cum hodierno evangelio, in quo dicitur: Omnis qui se humiliat exaltabitur. Christus ‘humiliavit se usque ad mortem’, et exaltatus fuit in resurrectione. Rogemus ergo, fratres carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum, ut iactantiam pharisaei a nobis auferat; evangelium suae humilitatis cordibus nostris imprimat, quatenus ad eius templum gloriae ascendere et in generali resurrectione, ad dexteram ipsius collocati, mereamur congaudere. Ipso praestante, qui mortuus est et resurrexit, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

6 – Tres species odivit anima mea: pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum. Dicit Ecclesiasticus: Altissimus de terra creavit medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam. Altissimus, Iesus Christus, de terra, idest carne sua, creavit

medicinam humilitatis, qua sanavit humanum genus. Vel, de terra creatur medicina quando per afflictiones corporis sanantur vulnera mentis. Sic de carne nostra fit medicina, sicut de serpente theriaca. Caro fuit serpens in culpa, et dabit theriacam in poena. Hanc medicinam, Christi scilicet humilitatem et carnis afflictionem, prudens non abhorrebit, sed superbus mendax et insensatus abiciet illam. De quo dicitur: Tres species odivit anima mea: pauperem superbum etc.

7 – Pauper superbus est istud miserum corpus; dives mendax, hic mundus; senex fatuus est diabolus. Corpus a corrumpendo est dictum, vel quasi cordis pus, idest custodia, vel "quod corruptum pereat", vel coram positum. Pauper dictus, perpaululum habens, vel parum imperans. Pauper est corpus nostrum, quod nudum, caecum, plorans ingreditur in hoc exilium, et nudum, caecum et miserum egreditur ab hoc exilio, et utinam non ad aeternum exitium, necessitati famis et frigoris subiectum, infirmitatibus afflictum, spurcitiis et immunditiis plenum. Unde ergo, pauper infelix, tibi superbia? Unde tibi gloria? Si vis superbire, superbias de cloaca stercoris, quam tecum defers. O miser, miser pauper, quem te ipsum facis? Quem te iactas? Nonne tu es, qui in caverna latebrosa matricis matris tuae fuisti de foetido semine procreatus? Ibidem novem mensibus sanguine menstruo, 'quem si canes comederent statim in rabiem verterentur', fuisti pastus? Unde ergo tibi superbia, forte de sanguine parentum superbis? Certe si hoc est, de stercore, quo fuisti genitus, superbis. Forte de divitiis? De alieno superbis, quia non tuae, sed tibi accomodatae. Tuum non est, quod tecum ferre non potes. Strictissimum est mortis foramen, per quod pauper et nudus vix transire poteris, peccata, 'quae nihil sunt', tecum tamen deferens. Forte de sapientia et eloquentia tua gloriaris? 'Non tibi, non tibi gloria, sed illi soli', qui 'dat os et sapientiam', qui 'mutos fecit loqui, et surdos audire'. O pauper, o corpus miserum, cum sis in tanta egestate et miseria positum, in tantum superbis, in tantum gloriaris! Quid faceres si dives fuisses? Benedictus Deus, qui 'humiliavit sicut vulneratum superbum', siccavit mare, aquam abyssi vehementis, percussit draconem, deposuit potentem, dedit tibi 'pro suavi odore foetorem, pro zona funiculum, pro crispanti crine calvitium'. Humiliare ergo, pauper miser, et gemens et plorans, dic cum Ieremia: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis Domini; me minavit et adduxit in tenebras et non in lucem. Vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea. Aedificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore; in tenebris collocavit me quasi mortuos sempiternos. Circumaedificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. Confregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. Recordare, Domine, paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis.

8 – Sequitur: Divitem mendacem. Dives est mundus, de cuius divitiis dicit Nahum propheta: Et Ninive quasi piscinae aquarum aquae eius, ipsi vero fugerunt. State, state! et non est qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum; et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. "Ninive interpretatur speciosa, et significat mundum", falsa pulchritudine speciosum. Huius aquae, idest divitiae et voluptates, sunt sicut piscinae, quae in aestate siccantur. Adveniente enim mortis fervore, divitiae et delitiae exsiccantur. Unde Ecclesiasticus: In fine hominis denudatio operum eius. Omnes fugiunt, omnes morti debitum solvunt. Quos Ninive, meretrix speciosa, deridet, dicens: State, state, diripite argentum, diripite aurum. Mundi amatores dimittunt quae secum ferre non

possunt, quorum nullus est qui revertatur, quia ‘dies hominis sicut umbra’, ‘et vita eius quasi ventus’, qui transit et non revertitur. Non est finis divitiarum Ninive, et ideo non erit finis miseriarum eius. Ex omnibus vasis desiderabilibus. “Vasa, idest corda mundanorum, adeo sunt profunda in cupiditate, ut quantalibet sit multitudo divitiarum eas satiare non possit. Item, de mundi mendacio in eodem propheta subditur: Vae, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena, non recedet a te rapina. Vae culpae et poenae mundo, qui est civitas sanguinum, idest peccatorum, “in qua nulla veritas sed omne mendacium”. Unde in Psalmo: Diminutae sunt veritates a filiis hominum. Haec civitas est “plena rapina et praedarum laceratione”. GREGORIUS: “Praesens vita nonnisi cum lacrimis habetur et tamen cum lacrimis amatur”. De cuius mendacio dicit Dominus per Ieremiam: Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. Aquae infideles sunt divitiae, quae nullam fidem suo possessori servant, cui multa promittunt, sed nihil attendunt; quarum amatores, cum eis abundant, Domino confitentur: Confitebitur, inquit, tibi cum benefeceris ei. Ibi GREGORIUS: “Despecta confessio, quam prosperitas facit; sed illa est magni meriti, quam [non tollit] vis doloris”. Carnales ergo, cum divitiae succedunt, Domino confitentur; cum subtrahuntur, et ipsi Domino mentiuntur.

9 – Sequitur: Senem fatuum et insensatum. “Senex fatuus est diabolus, de quo in Ecclesiaste: Melior est puer pauper et sapiens, quam rex senex et stultus, qui nescit providere in posterum. Sapientiam enim sibi datam inter angelos non servavit, quia conditori suo subici noluit”. Cuius membra efficiuntur, qui iugo obedientiae, pro obedientis usque ad crucem nomine, subici renuunt. Toties apostatae angelo similis efficeris, quoties tuo superiori, contumax, obedire contemnis. Non hominem sed Deum contemnis, qui homines super capita hominum posuit. Unde Iob: Qui fecit ventis pondus. “Ventus dictus, quod sit vehemens et violentus”. Natura humana, ab adolescentia sua prona in malum, est tamquam ventus levis et violenta, et ideo Deus fecit ei pondus, idest obedientiam praelatorum, ut, ipsius pondere praegravata, inaniter sicut diabolus non elevaretur super se, et sic miserabiliter caderet subtus se. Bonum est ergo viro, ut dicit Ieremias in Threnis, cum portaverit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se supra se. Cum humiliter alii supponis te, tunc mirabiliter elevas te supra te. Iugum dictum, quia duo iungit. Porta ergo, fili, cum Christo, Dei Filio, iugum obedientiae. Vitulus novellus, Iesus Christus, iugo obedientiae astrictus, omnium peccatorum nostrorum sarcinam solus traxit. Unde Isaias: Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Quem Iudaei, quasi rustici stimulantes, stimulabant, ut citius properaret. Ecce quomodo solus iuvenculus noster angelis et hominibus pondus importabile trahit, et nemo est qui consideret et corde percipiat. O frater, curre, obsecro, et adiunge te ad iugum istud, et supporta cum Iesu, subleva cum Iesu. Circumspexi, inquit in Isaia, et non erat auxiliator, quaesivi, et non fuit qui adiuvaret. Adiuva ergo, frater, adiuva Iesum, quia, ‘si eius fueris particeps tribulationum, eris et consolationum’. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut pauperes humiles, divites veraces, senes sapientes nos facias, quatenus ad aeternas delicias et divitias pervenire mereamur. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De publicani poenitentia

10 – Sequitur secundum. Publicanus stans a longe, nolebat nec oculos ad caelum levare;

sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. In hac clausula sex notantur, scilicet propriae iniquitatis recordatio, mentis et cordis humiliatio, contritio, confessio et satisfactio, et ipsius publicani iustificatio. Iniquitatis recordatio, cum praemittitur: Publicanus stans a longe. Propriae iniquitatis conscius, a longe stetit; ipso templi ingressu se indignum reputavit. Pharisaeus se credebat esse 'prope, sed fuit longe'. Publicanus se putabat esse longe et erat prope. 'Fractus est ramus et insertus est oleaster'. Quod quaerebat Israel non est consecutus; electio autem consecuta est. Sta, o peccator, a longe, te indignum reputa, dicens cum Abraham: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Mentis et corporis humilitas, ibi: Nolebat nec oculos ad caelum levare. Insigne humilitatis solet apparere in oculis. Extollentiam, inquit Ecclesiasticus, oculorum ne dederis mihi. "Impudicus oculus, inquit AUGUSTINUS, impudici cordis est nuntius". Item, in percussione pectoris tria notantur: per tunsionem, contritio; per sonum, confessio; per manum, operis satisfactio. Deus, inquit, propitius, idest placatus, esto mihi peccatori. "Publicanus, sicut humilis, non audet appropinquare, ut Deus ad eum appropinquet; non aspicit, ut aspiciatur; pectus percutit, poenam de se exigit, ut Deus parcat; confitetur, ut Deus ignoscat. Ignoscit Deus, quod ille agnoscit". Attende et diligenter inspice, in quanta concordia erat secum iste poenitens. Humilitas in eius mente praefulgebat, cui oculorum humilitas consonabat; cor de commissis dolebat, manus percutiebat, lingua resonabat: Deus, propitius esto mihi peccatori.

11 – Super hac concordia habes concordantiam in Ecclesiastico: In tribus, inquit, placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier sibi consentientes. Quid fratres, quid proximi, quid vir et mulier significent videamus. Fratres sunt quinque corporis sensus, de quibus dicitur in Genesi: Iuda, te laudabunt fratres tui. Qui sunt Ruben, Simeon, Levi, Issachar et Zabulon. Iudas est poenitens, quem quinque corporis sensus, si inter eos concordia fuerit, laudant, idest laudabilem faciunt. "Ruben interpretatur visio", ecce visus; "Simeon auditio", ecce auditus; "Levi assumptus", ecce olfactus: per olfactum enim aerem assumimus, per quem vivimus; 'Issachar Dominum memorans', ecce lingua, per quam confessione criminis et laudis Domini poenitens debet esse memor; "Zabulon habitaculum fortitudinis", ecce tactus. Istorum fratrum concordia Deo et hominibus est placita. "Concordia dicitur a coniunctione cordis"; concordare, unius cordis fieri. Sequitur: Et amor proximorum. Proximi sunt affectus mentis, quibus nullum nobis propinquius. Inter hos si est amor Dei, ut ipsum affectent, ipsum diligant, tunc beneplacitum est Deo. Et vir et mulier consentientes. "Vir est ratio, mulier sensualitas, qui si in timore et dilectione Dei consenserint, quidquid petierint fiet eis. Unde si duo ex vobis consenserint fiet illis etc." Quia in poenitente publicano talis fuit concordia, amor et consensus, ideo de eo dixit Dominus: Amen dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, idest "comparatione pharisaei". Hic dicit beatus BERNARDUS: "Publicanus qui se exinanivit et se vas vacuum exhibere curavit, ampliorem gratiam retinuit". Ecce quanta gratia Redemptoris: publicanus ascenderat pollutus, descendit iustificatus; ascenderat peccator, descendit sanctus. Unde in introitu hodiernae missae et Dei misericordia confisus clamat, dicens: Deus, in adiutorium meum intende; hoc est dicere: Propitius esto mihi peccatori, ut scilicet peccata dimittas; Domine, ad adiuvandum me festina, ut gratiam infundas, et

sic iustificatus descendam.

12 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit. "Minimus dictus, a nomine monadis, quod post eum numerum non sit alter". Ecce quomodo concordat Paulus minimus cum publicano humillimo. Ille, indignum se reputans, a longe stabat; iste apostolorum minimum se reputabat. Ille oculos nolebat ad caelum levare, quia in caelum et coram Deo peccaverat; iste dicebat: qui non sum dignus vocari apostolus. Ille se peccatorem accusabat; iste, quoniam Ecclesiam Dei persecutus fuerat. Ille invenit gratiam; et iste gratiam. Unde et dicit: Gratia Dei sum id quod sum. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut, qui publicano et Saulo dimisit peccata, gratiam contulit, nobis ignoscat, gratiam conferat, quatenus ad ipsius gloriam pervenire mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus, vita et salus, iustus et pius, per aeterna saecula. Dicat omnis humilis anima: Amen. Alleluia.

13 – Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Dicit Ecclesiasticus: Memoria Iosiae in compositione odoris facta opus pigmentarii; in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, ut musica in convivio vini. "Iosias interpretatur in quo est sacrificium" et significat poenitentem, vel virum iustum, in quo est sacrificium Deo spiritus contribulatus, cuius vita comparatur operi pigmentarii, mellis dulcedini et organo musicae. Verus poenitens, tamquam pigmentarius, in mortariolo sui cordis, desuper feriente pilo contritionis, omnes species cogitationum, verborum et operum contundit et in tenuissimum pulverem redigit, et balsamo lacrimarum conficit. Haec est compositio odoris suavissimi; et opus pigmentarii comparatur mellis dulcedini. Nota quod "apes accipiunt ceram a floribus, et congregant ipsam cum pedibus anterioribus, deinde mutant ipsam ad pedes medios, deinde ad coxas pedum posteriorum, et post volant cum ipsa et tunc manifestatur ponderositas in ea. Et cum volat apis non intendit flores diversos neque dimittit unum florem et vadit ad alium, sed colligit ex uno quo indiget, et redit ad alveare", et operatur et vivit ex eo quod operatur. Poenitens sex habet pedes: anteriores sunt amor Dei et proximi; medii, oratio et abstinentia; posteriores, patientia et perseverantia. Flores sunt sanctorum patrum exempla, ex quibus debet colligere ceram, idest mentis et carnis munditiam, quam his sex pedibus colligit, et ad alveare propriae conscientiae cum ipsa redit, et incipit operari interius, et de eo quod operatur seipsum reficit. Operamini, inquit Dominus, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. Opus viri iusti est mellis dulcedo, idest puritas conscientiae, honestas vitae, odor bonae famae, gaudium de divina contemplatione. 'O curiose, cuius in multis sunt actus', 'vade, non dico ad formicam, sed ad apem, et disce sapientiam'. Apis non intendit flores diversos etc. A simili, non intendas ad diversos verborum flores, ad diversa librorum opuscula; neque dimittas unum florem et vadas ad alium, ut faciunt fastidiosi, qui semper libros revolvunt, sermones examinant, verba praeponderant, et numquam ad scientiam perveniunt; sed collige ex uno quo indiges et repone in alveari tuae memoriae. Dicit PHILOSOPHUS: "Non convalescit planta quae saepe transfertur. Nihil tam utile est ut in transitu prosit". Item, vita viri iusti comparatur organo musicae. 'Organum musicae est verbum praedicationis dominicae', vel melodia bonae famae, consonans sanctae vitae. Ex tali vita procedit memoria odorifera, mentes audientium indulcans, in auribus suaviter

resonans.

14 – De istius ergo Iosiae, viri scilicet poenitentis, humilitate, qui se cum publicano humiliavit, dicit Dominus: Omnis qui se humiliat exaltabitur. “Humilis dictus, quasi humi acclivus”. Porta caeli humilis est, per quam qui vult intrare necesse est ut inclinet se. Hoc autem docuit Dominus, cum inclinato capite, tradidit spiritum. Et ipse ideo dicit: Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum caelorum. Ad litteram autem ‘foramen acus erat quaedam porta in Ierusalem’. Camelus autem doctus est naturaliter inclinare, cum transit per locum demissum, et super genua sua ambulat; ‘unde natura dedit in genibus quaedam additamenta, quae sunt sicut planta, ne laederetur cum super genua sua ambularet’. Ergo facilius est camelum intrare per foramen etc., quia camelus naturaliter se potest inclinare, quod tamen non potest dives nisi de gratia. Et ad exprimendam nobis hanc inclinationem, quaedam porta in Ierusalem dicebatur porta Vallis, de qua dicit Nehemias: Egressus sum per portam Vallis de nocte, et ante fontem Draconis, et ad portam Stercoris; et considerabam murum Ierusalem dissipatum et portas eius combustas igni. Et transivi ad portam Fontis et aquaeductum Regis; et non erat locus iumento cui insidebam, ut transiret. Et reversus veni ad portam Vallis et redii. Porta Vallis est noster ingressus in mundum, ad quam egredimur ad illam intuendam. Fons autem Draconis fons est lacrimarum. Porta Stercoris, poenitentia, per quam tolluntur stercora peccatorum, et tunc consideratur dissipatio muri spiritualis, quae per peccatum facta est. Portae combustae sunt sensus, per peccatum corrupti. Porta Fontis est contemplatio, ad quam transitur post poenitentiam peractam. Aquaeductus est anima contemplantis, per quam aquae spiritualium intelligentiarum decurrunt. Iumentum, cui non erat locus, corpus est, cuius gravitas ab alto contemplationis deicit homines, quia: Corpus quod corrumpitur aggravat animam. Et ideo ad portam Vallis est redeundum, quia in humilitate est perseverandum. De qua dicit Ecclesiasticus: Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis. Carnis impii, idest carnalis impii. Unde Dominus in Ezechiel: In ira furoris mei sufflabo in te; daboque te in manus hominum insipientium, fabricantium interitum. Et eris cibus ignis. Et in Iudith: Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum. Humilia ergo spiritum tuum, quia oratio humiliantis se, ut dicit Ecclesiasticus, nubes penetrabit; et donec propinquet non consolabitur, scilicet corde. ORIGENES: “Plus valet unus sanctus orando, quam innumeri peccatores proeliando. Oratio enim sancti caelum penetrat, quomodo ergo in terris hostem non vincat?” AUGUSTINUS: “Magna virtus purae orationis, quae, quasi quaedam persona, ad Deum intrat, et mandata peragit, quo caro pervenire nequit”. GREGORIUS: “Veraciter orare est amaros in compunctione gemitus, non verba resonare”. Humilia ergo spiritum tuum, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. Unde Ecclesiasticus: Erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput eius a tribulatione: et mirati sunt in eo multi. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut tuae humilitatis sigillum nobis imprimas et in tempore ultimae necessitatis nos ad tuam dexteram exaltes. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in duodecima dominica post Pentecosten: Exiens Iesus de finibus Tyri, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de praedicatore et Ecclesiae praelato, et de natura apum, et de proprietate ferri, ibi: Faber ferrarius. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de peccato luxuriae, superbiae, et colubri natura, et triplici avarorum rapina, ibi: Fili, peccasti. Item contra praelatos Ecclesiae, ibi: Ducent Tyrum pedes sui longe. Item sermo moralis de vita viri iusti et de proprietate nebulae, solis et arcus, qui fit in die pluviae, ibi: Simeon Oniae filius etc. Item de quinque fluminibus et eorum significationibus et de tribus quae sunt in sagitta, ibi: Qui implet quasi Phison. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de corde hominis et sensibus corporis, ibi: Rex qui sedet in solio. Item de quinque quae notantur in hac auctoritate: Auditu auris audivi te, et de natura cervi et eius significatione. Item de confessione, ibi: De medio ignis quasi species electri. Item sermo moralis de contemptu mundi, ibi: Duo angeli etc. Item de quinque digitis Iesu Christi et eorum significationibus. Item sermo in Nativitate Domini, ibi: Figulus sedens ad opus suum. Item sermo in Nativitate, et de sex alis Seraphim, ibi: Volavit ad me unus. Item de praedicatore, ibi: Splendidum in panibus. Item de testamento et quid significet.

Exordium. De praedicatore et praelato Ecclesiae

1 – In illo tempore: Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. Dicitur in Ecclesiastico: Faber ferrarius sedens iuxta incudem, et considerans opus ferri; vapor ignis urit carnes eius, et in calore fornacis concertatur. Vox mallei innovat aurem eius, et contra similitudinem vasis oculus eius; cor suum dabit in consummationem operum, et vigilia sua ornabit in perfectionem. “Faber, a faciendo ferrum dictus”, ‘est sanctus Ecclesiae praedicator’, “qui spiritualia arma fabricat”. Hic debet sedere iuxta incudem, idest Sacrae Scripturae studium et exercitium, ut se exerceat in eo quod praedicat. “Incus dicitur, eo quod illic aliquid cudamus, idest feriendo producamus; cudere enim caedere et ferire est”. Dicitur in NATURALIBUS quod “apes volant in aerem quasi se exercentes, deinde revertuntur ad alvearia et cibantur”; Sic praedicatores prius debent se exercitare in aere contemplationis, desiderio caelestis beatitudinis, ut postmodum avidius se et alios valeant cibare pane verbi Dei. Debet etiam considerare opus ferri, idest mentem ferream auditorum, ut ex ipsa operetur arma virtutum, aereas potestates debellantia. Unde ferrum a feriendo est dictum, quia cum eo cetera feriantur vel domentur. Vel “ferrum est dictum, quod farra, idest semina frugum, terrae condat. Idem et chalybs a Chalybe flumine, ubi ferrum optima acie temperatur”. Et nota quod “ferrum rubigine caret, si cerussa et gypso et liquida pice perungitur; item si medulla cervina, vel cerussa mixta cum oleo rosaceo, ungitur”. ‘Cerussa est quaedam materies apta ad pingendum, quae ex stanno et plumbo conficitur’. “Gypsum graecum est; est autem cognatum calci, signis aedificiorum et coronis gratissimum”. Nota quod ferrum, idest mens hominis, in flumine lacrimarum optima acie temperatur. Haec rubigine caret peccati, si cerussa et ceteris supradictis inungatur. Quid cerussa, gypsum et pix, quid medulla cervina et oleum rosaceum significent videamus. Cerussa ex stanno et plumbo conficitur. In stanno et plumbo Christi Humanitas, quae fuit stannea in Nativitate. Unde Zacharias: Laetabuntur et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. In lapide stanneo divina et humana natura designatur, ‘quam in manu

suae potentiae habuit noster Zorobabel, Iesus Christus', in quo, qui modo laetantur, ipsum Deum et hominem in caelesti Ierusalem facie ad faciem videbunt. Plumbea fuit in Passione. Unde Ieremias: Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum etc. Quaere in prima clausula evangelii: Vado ad eum qui me misit. In gypso, candida sanctorum vita; in pice, humilitas et paupertas; in medulla cervina, circa proximum misericordia; in oleo rosaceo, corporis castitas designatur. Quicumque his omnibus ferrum suae mentis inunxerit, omni peccati rubigine procul dubio carebit. Bene ergo dicitur: Considerans opus ferri. Sequitur: Vapor ignis urit carnes eius etc. Vapor ignis est fervor sancti zeli, qui praedicatoris vel praelati debet carnes, idest carnalitates, urere, ut dicat cum Apostolo: Quis infirmatur et ego non infirmor? etc. Et in calore fornacis, idest tentatione carnis, concertatur, idest contra vitia proeliatur. Vox mallei etc. "Malleus dictus, quod dum quid calet et molle est caedit et producit illud". Malleus est verbum Dei, de quo Ieremias: Numquid [non] verba mea quasi ignis et quasi malleus conterens petras? Dum enim praedicator massam ferri malleo percutit, terrorem tormentorum incutit, tali percussione eius auditus debet innovari. Vae illi, qui alios percutit et percutiendo concutit, et ipse remanet insensibilis: deberet dicere cum Isaia: 'Ego qui alios facio parere, scilicet gemitum compunctionis, nonne et ipse pariam?' Nonne gemam? Vel vox mallei potest dici ista: 'Ite, maledicti etc.', quae semper debet auribus cordis insonare. Unde dicit innovat, ut semper habeatur quasi nova prae oculis. Et contra similitudinem vasis. Oculus, praedicatoris intentio, 'quae in oculo designatur', debet esse contra similitudinem vasis, idest electarum animarum, ut aliud simile faciat: a similibus ad similia est procedendum. Cor suum dabit in consummationem operum, ut valeat dicere cum Domino: Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem. Et vigilia sua ornabit in perfectionem. Sua enim perfectione animarum imperfectionem debet ornare, ut animam surdam et mutam, digitis sanctae operationis et sputo divinae praedicationis, valeat curare. Unde dicitur in hodierno evangelio: Exiens Iesus de finibus Tyri etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur: Iesu Christi de finibus Tyri egressio, surdi et muti curatio. Primum cum praemittitur. Exiens Iesus de finibus Tyri. Secundum cum adiungitur: Et adducunt ei surdum et mutum. Cum his clausulis quasdam Ecclesiastici auctoritates concordabimus. In introitu hodiernae missae cantatur: Respice, Domine, in testamentum tuum. Et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Fiduciam talem habemus, quam in duabus particulis volumus dividere, et cum duabus sancti evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Fiduciam falem habemus. Secunda: Qui idoneos nos fecit.

I – De Iesu Christi de finibus Tyri egressione

3 – Dicamus ergo: Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae, inter medios fines Decapoleos. ALLEGORICE. "Tyrus angustia interpretatur, et significat Iudaeam, cui dicit Dominus in Isaia: Coangustatum est stratum, breve est pallium tuum, utrumque operire non potest". Surgite ergo et eamus hinc. Et exiens inde, venit per Sidonem, "quae interpretatur venatio", idest per praedicationem apostolorum, de quibus dicit in Ieremia: Mittam venatores meos et venabuntur eos. Venit ad mare Galilaeae, "quae interpretatur rota", idest transiit ad gentes, quae erant in amaritudine peccatorum et rota temporalium. Inter medios fines Decapoleos. Decapolis est "regio

decem urbium trans Iordanem", et significat "mandata Decalogi", quae Dominus gentibus servanda contulit. AD LITTERAM. "Marcus, Iesum fines Decapoleos non intrasse, neque mare transnavigasse dicit, sed usque ad mare venisse, atque ad locum qui medios fines Decapoleos, longe trans mare positos, respiciebat". Quid Tyrus et eius fines, quid Sidon, quid mare Galilaeae, quid Decapolis moraliter significent videamus. A finibus Tyri exeundum et ad mare Galilaeae per Sidonem est veniendum. Haec est via vitae, semita iustitiae, de qua Isaias: Semita iusti recta facta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Tyrus, angustia; Sidon venatio tristitiae interpretatur. Tyrus est mundus, de cuius angustia habes concordantiam in Ecclesiastico: Fili, peccasti? Non adicias iterum; sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata, et si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, plagae illius non est sanitas. Nota ista tria: colubrum, dentes leonis et romphaeam. In colubro, luxuria; in dentibus leonum, avaritia; in romphaea designatur superbia. "Coluber dictus, quod colat umbras", vel quod sit lubricosus, cervum fugit, leonem interficit, et significat luxuriam, quae colit umbras, idest habitat in illis qui sunt umbrosi, idest tepidi et otiosi. De facili lubricat in animam, nisi eius caput conteratur. Ergo, "principiis obsta". Cervum, idest humilem poenitentem, fugit, quia ipse fugit: Fugite, inquit, fornicationem; sed leonem, idest superbum, interficit. 'Ante ruinam luxuriae exaltatur cor superbia, quae est initium omnis peccati'. Item, "dentes dicuntur, quasi cibos dividentes"; "horum primi dicuntur praecisores, sequentes canini, ultimi molares". Nota quod triplex est rapina avarorum. Quidam enim praecidunt, quia non totum sed partem auferunt; quidam sunt sicut dentes canini, utpote legistae et decretistae, qui pro pecunia, tamquam canes, latrant in causa; quidam sunt sicut molares, utpote potentes et usurarii, qui pauperes molunt. Sed 'dentes peccatorum et molas leonum confringet Dominus'. Item, "romphaea est gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo spatham vocant". Haec est superbia, duplici morte interficiens animam. Fuge ergo colubrum luxuriae, dentes avaritiae, romphaeam superbiae. Haec sunt fines Tyri, in quibus est angustia et amictio spiritus, de quibus dicit Salomon in Parabolis: Oculi stultorum in finibus terrae. "Fines dicti, quod agri funiculis sint divisi". Qui funiculis peccatorum suorum constringuntur, a sorte sanctorum dividentur.

4 – Unde de hac Tyro dicit Isaias: Ducent eam, scilicet Tyrum, pedes sui longe ad peregrinandum. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terrae? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae. Tyrus est mundus, corona superbiae, dignitatis et excellentiae coronata, cuius negotiatores sunt principes, idest Ecclesiae praelati, de quibus in Apocalypsi: Mercatores tui principes terrae erant. Isti sunt Ismaelitae negotiatores, 'qui, ut dicitur in Genesi, vendiderunt Ioseph in Aegyptum'. 'Verus Ioseph, Iesus Christus', hodie venditur a negotiatoribus archiepiscopis et episcopis et ceteris Ecclesiae praelatis. Currunt et discurrunt, emunt, vendunt et revendunt veritatem mendaciis, iustitiam simoniis opprimunt. Et nota quod "negotium aliquando significat actionem causae, quod est iurgium litis; aliquando actum rei alicuius, cui contrarium est otium: unde negotium dictum, quasi negans otium"; inde negotiator, qui mercationi operam dat. Institores sunt abbates et priores hypocritae et falsi religiosi, qui falsas merces alienae sanctitatis, sub praetextu religionis, in foro mundanae vanitatis vendunt pro denario humanae laudis. Tyrus ergo, cum suis institoribus et

negotiatoribus, ducetur in captivitatem. Sed a quibus? Certe a suis pedibus, quibus modo discurrit. Ipsi enim erunt causa, ut ducatur ad peregrinandum in exilio gehennae. Quis hoc excogitare potuit, quod principes et inclyti terrae, praelati et religiosi, qui videntur loqui cum Deo facie ad faciem, qui habent claves regni caelorum, ducerentur in mortis aeternae exilium? Unde damnati, subditi et parochiani, dicunt damnato in inferno praelato, in Isaia: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es; detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subtus te sternetur tinea, et operimentum tuum vermes. Talem lectum habebunt episcopi et praelati, abbates et falsi religiosi, 'qui modo dormiunt, ut dicit Amos propheta, in lectis eburneis, et lasciviunt in stratis suis', sicut equi cum iumentis in pratis. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret, idest deorsum ad infernum traheret, superbiam omnis gloriae praelatorum, et ad ignominiam aeternae confusionis deduceret, idest deorsum duceret, universos inclytos terrae, qui de inclyta accipitris et herodii pluma gloriantur, praeambulo ventre incedunt. 'Potentioribus, inquit Ecclesiasticus, potentior instat cruciatus'. Ne ergo vir iustus, membrum Iesu Christi, cum Tyro infelici, ad peregrinandum ducatur, exeat, obsecro, cum Iesu de finibus Tyri, de quo dicitur: Exiens, idest extra iens, Iesus de finibus Tyri. Sequitur: Venit per Sidonem ad mare Galilaeae. De Sidone et eius interpretatione et significatione, quaere in evangelio: Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis. "Galilaea transmigratio interpretatur". Mare Galilaeae est amaritudo poenitentiae, in qua fit transmigratio de vitiis ad virtutes, et de virtutibus ad virtutes. De amaritudine poenitentiae quaere in evangelio "De quinque panibus". Sequitur: Inter medios fines Decapoleos. Decapolis dicitur a deca, quod est decem, et polis, quod est civitas, inde Decapolis, "idest regio decem urbium". Nota quod istae decem civitates sunt illae decem virtutes, quas enumerat Eccclesiasticus in laude Simeonis filii Oniae.

5 – Simeon, inquit, Oniae filius, sacerdos magnus fuit; quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso; quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens. Duo quae interponuntur, scilicet: quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, ideo non ponimus, quia sub sole refulgente et thure redolente, videntur comprehendi. Nota quod, ex hac auctoritate potest elici sermo in quolibet festo sanctae Mariae, et in festo unius apostoli, vel unius martyris, vel unius confessoris. "Simeon interpretatur audiens tristitiam", et significat virum iustum, qui, sive comedit, sive bibit, sive quodcumque aliud facit, in sui cordis tristitia, audit illam terribilem tubam: Surgite, mortui, et venite ad iudicium Domini. Hic dicitur filius Oniae, 'qui interpretatur moerens Domino'. Est enim filius moeroris, in quo Domino solummodo placere appetit. Unde bene dicitur sacerdos, "idest sacrum dans", seipsum in odorem suavitatis Domino offerens. Et attende diligenter quod sancti viri vita dicitur esse quasi stella matutina, quasi luna, sol, arcus, flos rosarum, lilia, thus redolens, vas auri, oliva pullulans et cypressus. Ecce Decapolis, ecce regio decem civitatum, de quibus in evangelio: 'Et tu esto super decem civitates'. Vita viri iusti est quasi stella matutina in medio nebulae, idest vanitatis mundanae. Nota quod in nebula latro timetur; discussa nebula, clarius micat sol; cum palpatur, nihil invenitur; 'cum elevatur, signum est tempestatis; cum cadit, serenitatis'. Res maior videtur in nebula; totam terram occupat, sed statim nescitur, quo devenerit. Sic

in vanitate mundi, pompa saeculari, latro, idest diabolus vel peccatum, latet; et ideo vir iustus valde timet, cum ei risus temporalium arridet. Fugite, o iusti, "latet anguis sub herba". Latet latro in nebula! Discussa nebula, idest contempta mundi pompa, clarius emicat sol gratiae. 'Vobis, inquit Propheta, qui timetis Deum, orietur sol iustitiae'. Cum palpatur, nihil invenitur. Unde in Psalmo: Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Viri divitiarum dicuntur, non divitiae virorum, quia servi sunt pecuniae. Cum elevatur, signum est tempestatis. Cum te elevat gloria saecularis, signum est tuae damnationis. Unde AUGUSTINUS: 'Non est evidentius signum aeternae damnationis, quam cum temporalia ad nutum, idest voluptatem, succedunt'. Cum cadit nebula, signum est serenitatis, idest perfectionis. Si vis, inquit, perfectus esse etc. Res maior videtur in nebula. In gloria enim saeculari aliquis positus, maior videtur esse quam sit. Est enim tamquam vesica, quae, vento inflata, maior videtur esse quam sit; sed punctura acus, idest mortis, manifestabit quam minimus sit. Item, nebula totam terram cooperit. Unde dicitur "ab obnubendo, idest operiendo. Exhalant enim valles humidae nebulas". Heu! tota terra cooperta est nebula, et ideo homines non vident. Unde Psalmus: Operti sunt iniquitate, quoad Deum, impietate, quoad proximum Et Iob: Operuit faciem eius crassitudo, 'idest abundantia temporalium', et de lateribus eius arvina dependet, "idest pinguedo". Modo nebula terram occupat, sed statim nescitur quo devenerit. Unde Iob: Si ascenderit usque ad caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderint, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. Oculus qui eum viderat non videbit, nec ultra intuebitur eum locus eius. 'Gloria ergo peccatoris quasi stercus', sed gloria viri iusti quasi stella matutina in medio nebulae. Abraham in Ur Caldeorum, Lot in medio Sodomorum; Iob 'frater draconum et struthionum', Daniel in lacu leonum.

6 – Sequitur: Quasi luna plena etc. Luna plena tota nocte lucet; sic vir iustus, omnia genera peccatorum attendit et omnibus compatitur. Item: Et quasi sol refulgens. In radiis solis atomi videntur, sic in vita viri iusti defectus nostri apparent. "Atomus est tenuissimus pulvis, qui in radiis solis apparet". Et quid est quod nos caeci defectus nostros non videmus, nisi quia claram sanctorum vitam non prospicimus? Has atomos videbat Iob, cum dicebat: 'Respiciam homines et dicam: Peccavi'. Sol etiam guttas aquarum ad se trahit; et vir iustus ad Deum modicos convertit. Sol lucidus est, calidus est et rotundus; et vir iustus lucet proximo, calet Deo, rotundus est in seipso. Hoc est quod dicit Apostolus: Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo. Item: Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae. 'Arcus provenit ex reverberatione radiorum solis in nube aquosa'. Nubes aquosa est vir iustus, compassione proximorum et humore lacrimarum aquosus. Hic in se veri solis radios suscipiens, aliis de se, tamquam de nube, pluviam doctrinae infundit. 'In arcu sunt duo colores, igneus et caeruleus'. Igneus caritate in Deum, caeruleus compassione in proximum. Iste arcus, refulgens inter nebulas gloriae. Vir enim iustus coram hominibus est nebulosus, idest despectus, unde in Apocalypsi: 'Factus est sol niger quasi saccus cilicinus', sed coram Deo est gloriosus. Item: Quasi flos rosarum in diebus vernis. In rosa duo notantur, punctio et delectatio. Spina stimulat, flos rosae delectat. Sic in vita viri iusti est spina compunctionis et odor delectationis; et hoc in diebus vernis, quia in prosperitatis tempore gaudet etiam adversitate. Item: Et quasi lilia in transitu aquae. 'In liliis mentis et corporis munditia designatur'. De quibus in Canticis: Descendit dilectus meus in hortum suum, ut lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus

meus mihi, qui pascitur inter lilia. “Hortus dictus, quod semper ibi aliquid oriatur. Nam, cum alia terra semel in anno aliquid creat, hortus numquam sine fructu est”. ‘Hortus est anima viri iusti’, quae continue fructificat et numquam sine fructu est. Ad hanc dilectus descendit, cum Dei Filius ipsi gratiam infundit, in cuius interiori et exteriori munditia requiescit. Ego, dicit anima viri iusti, sum appropriata dilecto meo, et ipse mihi, unde: Dominus pars hereditatis meae. Ipse mea hereditas et ego sua. Haec lilia sunt in transitu aquae, “idest labentis saeculi”. Vir enim iustus, in medio temporalis abundantiae, retinet munditiam vitae. Item: Et quasi thus redolens in diebus aestatis. ‘Arbor thuris inciditur in aestate, ut praeparetur autumnali collectioni’. Ita vir iustus in praesenti tribulatur, in futuro percipiet fructum vitae aeternae. De hoc plenius invenies in sermone: Domus mea domus orationis vocabitur. Item: Quasi vas auri solidum etc. Vasis concavitas, receptiva infusorum, est humilitas cordis viri iusti receptiva gratiarum. Tumor enim infusa repellit. Et bene vir iustus dicitur vas auri solidum. Vas quia humilis, auri quia clarus et pretiosus, solidum quia spes eius immortalitate plena est, ornatus omni lapide pretioso, idest “omni genere virtutum”. Item: Quasi oliva pullulans. Oliva quia misericors, pullulans quia iustus semper videtur sibi incipiens. Pullulans dicitur, quasi pollens cum laetitia. Hilarem enim datorem diligit Deus. Item: Et sicut cypressus in altum se extollens. ‘Cypressus dicta, quod caput eius in rotunditate surgat’. Caput, idest mens viri iusti, in rotunditate divini amoris surgit et in altitudinem contemplationis se extollit. Beatus ille qui in his decem civitatibus habitabit. ‘Hae sunt civitates refugii, ad quas qui fugerit salvabitur’. Si ergo cum Iesu de finibus Tyri exieris et per Sidonem ad mare Galilaeae, inter medios fines Decapoleos, veneris, cum beato Paulo in hodierna epistola dicere poteris: Fiduciam talem habemus per Iesum Christum ad Deum. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra a Deo est. Fiduciam ad Deum potest habere per Iesum Christum, qui cum ipso de finibus Tyri exierit. Contemptus enim terrenorum fiduciam parit aeternorum. Sed quia gratia praeveniens et subsequens ab ipso solo est, ideo subdit: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid “boni, quod sit ex nostra parte, nos defendens, quasi a nobis procedat”, sed sufficientia nostra ex Deo est.

7 – Unde habes concordantiam in Ecclesiastico: Qui implet quasi Physon sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis, qui mittit disciplinam sicut lucem, assistens quasi Gehon in die vindemiae. Nota quod hic quinque flumina ponuntur, per quae omnis perfectio, viae scilicet et patriae, designatur. Viae perfectio in triplici gradu consistit, scilicet in incipientibus, proficientibus et perfectis. “Physon, oris mutatio”; ‘Tigris, sagitta’; “Euphrates fertilis interpretatur”. Iesus Christus est quasi Physon incipientibus; qui paulo ante loquebantur lingua aegyptiaca, modo loquuntur lingua Chanaan, “idest commutata”, quorum facies erat peccatis combusta, modo vero splendida. Sicut Physon fluvius abundat et inundat, eodem modo Christus facit sapientiam abundare in incipientibus, ‘ut sapiant quae Dei sunt, qui prius sapiebant quae carnis erant’. Item, est sicut Tigris proficientibus in diebus novorum, idest seminum. Tunc enim Tigris inundat. Nota quod in sagitta sunt tria: lignum, ferrum et penna, qua recte volat. Christus ligno suae Passionis, ferro timoris et penna sui amoris vulnerat corda poenitentium, qui quotidie proficiunt, qui, tamquam bona semina, de virtute in virtutem quotidie crescunt. Item, est sicut Euphrates perfectis, quorum sensus virtutum fertilitate sunt adimpleti. De quibus dicit Apostolus, in epistola ad Hebraeos: Perfectorum est solidus cibus; eorum qui

pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Item, notandum quod perfectio patriae in tribus consistit, animae scilicet et corporis glorificatione, Trinitatis et Unitatis visione. Dicamus ergo: Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. 'Iordanis ex duobus fluminibus inundat', et significat geminae stolae gloriam inundantem. Tempus messis est aeterna felicitas. Iordanis bene dicitur aquas multiplicare, quia in tempore messis maioribus aquis inundat, et aquas multiplicat quando alii fluvii deficiunt. Sic erit in aeterna felicitate, malorum enim delectatione deficiente, stola super stolam multiplicabitur in beatis. Tunc erit nobis Deus quasi Gehon, qui sua visione triumphantem Ecclesiam, sibi assistentem, illuminabit, foecundabit et satiabit, et hoc in die vindemiae, de qua quaere in prima clausula evangelii: Homo quidam fecit cenam magnam. Bene ergo dicit Apostolus: Sufficientia nostra ex Deo est. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut de Tyro nos exire et per Sidonem ad mare poenitentiae, inter medios fines Decapoleos, facias pervenire et viae perfectione abundare, quatenus ad perfectionem gloriae mereamur ascendere. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De surdi et muti curatione

8 – Sequitur secundum. Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, et expuens, tetigit linguam eius; et suspiciens in caelum ingemuit et ait: Ephpheta, quod est adaperire. Et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius. Quid surdus et mutus, quid Iesu manus, quid de turba seorsum eductus, quid digiti, quid sputum, quid Iesu gemitus moraliter significent videamus. 'Surdus a sordibus humoris, auribus perceptis' est dictus. Mutus dictus, quod mugiat, "quia vox eius non est sermo, sed sermonis mugitus; vocalem enim spiritum per nares, quasi mugiens, emittit". 'In corde hominis, testante Salomone, est vita', 'et est fons caloris, membra vivificantis et nutrientis". Cor est quasi rex regens et disponens corporis civitatem, de quo dicit Ecclesiasticus: Rex qui sedet in solio, dissipat omne malum intuitu suo. "Solium dictum, quasi solidum". Cum residet cor hominis, sedet in solio, idest soliditate constantiae, tunc dissipat omne malum, idest omnem corporis malitiam, intuitu suo, idest discretione sua. Hic rex habet quinque speciales ministros, quinque scilicet corporis sensus, e quibus duo sunt ei specialiores et viciniores, aures scilicet et lingua. Per aures audit exteriora, per linguam promit interiora. Unde dixit Ruth ad Booz: Locutus es ad cor ancillae tuae. Et Isaias: Loquimini ad cor Ierusalem, et in Psalmo: Os iusti meditabitur sapientiam, idest meditatam loquetur sapientiam. Sed si aures sordibus obturantur et lingua ligatur, quid rex, quid cor faciet? Destructum est eius regnum, quia ministri, per quos regni negotia, secreti consilia, iura regalia agebantur, sunt destructi. Quid ergo agendum? Unicum et solum consilium restat, scilicet ut ad Iesum surdum et mutum ducas et eum roges, ut imponat ei manum. Rex est hominis spiritus, aures obedientia, lingua confessio. De aure obedientiae dicit Iob: Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te. Ideo me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere. Nota quod in hac auctoritate quinque notantur, scilicet obedientia, contemplatio, confessio, satisfactio, vilitatis et infirmitatis recordatio.

9 – Obedientia, cum dicit: Auditu auris audivi te. 'Auditus dictus, quod hauriat sonum

verberati aeris'. Auris, avide rapiens. Audio, idest auribus percipio. Obedientia, idest obaudientia. Cum tui praelati vox, quae est aer, nihil enim debet habere de terra, reverberat tuam aurem, non aure, sed auris auditu, idest interiori cordis affectu, debes audire, dicens cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Contemplatio, cum dicit: Nunc oculus meus videt te. Non videbis nisi obediens fueris. Si surdus fueris, caecus eris. Obedias ergo affectu cordis, ut videas oculo contemplationis. Unde Ecclesiasticus: 'Posuit Deus oculum ipsorum super corda ipsorum'. Deus oculum super cor ponit, cum ex corde obedienti lumen contemplationis infundit. De quo Zacharias: Dominus est oculus hominis et omnium tribuum Israel. Dum primus homo in paradiso obedivit, Dominus eius oculus fuit. Unde in Genesi: Formatis cunctis animantibus terrae et volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret, idest videre eum faceret, quid vocaret ea. Sed cum inobediens extitit, non Deus sed diabulus eius oculus caecutiens fuit. Unde in Genesi: Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; tulit de fructu illius et comedit. Omnes tribus Israel sunt poenitentes, qui, dum ex corde suis praelatis sunt obedientes, tunc vere sunt Israel, 'idest Deum videntes'. Item, confessio, cum dicit: Idcirco me reprehendo, idest in confessione arguo. Iste non erat mutus vel surdus, qui clare audiebat et recte se reprehendebat. Unde alibi dicebat: Lacero carnes meas dentibus meis. Verba sunt vere poenitentis. Carnes, idest carnalitates, meas lacero dentibus, idest reprehensionibus, meis; de quibus in Canticis: Dentes tui sicut grex tonsarum, quae ascenderunt de lavacro. Grex tonsarum est congregatio poenitentium, qui sunt tonsi temporalibus, tonsi tentationibus, qui ascendunt de virtute in virtutem, de lavacro lacrimarum, quibus super nivem dealbantur. Sint ergo, o frater, dentes tui sicut grex tonsarum, idest ita te reprehende, ita poenitentiam age, sicut faciunt et illi. Item, satisfactio, cum dicit: Ago poenitentiam. "Poenitentia dicta, quasi punientia, eo quod ipse homo in se punit poenitendo quod male admisit". "Poenitentia nomen sumpsit a poena, qua anima cruciatur et caro mortificatur". Item, vilitatis et mortalitatis recordatio, cum dicit: In favilla et cinere. "Favilla dicta, quod per ignem facta sit, nam phos graece, ignis latine". In favilla, nostrae vilitatis recordatio. Heu! alta cedrus paradisi conversa fuit in favillam per ignem diaboli. Unde Ioel: Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. Quaere in evangelio: Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis. In cinere nostra mortalitas designatur: 'Cinis, inquit, es et in cinerem reverteris'. Qui ergo caret affectu obedientiae et lingua confessionis, vere surdus est et mutus. Surdus dicitur a sorde. Dicit Ieremias in Threnis: Sordes eius in pedibus eius. 'Pedes sunt affectus animae', quibus, cum sordes vitiorum adhaerent, surda efficitur. Dicit Isaias: Omnes mensae repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset locus ultra. Ubi vomitus, idest peccati iteratio, ibi sordium abominatio, quae ita obturant aures cordis, quod ultra non remanet locus obeditionis. De hoc surdo conqueritur Dominus in Isaia: Quis surdus nisi ad quem nuntios meos misi? Qui apertas habes aures, nonne audies? Dicitur in NATURALIBUS quod, 'si aures cervi fuerint elevatae, audiet acutissime et statim cognoscet venatorem, qui eum vult interficere; si vero fuerint demissae, nihil audiet, neque interfectorem suum cognoscet'. Dicit Isaias: Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Erige ergo, o surde, tamquam cervus aures, et audi magistrum tuum, et sic cognosces diaboli venatoris astutiam. Sed si aures depresseris et obedire contempseris, crede mihi quia interficieris.

10 – Item, sunt quidam muti, in confessione mugientes, qui balbutiendo peccata sua confitentur, quae non agere, sed confiteri erubescunt. Dicit AUGUSTINUS: 'Erubescentia maxima pars est poenitentiae'. Haec est bona erubescentia adducens gloriam, cum quis de peccato erubescit et erubescendo in confessione discooperit. Unde Isaias: Erubesce, Sidon, ait mare. Mare, idest amaritudo interior, hoc facit, quod homo, exterius confitendo, erubescit. Unde Ezechiel: De medio ignis quasi species electri. "Electrum fit ex auro et argento". Rubor confessionis notatur in auro, sonus in argento. Unde per electrum, confessio, quae procedit de medio ignis, idest contritionis. Hoc electrum non habet mutus, de quo dicitur: Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. "Manus dicta, quod sit totius corporis munus, vel quod muniat hominem. Ipsa enim cibum ori ministrat, et omnia operatur". Manus est Verbum Incarnatum, quod Pater, pro maximo munere, toti corpori, idest Ecclesiae, dedit. "Munus dicitur a monendo". Tale ac tantum munus nos admonet, ut Patrem, qui ipsum dedit, super omnia diligamus. Unde de hoc munere dicit Isaias: Quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Filii Israel, idest fideles, munus, idest fidem Verbi Incarnati, in vase, idest corde mundo, debent inferre in domum Domini, idest sanctam Ecclesiam. Item, haec manus munit Ecclesiam, munit animam. Unde Isaias: Urbs fortitudinis nostrae Sion; salvator ponetur in ea murus et antemurale. "Murus a munitione est dictus, eo quod muniat interiora urbis". Sion, idest sancta Ecclesia, est urbs fortitudinis nostrae, "extra quam non est salus", in qua Salvator noster fuit positus murus et antemurale. Murus, divinitas; antemurale ipsius est humanitas. Fit enim Verbi Incarnati Ecclesia munita, permanet secura. Item, ista manus toti Ecclesiae cibum ministrat. Unde in Psalmo: Aperi manum tuam, et imple omne animal benedictione. Cum Christus manum in cruce extendit et extensam clavo aperiri voluit, tunc, per ipsius foramen misericordiae thesaurum effundens, omne animal benedictione replevit. "Animal dictum, quod animetur spiritu et moveatur". Omne animal significat omnem animam, quae spiritu contritionis animatur, et de virtute in virtutem quotidie movetur. Item, haec manus omnia operatur, scilicet creationem, recreationem, gratiarum infusionem, aeternam beatitudinem. De hac ergo dicitur: Et deprecabantur eum ut imponat illi manum.

11 – Sequitur: Et apprehendens eum de turba seorsum etc. Turba dicitur a turbando, quia dissona est. "A turbulentis cogitationibus et actibus inordinatis, sermonibusque incompositis educitur, qui sanari meretur". Unde dicitur in Genesi, quod 'duo angeli apprehenderunt manum Lot, et eduxerunt eum, posueruntque eum extra civitatem'. Duo angeli sunt timor et amor Dei, qui tunc manum Lot apprehendunt, cum opera peccatoris refrenant et educunt a turba cogitationum et ponunt extra urbem malarum consuetudinum. Sequitur: Misit digitos in auriculas eius. "Digiti dicti quia decenter iuncti existant. Primus dicitur pollex, eo quod inter ceteros polleat. Secundus, salutaris vel demonstratorius, quia eo salutamus vel demonstramus. Tertius, medius. Quartus, anularis, quod in ipso anulus geritur, idem et medicinalis, quod eo trita collyria a medicis colligantur. Quintus, auricularis, quod eo aures scalpimus". Nota quod in manu Verbi Incarnati fuerunt isti quinque digiti. Pollex fuit in conceptione, salutaris vel demonstratorius in nativitate, medius in praedicatione, medicus in miraculorum operatione, auricularis in passione. Pollex ceteris brevior, qui virtute praepollet, humilitatem significat Filii Dei, qui se abbreviavit in utero gloriosae Virginis. Unde Ecclesiasticus de ipso dicit: Ante pedes suos curvavit virtutem suam. In pedibus, humanitas; in virtute divinitas designatur. Ante pedes

ergo humanitatis, curvavit, idest humiliavit, virtutem divinitatis. In nativitate angelus salutem quasi digito demonstravit, dicens: Natus est vobis hodie Salvator, et hoc vobis signum: Invenietis infantem etc. In praedicatione fuit medius, caelorum regnum omnibus annuntians. Medius dicitur a modo, hoc est a mensura. Et ipse, secundum virium capacitatem, unicuique verbum vitae mensurabat; qui medicus fuit in miraculorum operatione, de quo Ecclesiasticus: Honora medicum propter necessitatem. In aure obedientia designatur: Et ipse fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua 'consummavit opus, quod dedit illi Pater ut faceret', de quo Ecclesiasticus: Figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum. Figulus est Iesus Christus, qui sedit, idest humiliavit se, ad opus suum, idest humani generis salutem; et pedibus suae humanitatis convertit rotam humanae naturae, ut quae currebat ad mortem, curreret ad vitam. Qui in sollicitudine semper positus pro nobis fuit, donec opus suum consummavit. Unde in fine dixit: Consummatum est. Istis quinque digitis humani generis surditatem sanavit Dominus.

12 – Sequitur: Et expuens tetigit linguam eius. Spuere est salivam ponere, idest emittere. Saliva a capite descendit, dicta quod sit salsa. 'Ieiuni hominis salivam, si serpens gustaverit, morietur'. Saliva dicitur dum est in ore, sputum cum proicitur. "Sputum namque Domini est sapor sapientiae, quae dicit: Ego ex ore Altissimi prodii. Expuens ergo linguam muti, ut loqui valeat, tangit, cum ora, diu bruta ad peccata sua confitenda, ad verba sapientiae proferenda contactu suae pietatis informat". Simile quid habes in Isaia, ubi dicitur: Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari; et tetigit os meum, et dixit: Ecce, tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. 'Duo Seraphim Filium et Spiritum Sanctum significant'. 'Filius ad humani generis Redemptionem' volavit, ut qui erat in divinitate Dei Filius, in humanitate fieret hominis filius; et ita non duo filii sed unus filius. 'Iste Seraphim, ut ipse praemittit Isaias, sex alas habuit' quae sunt illa sex, quae idem propheta enumerat dicens: Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. 'Admirabilis fuit in nativitate, unde in Ieremia: 'Novum faciet Dominus super terram etc.'; consiliarius, in praedicatione, unde: Si vis perfectus esse etc.; Deus, in miraculorum operatione, unde Isaias: Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum; fortis, in passione, manibus enim in cruce affixis, aereas potestates debellavit. Et quae tanta potest esse fortitudo, quam manibus ligatis proprium devincere inimicum? pater futuri saeculi, in resurrectione, resurgens enim a mortuis certam nobis contulit spem resurgendi in futuro saeculo, in quo nobis erit pater, quia suscipiet nos suos filios ad seipsum; princeps pacis erit nobis in aeterna beatitudine' in qua 'faciet nos discumbere, et transiens ministrabit nobis'. Super his sex habes concordantiam in Ecclesiastico, ubi loquitur ad Patrem: Innova signa et immuta mirabilia, glorifica manum et brachium dextrum, excita furorem et effunde iram, extolle adversarium et afflige inimicum, festina tempus et memento finis. Innovavit Pater signa et immutavit mirabilia in Filii sui nativitate. Signum est, quando in hoc quod videtur aliud intelligitur dictum, quod aliquid significet. Primus Adam de terra virgine fuit factus, in quo significabatur quod secundus Adam de benedicta terra Maria Virgine erat nasciturus. Mirabile fuit, quando 'ignis ardebat et non comburebatur', 'cum virga Aaron sine rore fructus protulit'. 'Rubus et virga est beata Maria', quae illaeso virginitatis pudore, Dei

Filium parturivit sine dolore. Bene ergo dicitur: Innova signa et immuta mirabilia, glorifica manum, in praedicatione, et brachium dextrum, 'idest eundem Filium tuum', per quem omnia fecisti, in miraculorum operatione. Unde ipse dixit in Ioanne: Clarifica me, Pater. Excita furorem et effunde iram in diabolum, in tua passione; extolle in resurrectione adversarium, idest humanam naturam; et sic affliges eius inimicum diabolum. De nullo sic inimicus amigitur, sicut cum videt adversarium suum in gloria sublimatum. Festina tempus, ut cito venias ad iudicium, reddens unicuique quod iustum est. Festina tempus, ut tuis des pacem. Domine, inquit Isaias, dabis pacem nobis. Memento finis, ut reddas impiis secundum opera sua. Dicamus ergo: Volavit ad me unus de Seraphim. Sequitur: Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari etc. Calculus est lapillus terrae admixtus 'dictus, quod propter sui brevitatem conculcetur'. 'Sed hic ponitur pro carbone'. Calculus est humanitas Iesu Christi, qui, propter sui humilitatem, terrae, idest peccatoribus, admixtus, a Iudaeis fuit conculcatus, sed nobis fuit carbo ignitus, vitia nostra purgans. Hunc habuit in manu, idest potentia suae divinitatis, quem, forcipe duplicis dilectionis, tulit de altari gloriosae Virginis. Nota: "Forceps, cipis fabri dictae, quod fortiter teneant, vel quasi ferricipes, seu forcicapes; nam forvum est calidum". 'Forcipes fabrorum, forfices sartorum a filo, forpices medicorum vel tonsorum a pilo'. Et bene beata Maria dicitur altare. "Altare dictum, quasi alta ara". 'Altum superius et inferius dicitur'. "Ara dicta, quod victimae ibi ardeant". Beata Maria fuit alta per sublimitatem contemplationis et per profundum humilitatis. Fuit ara, quia, ardens igne divini amoris, 'se obtulit Deo in odorem suavitatis'. Et tetigit, inquit, os meum etc. Hoc est quod dicitur in hodierno evangelio: Et expuens tetigit linguam eius. Calculo Seraphim tangit os Isaiae, et peccatum eius mundatur. Sputo Iesus Christus tangit linguam muti, et loquitur; tangit os peccatoris calculo suae humanitatis et ipsius linguam saliva divinitatis, ut peccatum confiteatur, recte loquatur et ab ipso emundetur.

13 – Sequitur: Et suspiciens in caelum ingemuit et ait illi: Ephpheta, quod est adaperire etc. Ibi dicit GLOSSA: "Nos gemere docuit, et in caelum thesaurum nostri cordis erigere, quod per compunctionem a frivola laetitia carnis purgatur. Unde dicitur: Rugiebam a gemitu cordis mei. Et ait illi: Ephpheta. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et statim apertae sunt aures eius ad obediendum, et solutum est vinculum linguae eius ad confitendum. Unde nota quod dicitur: Et loquebatur recte. Recte loquitur, qui peccatum et circumstantias peccati, cum proposito non relabendi, plenarie confitetur. Item, recte loquitur, qui quod ore praedicat, opere attestatur. Unde super hoc habes concordantiam in Ecclesiastico: Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele. "Qui panem verbi Dei fideliter dispensat, et testimonium veritatis non occultat, in praesenti et in futuro benedicetur". Quanti hodie sunt splendidi in verbis, sed leprosi in factis! Unde dicitur in Exodo quod 'apparuit facies Moysi cornuta'. Ibi dicit ORIGENES: 'Quid est quod sola facies Moysi apparuit gloriosa, manus leprosa fuit, pedes inglorii? Quia fecit eum discalceari, quando vocavit eum de rubo'. Hoc potest dici de illis praedicatoribus, qui gloriam et splendorem habent tantum in praedicatione, et habent immunditiam in operatione, 'et possunt dici discalceati et non vere sponsi Ecclesiae, digni in facie conspui, quia mortuo fratri, Iesu Christo, nolunt filios suscitare', immo, si qui sunt, interficiunt perverso opere. Dicitur in Psalmo: Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. Prius se et postea vocem suam deberent elevare, et ideo dicitur: Loquebatur recte.

14 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Deus idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat etc. Ecce quomodo concordat epistola cum evangelio, et cum epistola introitus missae. In evangelio dicitur quod Dominus misit digitos in auriculas surdi, et in epistola, quod lex fuit scripta in lapidibus Dei digito; in introitu cantatur: Respice in testamentum tuum, et in epistola legitur: Qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Dicamus ergo: Qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti. "Minister dictus, minor in statione, sive quia officium debitum manibus exequitur". Testamentum dictum, quod scripta est cum testibus et confirmata testatoris voluntas. Vel "testamentum dictum, quia non valet nisi post testatoris monumentum. Unde et Apostolus, testamentum in mortuis confirmatum esse dicit". Illi sunt idonei ministri Novi Testamenti, qui prius quinque digitis Iesu Christi in auribus missis audiunt, et postmodum dicunt: Veni; qui recte loquuntur, minores se in fidelium congregatione reputant; officium debitum manibus et operibus exequentes, ut digne ministrare possint verbum Novi Testamenti, in morte Iesu Christi confirmati. De quo dicitur in introitu hodiernae missae: "Respice, Domine, in testamentum tuum et animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. Exsurge, Domine, iudica causam tuam et ne obliviscaris vocis quaerentium te". O Domine Iesu, respice in testamentum tuum, quod, ne intestatus decederes, tuo sanguine tuis filiis confirmasti; 'et da eis cum fiducia loqui verbum tuum'. Et animas, quas redemisti, pauperum tuorum, qui nullam praeter te habent hereditatem, ne derelinquas in finem. Sustenta eos, Domine, tuae virtutis baculo, quia pauperes tui sunt; duc eos, noli derelinquere, ne sine te oberrent, sed usque in finem dirige, ut in te fine consummati, ad te finem valeant pervenire. Exsurge, Domine, qui modo videris dormire, 'dissimulans peccata hominum propter poenitentiam', et iudica, idest discerne ab iniquis, granum a paleis, causam tuam, idest animam, propter quam in causam coram Pontio Pilato fuisti ductus. Unde in Psalmo: Fecisti iudicium meum et causam meam. Et ne obliviscaris voces quaerentium te. Hoc est quod dicitur in evangelio: Loquebatur, ecce voces; recte, ecce quaerentium te: si talium voces non obliviscitur Deus, immo reponit in thesauro suae gloriae, mercedem aeternam largiturus. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut tuae incarnationis digitis aures nostras aperias, sputo saporis sapientiae tuae linguam nostram tangas, ut tibi obedire et laudare et benedicere et ad te, benedictum et gloriosum, mereamur pervenire. Te praestante, qui vivis et regnas cum Patre et Spiritu Sancto per aeterna saecula. Dicat omnis fidelis anima: Amen. Alleluia.

PROLOGUS IN QUATTUOR SERMONES IN FESTIVITATIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS

Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, quasi oliva pullulans, et cypressus se in altitudinem extollens. Ecce duodecim

lapides pretiosi in diademate capitis Aaron. Ecce duodecim stellae in corona gloriosae Virginis, ad cuius laudem, secundum ipsius quattuor festivitates, scilicet Nativitatem, Annuntiationem, Purificationem et Assumptionem, istam auctoritatem Ecclesiastici in quattuor sermonibus volumus dividere et unicuique festivitati breviter, prout ipsa dederit Domina, concordare. Sermo in ipsius Nativitate: Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis. In Annuntiatione: Quasi sol refulgens, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae. In Nativitate Domini: Quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae. In Purificatione: Quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. In Assumptione: Quasi vas auri solidum etc.

IN NATIVITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

Themata sermonis

Quasi stella matutina. In eodem sermo moralis de poenitentia, ibi: Egredietur.

Exordium

1 – Dicamus ergo: Gloriosa Virgo Maria fuit quasi stella matutina etc. Dicit Ecclesiasticus: Species caeli, gloria stellarum, mundum illuminans. In his tribus verbis tria notantur quae in beatae Virginis Nativitate mirabiliter splenduerunt: angelorum scilicet exultatio, cum dicitur: Species caeli. Legitur quod ‘quidam vir sanctus, dum devotae orationi insisteret, audivit in caelo angelici cantus dulcem melodiam. Quod cum iterum, revoluto anno, eodem die audiret, quaesivit a Domino, ut ei quid hoc esset revelaret. Responsum est quod tali die beata Maria nata fuisset, de cuius Nativitate angeli in caelo laudes Domino persolvebant’; et ideo ista die Nativitas gloriosae Virginis celebratur. Item, suae Nativitatis puritas, cum dicitur: Gloria stellarum. Sicut stella a stella differt in claritate, sic beatae Virginis Nativitas ab omnium sanctorum differt nativitate. Item, totius mundi illuminatio, cum dicitur: Mundum illuminans. Nativitas gloriosae Virginis mundum, opertum caligine et umbra mortis, illuminavit. Et ideo bene dicit Ecclesiasticus: Quasi stella matutina in medio nebulae etc.

De beata Mana Salvatoris nuncia et ex omni parte perfecta

2 – ‘Stella matutina dicitur Lucifer, eo quod inter omnia sidera clarius luceat, quae proprie iubar dicitur’. Lucifer, solem praecedens et mane nuntians, tenebras noctis lumine sui fulgoris aspergit. Stella matutina sive Lucifer est beata Maria, quae, in medio nebulae nata, ‘nebulam tenebrosam effugavit, mane gratiae solem iustitiae sedentibus in tenebris nuntiavit’. Unde de ea dicit Dominus ad Iob: Numquid producis Luciferum in tempore suo? ‘Cum venit tempus miserendi, tempus domum Domini aedificandi, tempus acceptabile et dies salutis, tunc Dominus produxit Luciferum, idest beatam Mariam, in lucem populorum’. Qui ad ipsam debent dicere quod Iudith populi dixerunt, ut in eiusdem dicitur libro: Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, prae omnibus mulieribus

super terram. Benedictus Dominus qui creavit caelum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum; quia nomen tuum ita hodie magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum. Fuit ergo beata Maria quasi stella matutina in sua Nativitate. De qua dicit Isaias: Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Nota quod 'beata Maria dicitur virga' propter quinque proprietates quas habet: est enim longa, recta, solida, gracilis et flexibilis. Sic beata Maria longa fuit contemplatione, recta iustitiae perfectione, solida mentis stabilitate, gracilis paupertate, flexibilis humilitate. Haec virga, egressa de radice Iesse, 'qui fuit pater David', 'a quo Maria' de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus. Unde in hodierno evangelio: Liber generationis Iesu Christi, filii David etc.

3 – Egredietur virga de radice etc. Quid ista tria, radix, virga, flos, moraliter significent videamus. In radice, humilitas cordis; in virga, rectitudo confessionis et disciplina satisfactionis; in flore, spes aeternae beatitudinis. 'Iesse interpretatur insula vel sacrificium', et significat poenitentem, cuius mens debet esse quasi insula. "Insula dicta, quod in salo, idest mari, sit sita". In mari, idest amaritudine, mens poenitentis est sita, quae fluctibus tentationum percutitur, et tamen immobilis consistit; qui sacrificium iustitiae Domino sacrificat in odorem suavitatis. Radix huius Iesse est humilitas contritionis, ex qua surgit virga rectae confessionis et disciplina discretae afflictionis. Et nota quod non ex summitate virgae sed ex radice ascendit flos. Flos, inquit, de radice eius ascendet, quia non ex afflictione corporis sed ex humilitate mentis ascendit flos, idest spes aeternae beatitudinis. Super hoc habes concordantiam in hodierno evangelio, in quo Matthaeus, generationem Christi describens, primo ponit Abraham, secundo David, tertio transmigrationem Babylonis. In Abraham, qui dixit: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, cordis humilitas; in David, cuius cor rectum fuit cum Domino: Inveni, inquit, David virum secundum cor meum, rectitudo confessionis; in transmigratione Babylonis, disciplina afflictionis et tolerantia tribulationis designatur. Si haec triplex generatio in te praecesserit, quartam consequeris generationem, scilicet Iesu Christi, qui natus est de Virgine Maria, de cuius hodierna Nativitate dicitur: Quasi stella matutina in medio nebulae.

4 – Sequitur: Et quasi luna plena in diebus suis lucet. Beata Maria dicitur plena luna, quia ex omni parte perfecta. Luna ideo imperfecta et semiplena, quia habet maculam et cornua. Sed gloriosa Virgo 'nec in sua Nativitate habuit maculam, quia in utero matris fuit sanctificata', 'ab angelis custodita'; 'nec in diebus suis cornua superbiae', et ideo plena et perfecta lucet. Lux dicta, quod diluat tenebras. Rogamus ergo te, Domina nostra, ut tu, quae es stella matutina, nebulam daemoniacae suggestionis, mentis nostrae terram tegentem, tuo splendore expellas; tu, quae es plena luna, vacuitatem nostram adimpleas, peccatorum nostrorum tenebras diluas, quatenus ad vitae aeternae plenitudinem, ad gloriae indeficientis lucem pervenire mereamur. Ipso praestante, qui te in lucem nostram produxit, qui, ut ex te nasceretur, te hodie nasci fecit. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

IN ANNUNTIATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

Themata sermonis

Quasi sol refulgens. In eodem de natura et castitate elephantis. Item contra luxuriam, ibi: Perdam Babylonis nomen. In eodem dicitur qua de causa frondes vel folia cadant ab arbore et de quattuor coloribus qui sunt in arcu caelesti. Ero quasi ros. In eodem dicitur de lana ovis et de natura butyri et casei. Item in eodem sermo de eodem, ibi: Ecce spiritus grandis. In eodem dicitur de natura roris et proprietate lilii. Quasi flos rosarum in diebus vernis. In eodem contra praelatos Ecclesiae, ibi: Invenietis infantem. In eodem invenies quare in Nativitate Domini cantantur tres missae et de proprietate lilii et ipsius significatione.

Exordium

1 – Quasi sol refulgens, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae etc. Dicit Ecclesiasticus: Vas admirabile opus Excelsi. Beata Maria dicitur vas, quia 'thalamus Filii Dei, speciale hospitium Spiritus Sancti, triclinium Sanctae Trinitatis'. Unde dicit in Ecclesiastico: Qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Hoc vas fuit admirabile opus Excelsi, Filii Dei, qui eam prae cunctis mortalibus pulchriorem, prae cunctis sanctis sanctiorem fecit, in qua ipse factus est. Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis. De quo admirabili opere dicitur in tertio libro Regum, quod 'Salomon sculpsit in ostiis templi cherubim et palmarum species et anaglypha'. Porta caeli, ianua paradisi est beata Maria, in qua verus Salomon sculpsit cherubim, 'in quibus vita angelica et plenitudo caritatis; et palmarum species, in quibus de inimico victoria, perseverantiae viriditas, contemplationis sublimitas; et anaglypha, quae sunt caelaturae eminentes, in quibus humilitas et virginitas designantur'. Haec omnia in beata Virgine fuerunt sculpta manu Sapientiae. Bene ergo de ea dicitur: Quasi sol refulgens etc.

I – De virtutibus et praerogativis beatae Mariae Virginis

2 – Nota quod, beata Maria fuit quasi sol refulgens in Angeli Annuntiatione, quasi arcus effulgens in Filii Dei Conceptione, quasi rosa et lilium in ipsius Nativitate. In sole sunt tria, scilicet splendor, candor et calor, quae tribus Gabrielis verborum clausulis respondent. Prima: Ave, gratia plena; secunda: Ne timeas; tertia: Spiritus Sanctus superveniet in te. Cum dicit: Ave, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, ecce solis splendor. Potest hoc referri ad quattuor virtutes, quarum singulas invenis in Maria tripliciter emicuisse. Ex temperantia siquidem habuit prudentiam carnis, modestiam sermonis, humilitatem cordis. Prudentiam habuit, cum siluit turbata, intellexit audita, respondit ad proposita. Iustitiam habuit, cum tribuit quibuscumque quod suum erat. Morem enim gessit duri corde in sua desponsatione, in Filii circumcisione, in legali purificatione. Compassionem afflictis exhibuit, cum ait: Vinum non habent. Communionem sanctis, cum 'erat in oratione cum apostolis et mulieribus perseverans'. Ex fortitudine vel magnitudine propositum virginitatis assumpsit, tenuit, tam immensae rei fidem exhibuit. BERNARDUS 'duodecim stellas in corona mulieris, ut dicitur in Apocalypsi, duodecim praerogativas in Virgine dicit: quattuor praerogativas caeli, quattuor carnis, quattuor cordis fluxerunt quasi stellae de caelo. [Praerogativae caeli fuerunt]: Mariae generatio, angelica salutatio, Spiritus Sancti superventio, Filii Dei

inenarrabilis conceptio. Praerogativae carnis fuerunt, quia virginitatis primiceria, sine corruptione fecunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Praerogativae cordis fuerunt: devotio humilitatis, mansuetudo pudoris, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis', quo 'ipsius animam gladius pertransivit'. Ad praerogativas caeli referri potest quod dicitur: Dominus tecum; ad praerogativas carnis: Benedicta tu in mulieribus; ad eas quae cordis, quod dicitur: Gratia plena.

3 – Item, cum dicit: Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum etc., ecce solis candor. Quomodo candorem lucis aeternae, speculum sine macula concipere posset nisi candida foret? Unde de ipsius candore dicit Filius in Canticis: Venter tuus eburneus distinctus sapphiris'. Ebur, os elephantis, 'est candidum et frigidum', in quo duplex munditia designatur: in candore mentis, in frigiditate corporis; quae duo fuerunt in thalamo gloriosae Virginis. Dicitur in NATURALIBUS, quod elephas est domesticior et obedientior omnibus animalibus agrestibus, et recipit bene instructionem et intelligit, et propter hoc instruitur adorare regem, et habet bonum sensum". 'Et fugit maxime odorem muris', "qui, ut quidam dicunt, de humore terrae nascitur. Nam mus, terra, unde et humus appellatur". In hoc loco elephas beatam Virginem significat, quae ceteris humilior et obedientior fuit, et regem, quem genuit, adoravit. Mus luxuriam significat, quae de humore terrae, idest gulae voluptate, nascitur, quam non tantum sed etiam ipsius odorem beata Virgo fugit, quae etiam ad ingressum angeli expavit. Sic omnes qui caste volunt vivere in Christo Iesu, non tantum murem luxuriae, sed etiam ipsius odorem debent fugere. Nec mirum si debent fugere fornicationem, cum elephas, qui est quasi mons magnus, fugit murem.

4 – Unde dicit Dominus per Isaiam: Perdam Babylonis nomen et reliquias et germen et progeniem. Vir iustus, Domini nazaraeus, debet perdere Babylonis, idest omnimodae luxuriae, nomen – unde: Recedant vetera de ore vestro'. Non loquatur, inquit, os meum opera hominum –; et reliquias, idest luxuriae imaginationes, quae solent remanere post peccatum dimissum; et germen, idest oculorum vagam lasciviam. De quo germine dicit Isaias: De radice colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem. De radice colubri, idest suggestione diaboli vel consensu mentis, egreditur regulus, idest oculus luxuriosus, quia, ut dicit AUGUSTINUS, impudicus oculus impudici cordis est nuntius"; et semen eius, idest verborum mollities, risus petulantia, absorbens volucrem, idest virum iustum. Heu! quanti volucres, tam infelici processu et excessu, sunt absorti. Et ideo progenies, idest omnis luxuriae circumstantia, debet perdi et exterminari, ut venter, idest mens, esse possit eburnea. Bene ergo dicitur: Venter eius eburneus, distinctus sapphyris. 'Sapphyrus lapis est aetherei coloris' in domo ubi fuerit daemonium non accedet. 'In sapphyro caelestis contemplatio designatur' ad mentem quam afficit daemonium non accedit. Et quia semper contemplationi non est vacandum, ideo dicit distinctum sapphyris, quasi diceret: Non per totum sunt sapphyri, quia nec vitae contemplativae semper est insistendum. Gloriosae Virginis venter fuit eburneus et distinctus sapphyris, quia virginitatis candore, quoad corpus, et contemplationis pulchritudine, quoad animam, praepollebat.

5 – Item, cum dicit: Spiritus Sanctus superveniet in te, ecce calor. Nota quod calor est cibus et nutrimentum omnium viventium, quo deficiente, provenit casus et mors. 'Mors

enim est extinctio naturalis caloris in corde, propter defectum humidi et adventum contrarii'. Unde nota quod frondium cadentium causa est ablatio ciborum, idest calorum. Cum enim frigus in hiemali tempore extrinsecus arboribus et herbis dominatur, calor, fugiens sibi contrarium, latitat in radicibus, qui, cum ibi augmentetur, a superioribus ramis et extremitatibus humorem sibi trahit funditus, ut multitudo sui caloris temperetur, ne inferiora incendantur. A superioribus ergo, cibo suo fugiente, necesse est frondes cadere. Calor est gratia Spiritus Sancti, quae, si recesserit a corde hominis, humor compunctionis deficit, et sic infelix anima in mortem peccati cadit. Superveniente enim frigore iniquitatis, Spiritus Sancti calor sibi contrarium fugit, et sic anima omnibus bonis spoliatur. Ingressus enim vitii egressum virtutis operatur. Unde in libro Sapientiae: Spiritus Sanctus disciplinae fugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intetlectu, et corripietur a superveniente iniquitate, idest simul rapietur cum omnibus bonis suis, propter supervenientem iniquitatem. Adveniente vero calore, concipit terra et germinat herbam et facit fructum. Sic superveniente Spiritu Sancto, terra benedicta concepit et parturivit fructum benedictum, auferentem omne maledictum. Bene ergo dicitur: Spiritus Sanctus superveniet in te etc. Fuit ergo beata Maria quasi sol refulgens in angeli Annuntiatione.

6 – Item, fuit quasi arcus effulgens in Dei Filii Conceptione. Arcus fit sole intrante in nubem, in qua sunt quattuor colores, scilicet fuligineus, caeruleus, aureus et igneus. Sic, sole iustitiae Dei Filio, hodierna die, intrante in nubem, idest gloriosam Virginem, ipsa Virgo facta est quasi arcus effulgens, signum foederis, pacis et reconciliationis, inter nebulas gloriae, idest inter Deum et peccatores. Unde dicitur in Genesi: Ponam arcum meum in nubibus caeli, et erit signum foederis inter me et terram. Nota quod duae erant nebulae, ira scilicet Dei et hominis culpa. Deus et homo pugnabant ad invicem. Deus gladio irae, hominem feriendo et in mortem praecipitando; homo gladio culpae, contra Deum mortaliter peccando. Postquam vero sol intravit in Virginem, facta est pax et reconciliatio, quia ipse Dei et Virginis Filius, pro culpa hominis Patri satisfaciens, ipsius iram, ne hominem feriret, refrenavit. Hae nebulae dicuntur gloriae, eo quod per gloriosam Virginem fuerunt dissipatae. Nota quod in arcus fuligineo colore, beatae Mariae paupertas, in caeruleo humilitas, in aureo caritas, in igneo, cuius flamma gladio scindi vel laedi non potest, incorrupta virginitas designatur. De hoc arcu dicit Ecclesiasticus: Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo; gyravit caelum in circuitu gloriae suae. Vide arcum, idest considera pulchritudinem, sanctitatem, dignitatem beatae Mariae, et benedic corde, ore, opere suo Filio, qui eam talem fecit. In splendore enim suae sanctitatis valde est speciosa, prae cunctis filiabus Dei; quae gyravit caelum, idest circumdedit divinitatem, in circuitu gloriae suae, idest gloriosa humanitate. Eia ergo, Domina nostra, spes unica, supplicamus tibi, ut mentes nostras splendore tuae gratiae illumines, candore tuae munditiae emundes, calore tuae visitationis calefacias, Filio tuo nos reconcilies, qua ad ipsius gloriae splendorem pervenire mereamur. Ipso praestante, qui Angelo nuntiante, hodierna die, ex te gloriosam carnem assumere et in tuo thalamo novem mensibus voluit habitare, cui honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

II – De Filio Dei rori comparato

7 – Ero quasi ros, et Israel quasi lilium germinabit; erumpet radix eius ut Libani. Ibunt

rami eius, et erit gloria eius quasi oliva, et odor eius ut Libani. In die illa stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel. 'Dies, quae dicitur a dian, idest claritate', significat tempus gratiae, in quo 'montes, idest praedicatores, stillant dulcedinem praedicationis; et colles, idest praedicatorum auditores', fluunt lac et mel dominicae Incarnationis. Et nota quod dicit: montes stillant, quidquid enim praedicant est quasi stilla ad comparationem divinae misericordiae, quae non ex operibus iustitiae, iustitia nostra, salvos nos fecit; et colles fluent, stilla enim praedicationis suscepta, auditores largiter debent fluere fidem Verbi Incarnati, idest Filii Dei, qui loquitur in Osee, circa finem, sic dicens: Ero quasi ros etc.

8 – Filius Dei comparatur rori propter tres proprietates. Ros enim matutino tempore descendit, suaviter cadit, refrigerium in ardore tribuit. Sic enim Filius Dei matutino tempore, scilicet gratiae, descendit in Virginem. Unde dicitur in Exodo: Mane ros apparuit in solitudine minutum et quasi pilo tonsum, 'intellige manna', et in similitudinem pruinae super terram, gustusque eius quasi similae cum melle. Solitudo est beata Virgo, de qua dicit Isaias: Emitte agnum, Domine, non leonem, dominatorem terrae, non vastatorem, de petra deserti, 'idest beata Virgine', ad montem filiae Sion, 'idest Ecclesiae, quae est filia Sion, idest caelestis Ierusalem'. Et nota quod beata Virgo dicitur petra deserti. Petra quia inarabilis, 'super quam coluber, 'idest diabolus', 'colens umbras', ut dicit Salomon, non potuit invenire semitam'. Dicitur etiam deserti, quia inculta et semine virili non seminata, sed opere Sancti Spiritus impregnata. Dicatur ergo: Apparuit ros, idest Filius Dei, in solitudine, idest in beata Virgine. Iste fuit manna minutum in Conceptione et Nativitate; et, quasi pilo tonsum, in Passione, flagellatus virgis, caesus alapis, illitus sputis; et in similitudine pruinae super terram in apostolorum praedicatione – In omnem, inquit, terram exivit sonus eorum etc. –; eritque nobis gustus eius dulcis quasi similae cum melle, idest humanitatis cum divinitate, in caelestis patriae beatitudine. Dicat ergo Filius Dei: Ero quasi ros, matutino tempore gratiae, descendens in Virginem. Ero etiam quasi ros suaviter descendens, sicut dicit Propheta: Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Nota quod aliter descendit pluvia, et aliter grando. Pluvia suaviter descendit ad fecunditatem, grando vero cum impetu ad sterilitatem. In primo adventu fuit Christus quasi pluvia descendens in vellus Virginis; in secundo, erit quasi grando, percutiens impios sententia mortis. Unde dicit David: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt etc. Ignis erit comburens nec consumens, de quo dicitur: 'Ite maledicti in ignem aeternum'; grando, percutiens, de qua Ieremias: 'Procella irruens super caput impiorum'; nix, absorbens, de qua Iob: 'Qui timet pruinam, idest poenam poenitentiae, cadet super eum nix' mortis aeternae; glacies, constringens; spiritus procellarum, numquam deficiens. Haec erunt pars calicis, "idest poenae", eorum, qui bibunt de calice aureo Babylonis, idest mundi, qui est in manu meretricis, idest concupiscentiae carnis. Sed Filius Dei in primo adventu sicut pluvia descendit in vellus. Sicut dicitur in libro Iudicum, quod 'ros descendit in vellus Gedeonis'. Ibi dicit beatus BERNARDUS: 'Filius Dei se totum velleri, idest Virgini, infudit, postmodum siccam aream, idest mundum, rigaturum'.

9 – Venit ergo Filius, ut vestem sibi faceret laneam ex ove, idest Virgine, quae dicitur ovis propter innocentiam. Haec est nostra Rachel, "quae interpretatur ovis", 'quam invenit verus Iacob iuxta puteum' humilitatis, sicut dicitur in libro Genesi. Vel 'ovis fuit

Adam', de qua dicitur: Erravi sicut ovis quae periit'. Dicitur in NATURALIBUS, quod 'si ex lana ovis a lupo dilaceratae fiat vestis, illa vestis scaturit vermes'. Sic lana carnis nostrae ab ove, scilicet primo parente, a diabolo lupo dilacerata, quam contraximus, vermibus primorum motuum scaturit et putrescit. Sed, ut nos Christus mundaret ab inquinamento carnis et spiritus, incorruptam accepit lanam, qualem habuit ovis ante lupi dilacerationem. Unde de ipso dicit Isaias: Butyrum et mel comedet. 'Nota quod ovis duo facit: butyrum et caseum. Butyrum est dulce et pingue, caseus aridus et siccus. Butyrum naturae innocentiam, qualis fuit ante peccatum, significat; caseus poenalitatem et ariditatem, quam habuit post peccatum'. Maledicta, inquit, terra, 'idest caro', in opere tuo, idest propter opus tuum, "idest propter peccatum"; spinas et tribulos, idest maiores et minores punctiones, germinabit tibi. 'Christus vero non comedit caseum sed butyrum, quia naturam nostram qualem habuit Adam ante peccatum accepit', non qualem habuit post peccatum: accepit enim non tantum saccum, sed meritum sacci; non peccatum, sed poenam peccati. 'Fuit etiam apis insidens flori, idest beatae Virgini in Nazareth, quae interpretatur flos'. De hac ape dicit Ecclesiasticus: Brevis in volatilibus apis et habet initium dulcoris. 'In primo enim adventu habuit mel misericordiae, in secundo perforabit aculeo iustitiae': Misericordiam, inquit Propheta, et iudicium cantabo tibi, Domine. Ecce habes aperte quomodo descendit suaviter sicut pluvia in vellus.

10 – De hac suavitate dicitur in tertio libro Regum: Ecce spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras, sed non in spiritu Dominus. Et post spiritum, commotio; et ibi non fuit Dominus. Et post commotionem, ignis; nec ibi Dominus. Et post ignem, sibilus aurae tenuis; ibi Dominus'. In hodierno evangelio habes ista quattuor. Spiritus grandis fuit angelica salutatio, grandia promittens et a Gabriele, "qui interpretatur fortitudo", mulieri fortissimae prolata. Haec salutatio subvertit montes superbiae et contrivit petras, idest duritiem mentis humanae. Quattuor quae in hac salutatione reperiuntur, quattuor lapidis sapphyri proprietatibus comparantur. Sapphyrus stellam videtur ostendere, cui proprietati convenit: Ave, gratia plena; aerei est coloris, et huic convenit: Dominus tecum; sanguinem restringit, et in hoc concordat: Benedicta tu in mulieribus, quae primae maledictionis sanguinem restrinxisti. Item, sapphyrus anthracem necat, et huic proprietati competit: Benedictus fructus ventris tui, qui diabolum interfecit. Bene ergo dicitur: Ecce spiritus grandis etc., et ibi non fuit Dominus, idest Verbi Incarnatio. Et post spiritum salutationis, commotio: Turbata est, inquit, in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio; et ibi non fuit Dominus, idest Verbi Incarnatio. Et post commotionem, ignis, idest 'Spiritus Sancti superventio et virtutis Altissimi obumbratio'; nec ibi fuit Dominus. Et post ignem, sibilus aurae tenuis, scilicet: Ecce ancilla Domini; ibi fuit Dominus, idest Filii Dei Incarnatio. Cum enim dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum, statim Verbum caro factum est et habitavit in nobis.

11 – Item, ros refrigerium parat. Sic Filius Dei, humano generi, sub ardore daemoniacae persecutionis posito, infundit aquam frigidam, de qua dicit Salomon: Aqua frigida animae sitienti; nuntius bonus de terra longinqua. Nuntius bonus bona nuntians fuit Iesus Christus, qui aquam frigidam suae Incarnationis animae Adae et eius posteritati, in ardore gehennae sitienti, largiter infudit, cum eas 'de lacu, in quo non erat aqua refrigerii, ut dicit Zacharias, eduxit in sanguine testamenti sui'. Dicit ergo Filius in Osee: Ero quasi ros, matutino tempore suaviter descendens et refrigerium praestans. Sequitur: Israel quasi

lilium germinabit. Israel, “qui interpretatur videns Deum”, est beata Maria, quae vidit Deum, utpote quem nutriebat in sinu, uberibus lactabat, in Aegyptum ferebat. Haec in descensu roris germinavit quasi lilium, ‘cuius radix medicinalis est’, ‘stipes solidus et erectus, cuius flos candidus, labium habens repansum’. Radix Virginis fuit humilitas, tumorem superbiae reprimens, cuius stipes fuit solidus per temporalium abdicationem, erectus per supernorum contemplationem, flos candidus per virginitatis albedinem. Haec fuit lilium repansum, radicem respiciens, cum dixit: Ecce ancilla Domini etc. Istud lilium germinavit, cum, illaeso flore virginitatis, parturivit Filium Dei Patris. ‘Sicut lilium non perdit florem, eo quod respirat odorem, sic beata Virgo virginitatis non perdidit florem, eo quod peperit Salvatorem’. Sequitur: Erumpet radix eius ut Libani. Ibunt rami eius. Radix lilii est intentio cordis, quae si fuerit simplex – ut dicit Dominus: Si oculus tuus, “idest intentio” cordis tui, fuerit simplex –, idest sine plica fraudis, ibunt rami eius, quia crescunt in altum opera eius, et sic totum corpus tuum, “idest opus sequens”, lucidum erit. Fuit siquidem radix, intentio beatae Virginis, purissima et odorifera, ex qua rami operationum, directi et in altum crescentes, processerunt. Et nota quod radix intentionis dicitur esse Libani, quia ex puritate intentionis procedit thus, odor bonae opinionis. Sequitur: Et erit gloria eius quasi oliva, ‘quae pacem et misericordiam significat’. Beata enim Virgo Maria, mediatrix nostra, inter Deum et peccatorem pacem reformavit. Unde de ea dicitur in Genesi: Ponam arcum meum in nubibus caeli etc. ‘Arcus est bicolor, aquaeus scilicet et igneus. In aqua, quae omnia nutrit, fecunditas; in igne, cuius flamma gladio laedi non potest, beatae Mariae inviolabilis virginitas designatur. Hoc est signum foederis et pacis inter Deum et peccatorem. Est etiam oliva misericordiae. Unde dicit beatus BERNARDUS: “Securum habes, homo, accessum ad Deum, ubi habes matrem ante filium, et filium ante patrem. Mater ostendit filio pectus et ubera, filius ostendit patri latus et vulnera. Nulla ergo ibi erit repulsa, ubi tot occurrunt insignia caritatis”. Sequitur: Et odor eius ut Libani. “Libanus interpretatur candidatio”, et significat innocentis vitae beatae Mariae candorem, cuius odor circumquaque diffusus, mortuis vitam, desperatis veniam, poenitentibus gratiam, iustis gloriam respirat. Ipsius ergo precibus et meritis, ros Spiritus Sancti mentis nostrae ardorem refrigeret, peccata dimittat, gratiam infundat, ut ad aeternae et immortalis vitae gloriam pervenire mereamur. Ipso praestante.

III – De Nativitate Domini

12 – Quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae. Dicit Ecclesiasticus: Quasi rosae plantatae super rivos aquarum fructificate; quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium date odorem, et frondete in gratiam. In hac auctoritate tria notantur, scilicet lacrimarum abundantia, orationis instantia et vitae munditia. Rosae sunt fidelium animae, sanguine Iesu Christi rubricatae, quae debent plantari super rivos aquarum, idest fluenta lacrimarum, ut valeant fructificare dignum fructum poenitentiae. Debent etiam, quasi Libanus, habere thus devotae orationis, in odorem suavitatis. Et quasi lilium, vitae munditie candidae, debent dare odorem bonae famae et frondere in gratiarum actione. Haec si animae fidelium habuerint, digne se praesentare poterunt hodiernae festivitati, Nativitati scilicet Domini, partui beatae Virginis, de qua dicitur: Quasi flos rosarum in diebus vernis etc.

13 – ‘Gloriosae Virginis partus rosae et lilio comparatur, quia sicut ista suavissimum

spirando odorem, eorum flos non corrumpitur, sic beata Maria, Dei Filium parturiendo, Virgo permansit'. Unde, quando eum Virgo parturiebat, Pater dicere poterat quod dixit Isaac Iacob, in Genesi: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Nativitas Iesu Christi fuit quasi odor agri floribus pleni, quia illaesum maternae virginitatis florem custodivit, cum ab ipsa processit. Ager etiam rosis et liliis plenus fuit beata Virgo, cui benedixit Dominus. Unde: Benedicta tu in mulieribus. Nota quod, beata Maria turbata est, cum audivit se benedici in mulieribus, quae in virginibus benedici semper optaverat; et ideo cogitabat quatis esset ista salutatio, quae ab initio videbatur esse suspecta. Et, ut in promissione Filii manifestum apparuit, virginitatis periculum ultra dissimulare non potuit, quin diceret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, 'idest non cognoscere proposui'. Vel forsitan ob hoc turbata esse dicitur, quod talem se audiebat praedicari qualis sibi minime videbatur. "Rara siquidem virtus: manifestam tuam te solum latere sanctitatem". Contra quod dicit beatus BERNARDUS: "Tu te depretiaris in occulto, veritatis trutina ponderatus, et foris alterius te pretii mentiens, maiori pondere vendis nobis, quam ipse accepisti". De huius ergo Virginis partu virgineo dicamus: Quasi flos rosarum in diebus vernis. "Ver dictum, quod viret. Tunc enim tellus herbis vestitur", diversis floribus picturatur, temperies aeris redditur, aves citharizant et omnia ridere videntur. Gratias tibi referimus, Pater sancte, quia media hieme, mediis frigoribus, vernum tempus nobis fecisti. In hac enim Nativitate Filii tui, Iesu benedicti, quae media hieme et mediis frigoribus celebratur, vernum tempus, omni amoenitate plenum, nobis fecisti. Hodie Virgo, terra benedicta, cui benedixit Dominus, herbam virentem, pabulum poenitentium, parturivit, idest Dei Filium. Hodie picturatur floribus rosarum et liliis convallium. Hodie citharizant angeli: Gloria in excelsis Deo. Hodie pacis tranquillitas in terris reformatur. Quid plura? Omnia rident, omnia gaudent. Unde hodie dixit pastoribus Angelus: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio.

14 – Attendite, carissimi, quod pecorum pastoribus apparet Angelus, quia, ut dicit Salomon, cum simplicibus sermocinatio eius. Qui simplicium et innocentium cogitationum gregem custodiunt, ab Angelo audiunt: Hoc vobis signum, quo vos consignetis; invenietis infantem, 'ecce humilitas'; positum in praesepio, non ad ubera matris, ecce abstinentia; pannis involutum, ecce paupertas. 'Hoc signo Deus Pater signavit Filium' et misit in mundum. Hoc signo vos consignate: Invenietis, inquit, infantem, idest non fantem. Vere non fans fuit, quia 'coram se, non dico tondente, sed tondente et occidente, obmutuit et non aperuit os suum'. Invenietis ergo infantem. Vere infans, qui modo silet, peccata hominum dissimulans; et, quia se non vindicat, peccatores credunt quod non videat. Unde conqueritur Dominus in Isaia: Mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns, et mei oblita es. Ego annuntiabo iustitiam tuam, et 'reddam tibi iuste secundum opera tua'. De quibus subdit: Et opera tua non proderunt tibi. Invenietis ergo infantem. Heu! heu! non infantem sed latrantem et detrahentem, murmurantem et adulantem, ubicumque me verto, invenio; et tu dicis: Invenietis infantem? Fantem invenio, qui 'os suum ponit in caelum, et lingua eius transit in terram', idest, nec iusto nec peccatori parcit in detrahendo. Fantem invenio, 'qui dicit bonum malum et malum bonum, ponens tenebras lucem et lucem tenebras amarum in dulce et dulce in amarum'. Sequitur: Positum in praesepio. Omnes fere,

tamquam pulli asinarum, a posterioribus sugunt ubera, gulae scilicet et luxuriae. Dominus reclinatus fuit in praesepio, et isti ad ubera 'fornicariae et meretricis magnae, quae de vino prostitutionis suae inebriavit habitantes super terram', suspenduntur, in animae suae dispendio, in gehenna suspendendi suspendio. Invenietis inquit, pannis involutum. Pannis, non pellibus, quibus fuerunt induti primi parentes, de paradiso eiecti. Qui pellibus vestiuntur, in domibus daemonum. 'Pelles a pellendo', idest detrahendo dictae; inde dicitur 'pellex. Pellex, idest meretrix, a pelliciendo, eo quod pelle, idest pulchritudine sua', viros decipiat. Pellicere, idest blandiendo elicere. Lecatores et meretrices pellibus vestiuntur, quia in exteriori pelle gloriantur. Quid dicam de nostri temporis effeminatis praelatis, qui tamquam feminae, nuptui tradendae, poliuntur, pellibus variis vestiuntur, quorum excessus in sellis depictis, equorum phaleris et calcaribus, quae Christi rubent sanguine? Ecce quibus hodie committitur sponsa Christi, qui pannis fuit involutus, praesepio reclinatus, et isti in lectis eburneis lasciviunt, pellibus se induunt. Elias et Ioannes habebant zonam pelliceam circa lumbos. O pelles, 'dierum malorum inveteratae', si vultis habere pellem, habeatis 'zonam, non tunicam pelliceam; et hoc circa lumbos', ut vestri corporis pellem mortificetis. 'Pellem pro pelle, inquit Iob, dabit homo'. Mortificate pellem corporis morituri, ut ipsam glorificatam recipiatis in resurrectione generali. O Ecclesiae pastores, hoc vobis signum: Invenietis infantem etc. Istius infantis humilitatis et abstinentiae signo, ipsius aureae paupertatis sigillo, vos consignate, qui de ipsius vivitis patrimonio.

15 – Dicamus ergo: Quasi flos rosarum in diebus vernis. Nota quod, sicut in vere, idest martio, Deus fecit mundum, sic in sui Filii Nativitate fecit quendam mundum novum, omnia innovantem. Prima die dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et hodie 'Verbum Patris, per quod omnia sunt facta, caro factum est'. Ista lux, quae dixit: Fiat lux, hodie facta est. Unde de ea hodie cantatur in MISSA DE LUCE: "Lux fulgebit etc." Nota quod, 'in hac die tres cantantur missae: MISSA DE NOCTE, in qua cantatur: Dominus dixit ad me, occultam divinitatis generationem, quam nemo potest enarrare, repraesentat; MISSA DE LUCE, hodiernam de Matre generationem; MISSA DE TERTIA Matris et Patris simul generationem repraesentat'. Unde in ipsius introitu cantatur: "Puer natus est nobis", quod spectat ad generationem de Matre; et legitur evangelium: In principio erat Verbum, quod spectat ad generationem de Patre. Ideo prima missa cantatur in nocte, quia illa de Patre generatio, nobis ipsam credentibus, est occulta. Secunda missa summo mane tempestive ideo celebratur, quia generatio de Matre nobis fuit visibilis et tamen quasi quodam nubilo respersa. 'Quis enim potest solvere corrigiam calceamenti eius, idest investigare sacramentum Incarnationis eius?' Tertia missa ideo cantatur clara die, quia in die aeternitatis, cum praeteribit omnis obscuritas, clare cognoscemus qualiter de Patre, qualiter de Matre Iesus Christus sit genitus. Tunc enim scientem omnia sciemus, quia 'oculo ad oculum videbimus et sicut ipse est erimus'. Bene ergo dicitur: Quasi ros in diebus vernis.

16 – Sequitur: Quasi lilia, quae sunt in transitu aquae. Nota quod "lilium de inculta terra nascitur, in convallibus oritur, odoriferum est, candidum, clausum continet odorem, apertum effundit; sex habet folia, virgulas aureas et stipitem habet in medio; membris medetur adustis". 'Lilium dictum, quasi lacteum', beatam Virginem significat, virginitatis splendore candidam, quae de castis et humilibus parentibus, Ioachim, "qui interpretatur

consurgens", et Anna, "quae interpretatur gratia", est orta. Haec hodie Dei Filium parturivit sicut lilium odorem effundit. Sex habet folia, de quibus quaere in secunda clausula evangelii: Cum turbae irruerent ad Iesum, ubi loquitur de sex gradibus throni Salomonis. Virgulae aureae in lilio sunt paupertas et humilitas in Maria, quibus ipsius virginitas fuit decorata. Stipes in medio lilii fuit excellentia divini amoris in corde beatae Virginis. Haec est medicina peccatorum, qui in igne vitiorum sunt adusti. De quibus dicit Ioel: Omnes vultus eorum redigentur in ollam. Olla est vas ad coquendum, "dicta, quod debulliat in ea aqua, igne subiecto, et vapor emittatur. Unde et bulla dicitur, quae in aqua venti spiritu intus sustentatur". Olla est mens peccatoris, in qua est aqua concupiscentiae, emittens bullas cogitationis perversae, supposito igne suggestionis diabolicae. Ex hac olla procedit fumus pravi consensus, quo excaecatur animae oculus, et sic nigredinem contrahit mens peccatoris. "Vultus dictus, quod per eum animi voluntas ostenditur", et significat opera, quibus homo cognoscitur. Vultus ergo peccatorum in ollam rediguntur, cum ex nigredine mentis opera coinquinantur. Hanc nigredinem et adustionem beata Maria, suae sanctitatis medicinali candore, aufert, et in se sperantibus omnimodam confert sanitatem. Dicamus ergo: Quasi lilia in transitu aquae, quasi diceret: Sicut lilia in viriditate, pulchritudine et odore perdurant iuxta transitum aquae, sic beata Maria, cum Filium parturivit, in viriditate et pulchritudine virginitatis permansit. Rogamus ergo te, Domina nostra, Dei Mater alma, ut in hac Nativitate Filii tui, quem virgo peperisti, pannis involvisti, praesepio reclinasti, indulgentiam nobis ab ipso impetres, adustionem animae nostrae, quam ex igne peccati contraximus, tuae misericordiae emplastro sanes, qua ad aeternae festivitatis gaudium pervenire mereamur. Ipso praestante, qui ex te, gloriosa Virgine, hodie nasci dignatus est, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

IN PURIFICATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

Themata sermonis

Quasi thus redolens in diebus aestatis. Item in eodem sermo in laudem eiusdem Virginis, ibi: Benedicta tu inter mulieres. In eodem de constructione tabernaculi et de fiscella Moysi et eorum significatione. Item sermo in eodem ad laudem eiusdem Virginis, ibi: Aquam petenti lac dedit, et de natura columbae et turturis, et de tribus quae sunt in candela et de quattuor versiculis Nunc dimittis, et quid haec omnia significent.

Exordium

1 – Quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens et thus ardens in igne. Dicit Christus in Ecclesiastico: Ego quasi fluvius Dorix, et sicut aquaeductus exivi a paradiso. Dorix interpretatur medicamentum generationis, et significat Iesum Christum, qui est medicina humanae generationis in Adam corruptae. A paradiso, idest ventre virginali, Iesus Christus, quasi fluvius Dorix et sicut aquaeductus exivit, quia, ex eo quod carnem de Virgine accepit, factus est nobis quasi fluvius quoad fidem per aquam baptismatis; Dorix quoad Passionem, in qua sanguinem effudit, quo vulnera nostra sanavit; aquaeductus quoad gratiarum infusionem. Per ipsum enim, quasi per aquaeductum, nobis Pater gratiam infundit. Unde in fine orationis dicimus: Per Dominum

nostrum etc. Dicitur in Genesi: Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem ut operaretur et custodiret illum. Sed male operatus est et male custodivit. Necesse ergo fuit ut aliam paradisum, longe meliorem, beatam scilicet Mariam, Dominus Deus plantaret, in quam illius exsules reverterentur. In hac paradiso positus fuit secundus Adam, qui operatus est et custodivit illam. Operatus est magna, sicut ipsa dicit: Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius. Quod nos sanctum dicimus, Graeci dicunt agion, quod sonat sine terra, quia nomini eius consecrati non in terra conversationem sed in caelis debent habere. Custodivit vero, dum integram conservavit; operatus est, dum foecundavit; custodivit, dum florem non abstulit. Primo terra maledicta in opere Adae germinavit spinas et tribulos post laborem. Terra nostra, idest beata Virgo, absque labore hominis, fructum benedictum protulit, quem hodie Deo Patri in templo obtulit, unde dicitur: Quasi thus redolens in diebus aestatis etc.

2 – 'Thus a tondendo est dictum', unde a quibusdam sine aspiratione scribitur; quidam vero dicunt a theïs, idest Deo, cui adoletur, unde cum aspiratione scribitur. Beata Virgo dicit in Ecclesiastico: Quasi Libanus non incisus evaporavi habitationem meam. 'Libanus est arbor Arabiae, immensa, sucum aromaticum fundens, dicta a monte Arabiae. Nam mons ubi thura colliguntur Libanus dicitur'. "Quae bis in anno colligitur, autumno scilicet et vere". Libanus non incisus est beata Maria, quae nullius concupiscentiae ferro umquam fuit incisa. Haec mentem, in qua habitat, per amorem evaporat, idest odore virtutum replet. Ex cuius evaporatione illa habitatio humilitatis et castitatis respirat odorem. Beata Maria, quae propter vitae candorem dicitur Libanus, "qui candidatio interpretatur", emisit ex se thus odoriferum, idest humanitatem Iesu Christi, ex cuius odore repletus est totus mundus. In duplici collectione thuris duplex Christi oblatio designatur. Primo obtulit eum Mater, secundum legem Moysi, in templo; secundo obtulit seipsum in sacrificium Deo Patri, in reconciliatione humani generis. In prima oblatione fuit thus, a theïs dictum, Deo oblatus; in secunda fuit thus, a tondendo dictum, quia pro peccatis nostris tonsus; et tunc fuit thus redolens in diebus aestatis, idest fervore iudaicae persecutionis. De prima oblatione, quam in praesentiarum habemus, ad laudem gloriosae Virginis aliqua disseramus.

I – De prima Christi oblatione

3 – Legitur in libro Iudicum, ubi dicit Debora: Benedicta inter mulieres Iahel, uxor Haber Cinaei; benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum. Sinistram manum misit ad clavum tabernaculi, et dexteram ad fabrorum malleum; percussitque Sisaram, quaerens in capite vulneris locum, et tempus valide perforans. Qui, soporem morti socians, defecit et mortuus est. "Iahel interpretatur cerva", et significat beatam Mariam. Quaere hoc in sermone: Extollens vocem quaedam mulier. Haec dixit uxor Haber Cinaei. Haber particeps, "Cinaeus possessio interpretatur", et significat Iesum Christum, qui, nostrae naturae particeps, dicit in Parabolis Salomonis: Dominus possedit me in initio viarum suarum. "Viae Domini sunt opera eius, in quarum initio sapientiam possedit, quia in principio creaturae nascentis Filium, qui cum eo cuncta disponeret, habuit. Alia translatio habet sic: Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua. Quod de Incarnatione Domini legitur. Creavit me Deus secundum carnem. Caro Deum agnoscit; gloria Patrem significat; creatura Dominum confitetur;

caritas Patrem novit, principium, vel in principio viarum suarum, ut ipse ait: Ego sum via, quae ducit Ecclesiam ad vitam. In opera sua, scilicet redimenda, de Virgine est creatus. Caro enim eius propter opera; divinitas ante opera". Beata ergo Maria uxor eius appellatur, eo quod in thalamo eius requievit et ex ea carnem accepit. Benedicatur ergo in tabernaculo suo. Beatam, inquit, me dicent omnes generationes. In tabernaculo suo benedicitur, quia in ipso requievit, qui ipsam creavit. Ad cuius laudem, quae omni laudi superenatat, 'in cuius laude omnis materia deficit, omnis lingua balbutit, quia materia se offert', et devotio quantulacumque de ipsa aliquid enarrare cupit, ideo de tabernaculo aliqua, quasi manu palpando, proponamus.

II – De beata Maria Christi tabernaculo

4 – Benedicatur Iahel in tabernaculo suo. Locutus est Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: Tabernaculum ita facies: decem cortinas de bysso retorta et hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto, variatas opere plumario, facies. Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. Facies et operimentum aliud de pellibus arietum rubricatis, et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus. Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis setim. Nota quod, super hunc locum dicitur in HISTORIIS SCHOLASTICIS: Tabernaculum erat domus Deo dicata, quadrata et oblonga, tribus clausa parietibus: aquilonari, meridiano, occidentali. Liber patebat introitus ab oriente, ut sole oriente radiis eius illustraretur. Longitudo erat triginta cubitorum, latitudo decem, altitudo decem. In latere meridiano erant tabulae de lignis setim stantes viginti, quarum unaquaeque in longitudine habebat cubitos decem, in spissitudine digitos quattuor, in latitudine cubitum et semissem. Iungebantur autem sibi mutuo incastratae, ne rimula esset ibi, aut planities parietis inaequalis; et erant inauratae ex utraque parte, superpositae vero singulae duabus basibus argenteis perforatis, in quarum foraminibus cardines aurei immittebantur. Eodem schemate factus erat paries aquilonaris. Ad occidentem vero erant septem tabulae, per omnia similes aliis et eodem modo stantes in basibus". Tabulis sic ordinate stantibus, ex quattuor supradictis operimentis, fuit tectum, scilicet cortinis, sagis cilicinis, pellibus rubricatis et hyacinthinis. Tabernaculum significat beatam Mariam, in qua Christus se armavit lorica iustitiae et galea salutis, ut contra aereas potestates debellaret. De his armis quaere in evangelio: Cum fortis armatus etc. Haec est domus Deo dicata, sancti Spiritus consecratione inuncta, quattuor virtutibus principalibus quadrata, finali perseverantia oblonga, tribus parietibus virtutum contra aquilonem, meridiem; et occidentem clausa. In aquilone, tentatio diaboli; in meridie, fallacia mundi; in occidente occasus peccati designatur. Contra aquilonem fuit clausa, unde in Genesi: Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Beata Maria contrivit caput, "idest principium diabolicae suggestionis", dum emisit votum virginitatis. 'Sed eius calcaneo insidias posuit, cum eius Filium in fine capi et crucifigi a iudaeis fecit'. Item, contra meridiem fuit clausa. Unde in Luca: Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia etc. Intus erat, clausa erat, ad quam Angelus est ingressus. Quia intus fuit, ideo benedici meruit. Non enim qui foris sunt digni habentur salutatione angelica, nec ut eis dicatur: Ave, sed potius, ut dicit Amos: Cunctis qui foris sunt, dicetur: Vae, vae. Non enim accepta est Deo salutatio, quae foris est. Unde in Matthaeo arguit eos Dominus, qui salutari in foro quaerunt. Qui enim foris est, in foro vel publico, non meretur a Deo vel angelo, qui secretum diligunt, salutari. Unde in

Matthaeo, mittens apostolos, Neminem, inquit, per viam salutaveritis, “sed”: In quamcumque domum intraveritis dicite: Pax huic domui, ubi non in via positos, nec operantes in agro foris, sed in domo praecepit salutari. Qui ergo foris sunt, a salutatione divina fraudantur.

5 – Item, contra occidentem fuit clausa. Unde in Exodo dicitur, quod ‘Moyses tribus mensibus fuit absconditus. Cumque iam celari non posset, sumpsit mater eius fiscellam scirpeam et linivit eam bitumine ac pice; posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripae fluminis’. Quid Moyses et tres menses, quid fiscella scirpea, quid bitumen et pix, quid flumen significent videamus. “Moyses est Iesus Christus”, qui fuit absconditus tribus mensibus, idest tribus temporibus, idest ante mundi constitutionem, a mundi constitutione usque ad Moysen, a Moyse usque ad beatae Mariae Annuntiationem, quae fuit quasi fiscella scirpea, bitumine et pice undique clausa. ‘Fiscella est vas vimineum, gracile’. Nota quod in his tribus, ex quibus constructa fuit fiscella, tres beatae Mariae virtutes principaliores significantur. In vimine humilitas, in bitumine virginitas, in pice paupertas designatur. Nota: “Vimen dictum, quod vim multam habeat viroris; naturae enim talis est, ut si etiam arefactum abluatur, virescat; deinde excisum atque in humo fixum radicibus seipsum demergit”. Haec est humilitas, quae tanti est viroris, ut si etiam contemptui habetur et quasi arida abiciatur, humo tamen infixa, quam semper humilis prospicit, radices humilitatis altius immittit. In beata ergo Virgine, quasi in fiscella, repositus fuit Iesus Christus, et labenti flumini, idest huic mundo, expositus, ‘quem regis filia, idest sancta Ecclesia, adoptavit in filium’. Carectum est locus herba carice plenus, vel arundinetum, vel locus plenus spinis. His tribus beata Virgo fuit clausa, ne suggestio diaboli, fallacia mundi, delectatio peccati eam posset violare. De hac triplici clausura dicitur in Canticis: Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus. Beata Maria dicitur soror Christi propter carnis contubernium. Haec fuit hortus conclusus, muro humilitatis, contra aquilonem; hortus conclusus, muro paupertatis, contra meridiem; fons signatus, sigillo virginitatis, contra occidentem. Istae sunt tabulae intus et foris deauratae, et inseparabiliter coniunctae, et aequaliter dispositae, et basibus argenteis, idest puritati intentionis, confessioni divinae laudis, superpositae.

6 – Item, de hac triplici clausura et oriente, a quo illustratur tabernaculum, habes concordantiam in Ezechiele: Converti, inquit, me ad viam portae sanctuarii exterioris quae respiciebat ad orientem, et erat clausa; et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. “Porta dicta, quia potest inde portari vel exportari aliquid”, ‘et significat beatam Mariam’, per quam gratiarum munera exportamus. Haec porta fuit sanctuarii exterioris, non interioris. Sanctuarium interius divinitas, exterius est humanitas. ‘Pater dedit maiestatem, mater infirmitatem’. Via huius portae fuit humilitas, ad quam quilibet debet cum Propheta se convertere. Humilitas Virginis ad orientem respexit, ut eius illustraretur radiis. Haec porta ter clausa dicitur, eo quod beata Maria contra aquilonem, meridiem et occidentem, ut dictum est, clausa fuit; et orienti, scilicet Iesu Christo, qui de caelo venit, humiliter patuit. Unde subditur: Vir non transibit per eam, idest, Ioseph non cognoscet eam; eritque clausa principi, per quem diabolus, huius mundi princeps, intelligitur, cuius suggestionibus clausa fuit, quia nulli tentationi mens eius

patuit, sicut et caro virilem contactum nescivit. Princeps solus, ‘idest Christus Iesus’, in ea sedit, per assumptae carnis humilitatem, ut comederet panem coram Domino, idest ‘faceret voluntatem Patris, qui misit eum’. Tabulis virtutum ita dispositis, superponitur tectum ex cortinis, sagis cilicinis, pellibus rubricatis et hyacinthinis. ‘In sola Virgine omnium resultat vita sanctorum; capax est omnium virtutum’. Nota quod Ecclesia Christi dividitur in militantem et triumphantem. Ecclesia militans habet cortinas et saga cilicina; Ecclesia triumphans, pelles rubricatas et hyacinthinas. ‘In cortinis plumario, idest polymito, idest acu subtiliter et varie composito, distinctis, omnes Ecclesiae militantis iusti designantur. In bysso retorta, boni religiosi, qui castitatis munditiae et corporis abstinentiae sunt intenti. In hyacintho, qui, omnibus terrenis postpositis, solius contemplationis dulcedine sunt suspensi. In purpura, qui dominicae Passionis memoria se crucifigunt, et quasi coram crucifixo astantes et oculis mentis quasi in patibulo pendentem, aqua et sanguine de latere profluentem et inclinato capite spiritum emittentem contemplantes, irremediabilibus lacrimis se profundunt. In cocco bis tincto qui Dei et proximi amore inardescunt designantur’. ‘In sagis cilicinis poenitentes, qui in cinere et cilicio pro commissis satisfaciunt’. De his sagis quaere in evangelio de Pascha, circa finem. Item, ‘in pellibus rubricatis omnes designantur martyres’, qui ‘stolas suas laverunt in sanguine Agni’, qui, de mundo triumphantes, ad triumphantem Ecclesiam laureati pervenerunt. ‘In hyacinthinis, omnium confessorum, quorum conversatio fuit in caelestibus’, et ideo de spe ad speciem transierunt. Beata Maria, dum in hac Ecclesia militante fuit, omnium iustorum virtutes possedit. Unde dicit in Ecclesiastico: In me gratia omnis viae et veritatis; in me omnis spes vitae et virtutis. Habuit etiam nimiam compassionem circa poenitentes. Unde et dixit: Vinum non habent. Quasi diceret: Infunde, o Fili, poenitentibus gratiam tui amoris, quia non habent vinum compunctionis. Modo vero regnat in gloria, in qua omnium sanctorum habet praemia, quia super choros angelorum exaltata. Ecce tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis, sed Sancti Spiritus gratia constructum et dedicatum. Dicamus ergo: Benedicatur Iahel in tabernaculo suo. Amen.

III – De multiplici oblatione Virginis

7 – Sequitur: Aquam petenti lac dedit, in phiala principum obtulit butyrum. “Sisara interpretatur exclusio gaudii” et significat diabolum, qui a gaudio vitae aeternae exclusus, ab ipso excludere nititur fideles. Huic, aquam concupiscentiae petenti, nostra Iahel dedit lac. ‘Divini enim fuit consilii, sacramentum dominicae Incarnationis diabolo occultari’. Qui, dum videret beatam Mariam homini desponsatam, gravidam, filium parturientem et ipsum lactantem, credidit esse corruptam; et sic aquam concupiscentiae quasi pretium petivit, dum corruptam credidit. Sed dum Virgo Filium lactavit, eum fefellit, et sic clavo tabernaculi et malleo interfecit. In clavo tabernaculi, quod clavo clauditur, beatae Mariae virginitas; ‘in malleo, qui habet figuram thau, crux Christi designatur’. Iahel ergo, idest beata Maria, clavo tabernaculi, idest virginitate sui corporis, ‘et malleo, idest Passione sui Filii, diabolum interfecit’. Unde dicitur in libro Iudith: Una mulier hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis: ecce enim Holophernes iacet in terra, et caput ipsius non est in illo. Adonai, Domine, Deus magne et admirabilis, tibi laus, tibi gloria, quod dedisti nobis salutem in manu Filiae et Matris tuae, gloriosae Virginis Mariae. Sed, notandum quod in medio auctoritatis praemittitur: Et in phiala principum

obtulit butyrum. Occasione istius verbi omnia praemissa posuimus. Videamus ergo quid phiala, quid principes et quid butyrum significent. In phiala, paupertatis humilitas; in principibus, apostoli; in butyro designatur humanitas Iesu Christi. In humilitate ergo suae paupertatis, quam habituri erant principes in fide divites, in hoc mundo pauperes, obtulit hodierna die in templo butyrum, idest quem genuerat Filium, de quo Isaias: Butyrum et mel comedet. 'In melle divinitas, in butyro humanitas. Butyrum et mel comedit, dum divinam humanae naturae univit', et per hoc scivit, idest scire nos fecit, reprobare malum et eligere bonum. Obtulit in sua paupertate Filium et cum ipso hostiam pauperum, scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum. "Sicut scriptum est in lege Domini, scilicet Levitico, ubi dicitur: Mulier, quae, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Ad distinctionem illius quae virgo peperit. Non ergo Filius nec Mater hostiis indigebat purgari, sed ut solveremur a timore legis", idest ab observatione legis, quae timore observabatur. Ubi et subditur: 'Cum expleti fuerint dies, scilicet quadraginta, purificationis eius, offeret agnum ad ostium tabernaculi. Quod si non invenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, offeret duas turtures, vel duos pullos columbarum'. "Haec oblatio pauperum erat, qui offerre agnum non poterant, ut per omnia humilitas et paupertas Domini pateat". Qui vere sunt pauperes, hanc oblationem Domino offerunt.

8 – Nota quod 'si turtur parem amiserit, semper carebit, solivagus incedit'; aquam claram non bibit; in ramum virentem non ascendit. 'Item, columba simplex est; nidum prae aliis habet asperum et pauperem; nullum ore vel unguibus laedit; raptu non vivit; pullos rostro pascit, de his quibus pasta est; morticino non vescitur; alias aves nec minimas invadit; puro grano vescitur; alienos pullos ut suos fovet; super fluenta residet, ut accipitrem caveat; in petra nidificat; ingruente tempestate ad nidum fugit; alis se defendit; gregatim volat; gemitum pro cantu dat; fecunda est; geminos nutrit'. Nota etiam quod, "cum pullificat columba et crescunt pulli, vadit mas et sugit terram salsam, et id quod sugit ponit in ora pullorum, ut assuescant cibo. Et si femina retardat venire, propter dolorem partus, ad pullos, percutiet eam mas, et ponet eam vi intus". Sic pauperes spiritu, veri scilicet poenitentes, quia mortaliter peccando comparem suum, scilicet Iesum Christum, amiserunt, ideo solitudine mentis et etiam corporis, a tumultu saecularium remoti, soli vivunt; non aquam claram mundani gaudii, sed turbidam doloris et planctus bibunt. Anima mea, inquit Dominus, turbata est. Et quid dicam? In ramum virentem gloriae temporalis non ascendunt, de quo Ezechiel: Applicant, inquit, ramum ad nares suas. Carnales enim ramum temporalis gloriae applicant ad nares suas, ne sentiant foetorem peccati vel inferni. Item, sunt simplices sicut columbae. Nidum suae conversationis et etiam ipsum lectum, quo corporaliter dormiunt, asperum et pauperem habent. Neminem laedunt; immo se laedenti parcunt. Raptu non vivunt; immo sua distribuunt. Verbo praedicationis sibi commissos reficiunt, et ex gratia sibi concessa cum aliis gratanter dividunt. Morticinum, idest mortale peccatum, sibi non incorporant. Versus: "Morticina cadunt ferro, morticina morte". Magnum nec minimum scandalizant. Puro grano, idest Ecclesiae praedicatione, non haereticorum, quae immunda est, vescuntur. Omnibus omnia facti, ita zelantur salutem aliorum ut suorum; omnes diligunt in visceribus Iesu Christi. Super Sacrae Scripturae fluenta resident, ut tentationem diaboli, se rapere machinantis, procul praevideant et praevisam caveant. 'In foramine petrae, idest latere Iesu Christi, nidificant', et si qua carnis tentationis tempestas ingruerit, ad latus Christi fugiunt, ibique se abscondunt, dicentes cum Propheta: Esto mihi, Domine, turris

fortitudinis a facie inimici. Et iterum: Esto mihi in Deum protectorem etc. Non ungulis vindictae, sed alis humilitatis et patientiae se defendunt. "Optimum, inquit PHILOSOPHUS, genus vincendi patientia". Et iterum: "Miseriarum portus patientia". In unitate Ecclesiae, fidelium congregatione, una cum ipsis ad caelestia volant. Istorum cantus est gemitus. Istorum melodia sunt lacrimae et suspiria. Bonae voluntatis fetu fecundi, geminos pullos, idest dilectionem Dei et proximi, diligenter nutriunt. Nota etiam quod quilibet poenitens duo debet habere, misericordiam scilicet et iustitiam. Misericordia est quasi femina pullos custodiens, iustitia est quasi masculus. Terra salsa est caro Iesu Christi, amaritudine plena, ex qua debet sugere poenitens amaritudinem et salsedinem, et in ora pullorum, idest operum suorum, ponere, ut assueti tali cibo, in dolore et amaritudine semper vivant, 'membra sua cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes'. Sed, quia discretio est mater omnium virtutum, sine qua non debet offerri sacrificium, ideo si columba, idest misericordia, retardat ad pullos venire, propter sui partus, idest compunctionis et gemitus dolorem, iustitia, quasi masculus, debet ipsam corrigere et quadam vi intus ponere, ut pullos nutriat et nutriendo custodiat. Sic enim poenitens de peccato doleat, ut tamen necessitatem, sine qua vivere non potest, sibi non subtrahat. Quicumque istiusmodi turtures et columbas obtulerit, ipsum summus sacerdos, Iesus Christus, ab omni profluvio sanguinis, idest immunditia peccati, emundabit. Revertamur ergo ad materiam, a qua aliquantulum digressi sumus, et dicamus: Quasi thus redolens in diebus aestatis.

9 – Sequitur: Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne. Nota quod hodie Ecclesiae fideles portant ignem effulgentem in candela, quae constat ex stupa et cera. In igne divinitas, in cera humanitas, in stupa dominicae Passionis asperitas designatur. Beata Virgo hodie detulit et obtulit Dei et suum Filium in templo, in cuius rei figura, fideles hodie deferunt et offerunt ignem in candela. In quibus tribus vera designatur poenitentia. In igne, ardor contritionis, omnia eradicans genimina vitiorum. In cera, confessio criminis. 'Sicut enim fluit cera a facie ignis', sic ab ardore contritionis fluit confessio ab ore confitentis, defluentibus lacrimis. In stupa, asperitas satisfactionis. In his tribus est Iesus, idest hominis salus, quae qui Deo obtulerit poterit dicere cum iusto Simeone: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum etc. Nota quod in his quattuor versiculis quattuor viri poenitentis beatitudines designantur. Prima est in plenaria peccatorum remissione et conscientiae tranquillitate, ibi: Nunc dimittis etc. Secunda, in animae a corpore separatione, in qua videt quem credidit, quem desideravit, unde: Quia viderunt. Tertia, in extremi iudicii examine, in quo dicetur: 'Date de fructu manuum suarum ei, et laudent eum in portis opera eius', unde: Quod parasti etc. Quarta, in aeternae gloriae lumen, in qua 'videbit facie ad faciem et cognoscet sicut et cognitus est', unde: Lumen ad revelationem etc. Bene ergo dicitur: Quasi ignis effulgens et quasi thus ardens in igne. Iesus Christus in sua Nativitate pastoribus, in sua Apparitione tribus Magis, in suae Matris Purificatione Simeoni et Annae prophetantibus quasi ignis effulsit. In sua vero Passione, quasi thus in igne arsit, ex cuius odore, caeli, terra, infernus sunt repleti, angeli in caelo de humani generis redemptione laetantur, homines mortui in terra resuscitantur, captivi in inferno liberantur. Rogamus ergo te, Domina nostra, Dei Mater electa, ut a sanguine peccatorum nos purifices, ignem effulgentem contritionis, in cera confessionis et stuppa satisfactionis, deferre nos facias, quatenus ad lumen et gloriam caelestis Ierusalem pervenire mereamur. Ipso praestante, quem hodie in templo obtulisti, cui est

honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

IN ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

Themata sermonis

Quasi vas auri solidum. In eodem sermo, ibi: Locus sanctificationis nostrae; et ibi: Altitudinis firmamentum. Item sermo de eodem, ibi: Et cypressus in altitudinem se extollens.

Exordium. De dignitate gloriosae Virginis

1 – Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, quasi oliva pullulans et cypressus in altum se extollens. Dixit Ieremias: Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae, expectatio Israel. 'Solium est dictum, quasi solidum sedium, a sedendo'. Solium gloriae est beata Maria, quae undique solida et integra extitit, in qua gloria Patris, Filius sapiens, immo ipsa sapientia, Iesus Christus, sedit, dum ex ea carnem assumpsit. Unde in Psalmo: Ut inhabitet gloria in terra nostra. Gloria altitudinis, idest angelorum, habitavit in terra, idest carne nostra. Beata ergo Maria fuit solium gloriae, idest Iesu Christi, qui est gloria altitudinis, idest angelorum. Unde Ecclesiasticus: Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, species caeli in visione gloriae. Iesus Christus est firmamentum altitudinis, idest angelicae sublimitatis, quam ipse confirmavit, apostata cum suis sequacibus dilabente. Unde in Iob: Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi aere fusi vel fundati sunt? Quasi diceret: Nonne Patris sapientia 'caelos, idest angelicam naturam', fabricavit? Unde: In principio creavit Deus caelum, "intellige continens et contentum". 'Angelis vero peccantibus rudentibus inferni detractis', boni, summo bono inhaerentes, solidissimi, quasi aere fundati sunt. In aeris durabilitate firma perpetuitas notatur stantium angelorum. Iesus Christus, angelicae sublimitatis firmamentum, ipsius est pulchritudo. Quos enim suae divinitatis potentia consolidat, hos et suae humanitatis pulchritudine satiat. Est etiam species caeli, idest omnium animarum in caelis habitantium, quae consistit in visione gloriae. Dum enim gloriam Patris oculo ad oculum vident, gloriosi resplendent. Ecce quanta dignitas gloriosae Virginis, quae meruit esse Mater illius, qui est firmamentum et pulchritudo angelorum, et species omnium sanctorum.

2 – Dicamus ergo: Solium gloriae altitudinis a principio, idest a mundi constitutione, 'praedestinata est Mater Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis'. Unde subditur: Locus sanctificationis nostrae, expectatio Israel. 'Beata Virgo fuit locus sanctificationis nostrae', idest Filii Dei, qui nos sanctificavit. De quo ipse dicit in Isaia: Abies et buxus et pinus venient simul, ad ornandum locum sanctificationis meae; et locum pedum meorum glorificabo. "Abies dicta, quod prae ceteris arboribus eat", 'caelestia significat contemplantes". 'Buxus in altum non proficit, fructus non habet, viriditatem vero habet; significat novellos, fidem perpetuae viriditatis tenentes'. "Pinus, arboris species, ab acumine foliorum vocata; pinum enim antiqui dicebant acutum", et significat poenitentes, qui suorum peccatorum conscii, quodam contritionis acumine cor

pungunt, ut sanguinem lacrimarum ex ipso elicere valeant. Omnes ergo isti, scilicet contemplantes, fideles et poenitentes, veniunt in hac solemni festivitate ad ornandum devotione, laude, praedicatione, beatam Mariam, quae fuit locus sanctificationis Iesu Christi, in qua ipse se sanctificavit. Unde ipse dicit in Ioanne: Pro eis ego sanctifico meipsum, sanctificatione scilicet creata, ut sint et ipsi sanctificati in veritate, "idest in me, qui me hominem sanctifico in me Verbo", idest, per me Verbum, repleo me omnibus bonis. Et locum pedum meorum glorificabo. Pedes Domini eius humanitatem significant, de quibus Moyses in Deuteronomio: Qui appropinquant pedibus eius accipiunt de doctrina illius. Nullus potest appropinquare pedibus Domini, nisi prius, ut dicitur in Exodo, 'solvat calceamenta, idest opera mortua, de suis pedibus, idest mentis affectibus'. Nudis pedibus ergo accede, et accipies de doctrina illius. Unde Isaias: Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Qui a lacte rnundanae concupiscentiae removetur et uberibus gulae et luxuriae separatur, in praesenti divina scientia doceri et in futuro auditum: Venite, benedicti Patris mei, audire merebitur. Locus pedum Domini fuit beata Maria, ex qua humanitatem accepit, quem locum hodierna die glorificavit, quia ipsam super choros angelorum exaltavit. Per hoc aperte habes, quod beata Virgo in corpore, quo fuit locus pedum Domini, est assumpta. Unde in Psalmo: Exurge, Domine, in requiem tuam; tu et arca sanctificationis tuae. Surrexit Dominus, cum ascendit ad Patris dexteram. Surrexit et arca sanctificationis suae, cum in hac die Mater Virgo ad aethereum thalamum est assumpta. Unde in Genesi dicitur quod 'requievit arca super montes Armeniae'. 'Armenia interpretatur mons avulsus', et significat angelicam naturam, quae dicitur mons propter illos qui confirmati fuerunt, avulsus propter illos qui ceciderunt. Arca veri Noe, 'qui requiescere nos fecit a laboribus nostris, in terra cui maledixit Dominus', requievit hodierna die super montes Armeniae, idest choros angelorum. Ad laudem ergo ipsius Virginis, quae est expectatio Israel, idest populi christiani, et tantae festivitatis decorem, exponamus praedictam auctoritatem: Quasi vas auri solidum etc.

De sanctitate et gloria beatae Mariae Virginis

3 – Nota ista tria: vas, olivam, cypressum. Beata Maria fuit vas humilitate, auri paupertate, solidum virginitate, omni lapide pretioso praemiorum ornatum. Vasis concavitas est receptiva infusorum, et ideo significat humilitatem, quae gratiam infusionum recipit. Sed tumor infusa repellit. Dominus praecepit in Exodo 'fieri fossam in altari, in qua reponerentur cineres sacrificii'. In fossa humilitatis reponitur cinis, idest memoria nostrae mortalitatis. Unde de poenitente dicit Ieremias in Threnis: Ponet in sepultura os suum, idest de sepultura suae mortis loquetur. Unde dicitur in Genesi quod 'Abraham sepelivit Saram in spelunca duplici, quae respiciebat Mambre'. Spelunca duplex est humilitas cordis et corporis, in qua vir iustus debet sepelire animam suam a tumultu saecularium, et haec humilitas debet respicere Mambre, "quae interpretatur perspicuitas", idest vitae aeternae, non gloriae mundanae, claritatem. Ad quam respexit humilitas beatae Virginis, et ideo respici meruit. Et quia humilitas paupertate conservatur, ideo vas auri dicitur. Et bene paupertas dicitur aurum, quae suos possessores splendidos et divites facit. Ubi paupertas vera ibi sufficientia; ubi abundantia ibi indigentia. Unde PHILOSOPHUS: "Damnum nisi ex abundantia raro". Item: "Non puto pauperem cui quantulumcumque superest sat est". BERNARDUS: "In caelis omnium rerum affluentia

suppetebat; sola pupertas non inveniebatur in eis. Haec species in terris abundabat, et nesciebat homo pretium eius. Hanc ergo venit Filius Dei quaerere, ut eam sua aestimatione faceret pretiosam". De hoc auro dicitur in Genesi, quod in terra Hevilath nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est. Hevilath interpretatur parturiens", et significat beatam Virginem, quae, Dei Filium parturiens, aureae paupertatis panniculis involvit. Optimum paupertatis aurum! Qui te non habet, etiam si omnia habet, nihil habet. Temporalia enim inflant, et inflando evacuant. In paupertate, gaudium; in divitiis, tristitia et lamentum. Unde Salomon in Parabolis: Melior est buccella sicca cum gaudio, quam vitulus saginatus cum iurgio, vel domus plena victimis, idest divitiis, quae vi pauperibus rapiuntur. Item: Secura mens quasi iuge convivium. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. Item: Melius est habitare in terra deserta, idest paupertate, quam cum muliere litigiosa et iracunda, idest temporali abundantia. Item: Melius est sedere in angulo domatis, idest humilitate paupertatis, quam cum muliere litigiosa, in domo communi. Et quia humilitas et paupertas beatae Mariae virginitatis integritate fuit insignita, ideo additur: Vas auri solidum. Beata Virgo fuit solida virginitate, et ideo sapientiam potuit continere. Sed 'cor fatui, ut dicit Salomon, est quasi vas confractum, quod sapientiam non potest continere'. Istud vas fuit hodierna die omni lapide pretioso, idest omni praerogativa caelestium praemiorum ornatum. Omnium sanctorum praemia recepit, quae omnium Creatorem et Redemptorem genuit. Unde de hoc vase, omni lapide pretioso ornato, habes concordantiam in libro Esther, ubi dicitur, quod Esther, cum intrare deberet ad regem, non quaesivit cultum muliebrem, sed quaecumque voluit Egeus eunuchus, custos virginum, haec ei ad ornamentum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine omniumque oculis gratiosa et amabilis videbatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri. Et amavit eam rex plusquam omnes mulieres; et posuit diadema regni in capite eius. "Esther absconsa", 'Egeus solemnis', "Assuerus beatitudo interpretatur". Esther est beata Virgo Maria, quae circumquaque clausa latuit, quam absconsam Angelus invenit. Egeus, custos virginum, est Iesus Christus. Bene autem congruit talem custodem virginibus deputari, qui et Egeus, idest solemnis, sit et eunuchus: solemnis et festivus, ne contristet spiritu pusillanimes, eunuchus, ut non corrumpat virginum continentiam, sed conservet. Unde haec duo bene coniunguntur. Solet enim plerumque vel hilaritate affectus dissolvi, vel castum affectum nimia severitas comitari. Utrumque Christus exhibuit, ut idoneus custos virginum probaretur. Tamquam Egeus enim hilariter occurrit mulieribus, dicens: Avete. Sed hoc ipsum tantum post Resurrectionem, iam corpore immortali. Ante enim sic probavit se eunuchum, ut nec legatur salutasse mulierem. 'Mirati sunt quoque apostoli, ut dicit Ioannes, quod cum muliere loqueretur'. Hic Egeus nostram Esther, idest beatam Virginem, eo copiosius ornavit, quo ipsa cultum muliebrem non quaesivit. Nec enim se vel alium habere voluit ornatorem, sed totam se commisit custodis arbitrio, a quo tam decenter est ornata, ut hodierna die super angelos sit exaltata. Haec nostra Esther fuit formosa valde in angelica salutatione; incredibili pulchritudine in Spiritus Sancti superventione; omniumque oculis gratiosa in Filii Dei Conceptione. Postquam enim Filium Dei concepit, tanti fulgoris gratia facies eius rutilabat, quod nec ipse Ioseph in faciem eius intendere poterat. Nec mirum. 'Si filii enim Israel, ut dicit Apostolus, non poterant intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quae evacuatur'; et in Exodo: Videntes Aaron et filii Israel cornutam, 'idest splendidam', Moysi faciem, ex consortio sermonis Dei, timuerunt prope accedere', quanto magis in gloriosae Virginis

faciem, radiis veri solis, quem in utero portabat, effulgentem, Ioseph intendere non poterat et accedere prope timebat; etenim verus sol nube tectus erat et per oculos et faciem suae Matris radiolos aurei fulgoris emittebat. Haec facies est plena gratiarum omnium, angelorum oculis gratiosa, 'in quam desiderant prospicere'; 'quae lucet sicut sol in virtute sua'. Est etiam beata Virgo toti mundo amabilis, quae omnium meruit suscipere Salvatorem. Ista nostra gloriosa Esther hodie per manus angelorum [ducta est] ad cubiculum regis Assueri, idest 'aethereum thalamum, in quo Rex regum, beatitudo angelorum, stellato solio residet', Iesus Christus; qui eandem gloriosam Virginem super omnes mulieres amavit, ex qua carnem accepit, quae gratiam et misericordiam super omnes mulieres coram ipso invenit. O inextimabilis Mariae dignitas! O inenarrabilis gratiae sublimitas! O ininvestigabilis misericordiae profunditas! Quae tanta gratia, quae tanta misericordia angelo vel homini umquam facta fuit vel fieri potuit, quanta beatae Virgini, quam Deus Pater sui proprii Filii, sibi aequalis, ante saecula geniti, Matrem esse voluit? Maxima foret gratia et dignitas, si aliqua paupercula femina cum Imperatore filium haberet. 'Vere omni gratia praestantior fuit beatae Mariae gratia, quae filium cum Deo Patre habuit', et ideo hodierna die in caelis coronari meruit. Unde subditur: Et posuit diadema regni in capite eius. Dicit Salomon in Canticis: Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis suae. Quia 'beata Maria Dei Filium coronavit diademate carnis, in die desponsationis suae, idest conceptionis, qua unita est divina natura, tamquam sponsus, humanae naturae', tamquam sponsae, in thalamo eiusdem Virginis, ideo idem Filius suam Matrem coronavit hodierna die diademate gloriae caelestis. Egredimini ergo et videte matrem Salomonis in diademate, quo coronavit eam Filius suus in die Assumptionis suae. Bene ergo dicitur: Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

4 – Sequitur: Et quasi oliva pullulans. "Olea est arbor; oliva, fructus; succus, oleum". Olea primo emittit florem odoriferum, ex quo fit oliva, quae est viridis, deinde rubea, deinde efficitur matura. Beata Anna fuit quasi olea, ex qua processit flos candidus, inaestimabilis odoris, scilicet beata Maria, quae fuit viridis in Filii Dei Conceptione et Nativitate. Viridis dicitur eo quod vim retineat. Beata Virgo in Conceptione et Nativitate Salvatoris viridis permansit, vim virginitatis retinuit: virgo ante partum et in partu permansit; fuit rubea in Filii Passione, 'quae ipsius animam pertransivit'; fuit matura in hodierna Assumptione, pullulans, idest pollens cum laetitia, in caelestis gloriae beatitudine. Unde, ipsius laetitiae congaudentes, cantamus in introitu hodiernae missae: Gaudeamus omnes in Domino etc. In qua missa legitur evangelium: Intravit Iesus in quoddam castellum etc. Castellum vel castrum dictum, quasi castum, vel 'quod ibi castretur libido'. Hostis enim de foris, instanter castrum impugnans, non permittit inhabitantes quiete dissolvi, luxuria pollui. Pugnae enim instantia contra castrum, libidinis castrat incitamentum. Nota quod castellum est ubi murus est in circuitu et turris in medio. Castellum est beata Maria, quae quia totius castitatis claritate nituit, ideo in ipsam Dominus intravit. Murus ipsam muniens, turrim circumcingens, fuit virginitas. Turris murum defendens, ipsius fuit humilitas. 'Turris dicta, quod sit teres, idest directa et longa'. Humilitas beatae Mariae fuit directa et longa. Directa, quia ad illum solum aspexit, qui 'ipsius humilitatem respexit'; longa, quia in verbo humilitatis, Ecce ancilla Donini, facta est regina caelestis. Haec eadem Virgo fuit Martha et Maria. Martha, puerum pannis involvens, praesepio reclinans, ubere de caelo pleno lactans, in Aegyptum

cum ipso fugiens et inde rediens; Maria, cum conservabat, ut dicit Lucas, omnia verba haec, conferens in corde suo.

5 – Sequitur: Et cypressus in altitudinem se extollens. Beata Maria quasi cypressus hodierna die super omnium angelorum altitudinem se extulit. Unde super hoc habes concordantiam in Ezechiele: Super firmamentum, inquit, quod erat imminens capiti animalium, quasi aspectus lapidis sapphyri, similitudo throni; et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. In quattuor animalibus, omnes sancti, quattuor virtutibus decorati, quattuor evangeliorum doctrina instructi, significantur. In firmamento, angelicae virtutes, Omnipotentis virtute confirmatae. In throno, beata Virgo Maria, in qua Dominus se humiliavit, cum de ipsa carnem accepit. In Filio hominis, Iesus Christus, Dei et hominis Filius. In caelesti ergo gloria super caput animalium, idest omnium sanctorum, est firmamentum, idest angeli; et super angelos, thronus, idest beata Virgo; et super thronum, Filius hominis, idest Iesus Christus. De throno quaere in evangelio: Cum turbae irruerent ad Iesum. De lapide sapphyro quaere in sermone de Annuntiatione: Ero quasi ros. Rogamus ergo te, Domina nostra, Mater Dei inclita, super choros angelorum exaltata, ut cordis nostri vas caelestis gratiae impleas, auro sapientiae effulgere facias, tuae virtutis potentia consolides, lapide virtutum pretioso adornes, oleum misericordiae tuae, tu oliva benedicta, super nos effundas, quo peccatorum nostrorum multitudinem operias, qua ad caelestis gloriae altitudinem sublevari et cum beatis beatificari mereamur, praestante Iesu Christo, Filio tuo, qui te hodierna die super choros angelorum exaltavit, diademate regni coronavit et in solio aeterni luminis collocavit, cui est honor et gloria per aeterna saecula. Dicat omnis Ecclesia: Amen. Alleluia

PROLOGUS

Gratias referimus septiformi gratiae, cuius adminiculo ad septimi mensis primam dominicam pervenimus. Unde notandum quod in hac prima et sequenti dominica legitur in Ecclesia liber Iob, cuius aliquas auctoritates, secundum quod melius expedire videbimus, cum clausulis istius et sequentis dominicae, Deo dante, concordabimus.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decimatertia dominica post Pentecosten: Beati oculi, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de utilitate praedicationis, ibi: Lapidem caliginis. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item in Nativitate et Passione Domini, ibi. Beatus ero; et ibi: Saccum consui super cutem meam. Item thema in Nativitate Domini, ibi: Si fuerit pro eo angelus; et ibi: Tamquam granum sinapis. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de dilectione Dei et de situ cordis in homine, ibi: Diliges Dominum

Deum tuum. Item de Passione, ibi: Fasciculus myrrhae. Item de anima et de viribus eius, ibi: Ex tota anima. Item contra carnales, ibi: Dulcis fuit glareis. Item de quattuor amicis Iob et eorum significationibus, ibi: Eliphaz. Item sermo moralis de vita praelati vel praedicatoris, ibi: Splendebat lucerna. Item de vita viri iusti, ibi: Vir erat in terra Hus nomine Iob. Item contra laudem humanam appetentes, ibi: Si vidi solem. Item thema sermonis ad poenitentes, ibi: Tu si diluculo consurrexeris. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema de casu primi parentis et misericordia Redemptoris, ibi: Homo quidam descendebat ab Ierusalem. Item sermo moralis de septem filiis Iob, qui sunt septem beatitudines, ibi: Homo quidam. Item thema sermonis de poenitentia viri iusti, ibi: Pereat dies. Item contra hypocritas et dignitatis excellentiam appetentes, ibi: Accidit autem ut sacerdos; et ibi: Abimelech pugnabat; et ibi: Sunt quasi onagri, et cetera quae ibidem sequuntur.

Exordium. De utilitate praedicationis

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi qui vident quae vos videtis etc. Dicit Iob: Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante. Quid lapis caliginis, quid umbra mortis, quid torrens, quid populus peregrinans significent videamus. “Torrens est praedicatio”. Sicut enim torrens abundat in hieme, siccatur in aestate, unde dicitur, “quia pluvia crescit, siccitate arescit”; sic praedicatio in hieme praesentis miseriae abundat et abundare debet. De hoc torrente in via huius exilii anima, a vultu oculorum Dei proiecta, debet bibere, super ipsum, tamquam columba, residere, seipsam prospicere. Sed infelici animae imprecatur idem Iob, dicens: Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri. In flumine, aqua compunctionis, quae sordes peccatorum lavat; in torrente mellis, Sacra Scriptura, quae consolatur et illuminat – mel enim, ut dicitur in primo libro Regum, illuminavit oculos Ionathae –; in torrente butyri, devotio gratiae, quae mentem impinguat, designatur. Anima ergo, carnis voluptatibus dedita, non videt rivulos fluminis, quia seipsam non plangit, nec torrentes mellis et butyri, quia nec dulcedine praedicationis illuminatur, nec devotione gratiae impinguatur. Iste torrens siccabitur aestate, idest vitae aeternae beatitudine. Unde Ieremias: ‘Non docebit unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; quoniam omnes scient me a minore usque ad maiorem’. Quanta vero interim sit utilitas praedicationis ostendit Iob, cum dicit: Lapidem caliginis etc. “Lapis dictus, quod laedat pedem”. “Caligo, de spissitudine aeris facta, dicta est quod maxime aeris calore gignatur”. Lapis caliginis est tentatio diaboli, qui, in hoc caliginoso aere inhabitans, ignitae suggestionis caliginem menti ingerit, ut ipsum affectum laedat et pervertat. “Umbra est aer carens sole, dicta, quod fiat cum solis radiis obicitur corpus”. “Mors dicta, quasi amara”. Umbra mortis est oblivio mentis. Miser homo divitias, quasi quoddam corpus, veri solis radiis obicit, ut sub ipsis quasi sub umbraculo refrigerium habeat, qui, dum tali umbra cooperitur, cognitione et recordatione Domini privatur. Temporalia enim faciunt Deum in oblivionem venire. Unde in Genesi dicitur quod, prosperis succedentibus, praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Lapidem ergo caliginis, idest tentationem diaboli, et umbram mortis, idest oblivionem mentis, dividit torrens, idest praedicatio, a populo peregrinante, idest poenitentibus, spiritu pauperibus, apostolorum sequacibus, qui se miseros et peregrinos, exules et hospites reputant in hoc exilio, quibus dicit Dominus in hodierno evangelio: Beati oculi qui vident quae vos

videtis etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Christum videntium beatitudo, cum praemittitur: Beati oculi. Secundum, Dei et proximi dilectio, cum adiungitur: Ecce quidam legisperitus. Tertium, hominis ab Ierusalem in Iericho descensio, cum subinfertur: Homo quidam descendebat ab Ierusalem etc. In introitu hodiernae missae cantatur: Protector noster aspice, Deus. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Galatas: Abrahae dictae sunt promissiones. Quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus sancti evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Abrahae dictae sunt promissiones. Secunda: Hoc autem dico, testamentum. Tertia: Mediator etc. Et nota quod haec est ratio, quare ista epistola legitur cum isto evangelio, ideo scilicet quia summa utriusque, evangelii scilicet et epistolae, in lege Moysi data concordat.

I – De beatitudine videntium Christum

3 – Dicamus ergo: Beati oculi qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis et non viderunt, et audire quae auditis et non audierunt. Et ideo dicebat Tobias: Beatus ero si fuerint reliquiae seminis mei ad videndum claritatem Ierusalem, idest humanitatem Iesu Christi. Reliquiae seminis beati Tobiae fuerunt apostoli: semen cui benedixit Dominus, de quo Isaias: Semen sanctum erit id quod steterit in ea, idest Ecclesia. Hi fuerunt semen Tobiae fide et patientia, et ideo videre meruerunt claritatem Ierusalem. Unde eis dicitur: Beati oculi qui vident quae vos videtis. 'Videbant hominem et credebant Deum'. Beati oculi mundi cordis, qui Iesum Christum vident. Unde dicit Iob: Nunc autem oculus meus videt te. Beati oculi, quos non stercus divitiarum excaecat, nec lippitudo sollicitudinum obnubilat, quia ipsi vident Dei Filium involutum panniculo, reclinatum praesepio, fugientem in Aegyptum, sedentem in asino, nudum, suspensum in patibulo. Talem viderunt apostoli. Talem non possunt videre lippi oculi. Unde in Psalmo: Supercecidit ignis et non viderunt solem. Lippi oculi solem non possunt aspicere.

4 – Sol est Christus, qui, ut aspici posset, nube se obtexit. Unde ipse dicit in Iob: Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt. Haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum preces. Terra, ne operias sanguinem meum, nec inveniat locum in te latendi clamor meus. In sacco et cinere asperitas et vilitas humanae naturae designatur. Iesus Christus ex sacco nostrae naturae fecit sibi tunicam, quam acu, idest subtili opere Spiritus Sancti, et filo, idest fide beatae Virginis, consuit et seipsum induit, et super ipsam cinerem vilitatis et paupertatis aspersit. Hoc lippi et maledicti oculi videre non possunt. Heu! facies Iesu Christi alapis et lacrimis fuit tumida. Quae absque iniquitate manus suae pertulit; 'qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius'; qui ad Deum Patrem mundas preces pro immundis et sceleratis obtulit; qui, ut dicit Isaias, 'pro transgressoribus exoravit', dicens: Pater, ignosce illis etc. O terra, idest peccator, ne operias amore terrenorum sanguinem meum, pretium redemptionis tuae; permitte obsecro ipsum in te fructificare. 'In fronte tua superscripsi sanguine meo signum thau, ne angelus percutiens te percuteret'. Noli ergo, obsecro, ipsum terra operire; noli tituli inscriptionem corrumpere, quem Pilatus non corrupit sed confirmavit, dicens: Quod

scripsi, scripsi. Neque inveniat locum in te latendi clamor meus. Clamor Redemptoris nostri est sanguis Redemptionis, qui, ut dicit Apostolus ad Hebraeos, ‘melius loquitur quam sanguis Abel’; quia sanguis Abel mortem fratricidae petiit, sanguis Domini vitam persecutoribus impetravit. Qui clamor locum latendi in nobis invenit, si, quod mens credit, lingua tacet. Hunc saccum, hunc cinerem lippi oculi non vident; hunc clamorem aures surdae non audiunt. Unde subdit Dominus: Dico vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre etc. In prophetis, Ecclesiae praelati; in regibus potentes huius saeculi designantur. Tam illi quam isti volunt videre Christum in caelo, sed nolunt videre suspensum in patibulo. Volunt regnare cum Christo et gaudere cum mundo. Isti dicunt cum Balaam, in libro Numeri: Moriatur anima mea morte iustorum. Isti volunt videre gloriam divinitatis, quam viderunt apostoli, sed nolunt sustinere ignominiam Passionis, paupertatem Iesu Christi, quam sustinuerunt ipsius discipuli, et ideo non videbunt ipsum cum apostolis, sed ‘videbunt cum impiis, in quem compunxerunt’. Nec audient sibilum aurae tenuis: Venite, benedicti Patris, sed audient tonitruum: Ite, maledicti.

5 – De quo dicit Iob: Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Et iterum: Numquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea? Dominus extrema terrae tenuit, cum ‘infirma et abiecta mundi elegit, ut per ipsa fortia confunderet’. Nota ista duo verba: tenuisti, concutiens. Pater tenet una manu filium, et alia concutiens percutit ipsum: tenet, ne in praecipitium vadat, percutit, ne insolescat et superbiat. Sic Dominus manu misericordiae tenet virum iustum, ne in peccatum corruat; percutit, ne de gratia paterna se elevet. Unde Apostolus: Ne magnitudo revelationum extollat me etc. Sequitur: Et excussisti impios ex ea. In die iudicii Dominus de terra nostra, in qua peccaverunt, impios excutiet in infernum, sicut excutitur pulvis de sacculo. Ipsa etiam terra impios, peccatorum ipsorum pondere aggravata, excutiet in infernum, ‘in quo erit fletus oculorum, in vanitate vagantium, et stridor dentium’, bona pauperum diripientium. Talium oculi non videbunt Iesum in caelo, sed multitudinem daemonum in inferno. Tales non audient melodiam angelorum sed stridorem dentium.

6 – Huic clausulae concordat introitus hodiernae missae: Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Beati oculi qui videbunt in cordis amaritudine faciem Iesu Christi, alapis et lacrimis tumidam, sputis illitam, quia ipsam, ‘in quam desiderant angeli prospicere”, videbunt in atriis caelestis Ierusalem gloriosam. De qua dicit Iob: Videbit faciem eius in iubilo, ac si diceret: Si hic prius viderit homo faciem Iesu Christi in cordis amaritudine, qualem habuit in Passione, postea videbit in mentis iubilo, quod nec exprimi nec reticeri potest, qualem habet in aeterna beatitudine. Huius faciei claritas est dies una, sine interpolatione illuminans civitatem Ierusalem, omnem superexcellens claritatem, ad quam ut pervenire mereamur rogemus Patrem, dicentes: Protector noster, aspice, Deus. Protectio Dei minus necessaria creditur, si semper habetur; utiliter aliquando subtrahitur, ut quod sine ea nihil est homo ostendatur. Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Noli, Pater, respicere ad peccata nostra, sed respice in faciem Christi tui, quae pro peccatis nostris sputis illita, alapis et lacrimis fuit tumida, ut nos peccatores tibi reconciliaret; qui, ut nobis parceres, faciem alapis caesam tibi ostendit, ut in ipsam respiceres, et respiciens, nobis, qui eius Passionis causa fuimus, propitius fieres.

7 – Unde, super hoc habes concordantiam in Iob: Si fuerit, inquit, pro eo angelus loquens, unum de similibus, ut annuntiet hominis aequitatem, miserebitur eius, et dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem; inveni in quo ei propitier. Consumpta est autem caro eius a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiae suae. "Angelus iste Christus accipitur; pro nobis autem Patri loquitur unum de similibus. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendit; in uno tantum a nobis, idest in formae veritate, non discrepat; qui Patri pro nobis loquitur, per hoc quod se nobis similem ostendit, per id Patri loquitur, quo nobis est similis. Loqui eius est se pro nobis hominem ostendere, praeter quem nullus aequus inveniretur, qui sine peccato pro peccatoribus intercederet. Miserebitur eius et dicet. Mediator ideo miseretur hominis, quia formam hominis sumpsit. Et dicit: Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Dicere eius est liberare hominem, naturam hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne quam assumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit. Inveni in quo ei propitier, ac si aperte dicat: Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo intercessor iustus pro hominibus appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci. Et dum me hominem exhibui, in quo iuxta hominem hominibus propitiarer inveni. Consumpta est caro eius a suppliciis etc. Innumeris enim humanum genus suppliciis vitiorum et poenarum premebatur, sed veniente Redemptore, revertitur ad dies adolescentiae suae, prioris scilicet vitae integritate renovatur, ut non in eo maneat quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit".

8 – Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed, quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus, qui fuit 'tamquam granum sinapis in horto Beatae Virginis seminatum, quod paupertate et humilitate minimum fuit omnibus seminibus, idest hominibus, in sua Nativitate; crevit in sua praedicatione et miraculorum operatione, in qua maior fuit omnibus oleribus, idest Veteris Testamenti patribus; factus est arbor, in sua Resurrectione, extendit ramos suos in apostolorum praedicatione, et sic volucres caeli, idest Ecclesiae fideles, veniunt fide et habitant spe et caritate, in ramis eius, idest doctrinis et exemplis eius'. Et ideo beati qui modo vident per fidem illum, in quo benedictae sunt omnes gentes, ipsum postmodum visuri per speciem in gloria caelesti, et audituri: Venite, benedicti Patris mei. Ad quam visionem et audiendam vocem ipse beatus Christus nos perducere dignetur, qui est benedictus Deus per aeterna saecula. Amen.

II – De Dei et proximi dilectione

9 – Sequitur secundum. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum et dicens: Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, ei ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti; hoc fac, et vives. Nota quod in hac clausula omnis perfectio viae et patriae includitur. Singula verba quae in hac auctoritate ponuntur, Diliges Dominum Deum tuum etc., sunt magnae virtutis et magnae utilitatis. Unde de quolibet breviter disseramus. Dilectio dicitur, quod duos in se liget. Nam 'dilectio a duobus incipit'; 'quae est amor Dei et proximi, in bonis tantum accipi

solet'. Diligere, duos ligare. Dominus dictus, quod dominetur creaturae cunctae, vel "quod domui praesit", vel quasi dans minas. 'Deus, [Eloe] hebraice, latine dicitur timor, graece theos', quia theoreo dicitur video, quod cuncta videat. Theo quoque dicitur curro, quia cuncta percurrat. Dilectio Deum et proximum ligat. Haec est illa linea, de qua dicit Dominus in Iob: Quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatae sunt? Dominus tetendit lineam suae dilectionis super animam, ut ipsa se extendat usque ad dilectionem proximi. Super quo, nisi super Iesu Christo, bases, idest animae purae intentiones, quibus tota fabrica virtutum innititur, sunt solidatae? Basis omnis intentionis nisi in Christo sit solidata, totius operis fabrica minatur ruinam, 'et ruina illa erit magna'. Diliges ergo Dominum Deum tuum. Nota ista duo: Dominum et Deum. Dominum, quia dominatur cunctae creaturae; Deus, quia cuncta videt et cuncta percurrit. Unde de eo dicit Sophar Nahamatites in Iob: Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? Vel quis dicere potest: Cur ita facis? Nota: "Caeli dicuntur angeli, inferni daemones, terra iusti homines, mare peccatores. Nec angeli igitur eius attingunt altitudinem; et daemonum astutias, longe subtilius quam putant, iudicat; et iustorum longanimitatem patientia eius superat et ubique facta peccantium praesentia eius occupat. Vel, homo caelum est contemplatione, infernus tentationum caligine, terra dum fructificat, mare dum mutabilitate agitatur. Sed et contemplatio hominis in Deo deficit, et si se in tentationibus discutit, subtiliora Dei iudicia timet, et opera eius retributio in fine superat. Et quantumlibet mens fluctuet, inquirendo, districtionem futuram non agnoscit. Item, habet latitudinem amando, longitudinem tolerando, altitudinem intellectus vota superando, profunditatem motus cogitationis illicitos iudicando. Subvertit caelum, dum contemplationem hominis destruit; infernum, dum pavidum in tentationibus ad deteriora cadere permittit; terram, dum fructum boni operis per adversa intercidit; mare, dum nostram titubationem terrore iudicii confundit. Caelum et infernus simul coarctantur, cum eandem mentem et contemplatio sublevat et tentatio obscurat. Terra et mare simul coarctantur, cum eandem mentem et certa fides de aeternis roborat, et aliquantula mutabilitate aura dubietatis versat". Talis ac tantus diligendus est. Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Tuum dicit, et ideo plus diligendus; plus enim nostra quam aliena diligimus. Dignus est a te diligi, qui, cum sit Dominus Deus tuus, est tibi factus serviens, ut tu eius fieres et ei servire non erubesceres. Servire, inquit in Isaia, me fecisti in peccatis tuis. Triginta tribus annis Deus tuus factus est servus tuus propter peccata tua, ut te a servitute diaboli liberaret. Diliges ergo Dominum Deum tuum, qui fecit te; se fecit propter te; se totum tibi dedit, ut te totum dares ei. Diliges ergo Dominum Deum tuum. 'In primo opere, cum non esses, te tibi dedit; in secundo opere, cum male esses se tibi dedit ut bene esses, et ubi se tibi dedit, te tibi reddidit'. Datus ergo et redditus, te debes et bis debes et totum debes. Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Qui totum dixit, non tibi de te partem dimisit, sed totum te sibi offerri praecepit. 'Se enim toto, te totum emit', ut solus te totum possideret. Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Noli ergo, 'cum Anania et Saphira, tibi de te facere partem, ne totus cum illis intereas'. Dilige ergo ex toto, non ex parte. Deus enim non habet partes, sed ubique totus est, et ideo non vult partem in tuo, qui totus est in suo. Si partem tibi de te reservas, tuus es, non suus. Vis totum habere? Da illi tuum, et ipse dabit tibi suum; et sic nihil habebis de te, quia habebis totum se cum toto te. Diliges ergo Dominum Deum tuum etc.

10 – Nota ista quattuor: cor, animam, vires et mentem. “Situs cordis in medio pectoris hominis est; declinat modicum ad sinistram, nam recedit a distinctione quae est inter mammillas modicum; et declinat ad mammillam sinistram et est in parte superiori pectoris; et non est magnum, nec sua forma est longa, sed declinat modicum ad rotunditatem et sua extremitas est stricta et acuta”. O homo, tui cordis dispositio et forma informat te qualiter debeas diligere Dominum Deum tuum. Cor tuum est situm in medio pectoris inter duas mammillas. In duabus mammillis duplex memoria, scilicet dominicae Incarnationis et Passionis designatur, ex quibus quasi mammillis anima nutritur. In dextera mammilla, memoria Incarnationis; in sinistra, Passionis intelligitur. Inter has mammillas debet esse situm cor tuum, ut quidquid cogitas, quidquid rectum pertractas, totum ad paupertatem et humilitatem Incarnationis et amaritudinem dominicae Passionis referas. Unde dicit sponsa in Canticis: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Anima, Iesu Christi, dilecti Filii Dei Patris, sponsa, facit sibi fasciculum myrrhae ex tota sui vita dilecti. Recolit enim qualiter praesepio reclinatus, pannis involutus et in Aegyptum fugatus, exsul, pauper et peregrinus; qualiter Iudaeorum iniuriis, blasphemiis saepius lacessitus; qualiter a discipulo traditus, a praesidis cohorte ligatus, ad Annam et Caipham ductus, ad columnam ligatus et a Pontio Pilato flagellatus, spinis coronatus, alapis caesus, sputis illitus, inter latrones et homicidas qualiter fuerit crucifixus. Ex his omnibus, in unum collectis et vinculo devotionis fortiter colligatis, facit sibi fasciculum myrrhae, idest amaritudinis et doloris, et ponit inter ubera, ubi est situs cordis. Super cor sponsae, talis semper debet esse fasciculus myrrhae. Et nota quod, sicut cor modicum declinat ad sinistram mammillam, sic compassio et devotio cordis debet declinare ad amaritudinem dominicae Passionis. Unde Magdalena prius super pedes Domini, in quibus Passio ipsius designatur, lacrimas et unguentum effudit. Super pedes Domini flet, qui ipsi compatitur patienti; ungit eos, qui gratias agit pro beneficio Passionis. Utrumque enim Passioni Iesu Christi debemus, dolorem scilicet et devotionem. Et sicut cor tuum est in parte superiori pectoris, sic ipsius cogitatio et voluntas in superiori gloria. ‘Ubi est thesaurus tuus, Iesus Christus, manna in urna aurea, ibi debet esse et cor tuum’. Et sicut cor tuum non est magnum, nec sua forma est longa, sed declinat modicum ad rotunditatem, sic nec tu sis magnus elatione, longus cupiditate, sed rotunde et perfecte vivas. Quod enim rotundum est diminutione caret. Et sicut extremitas cordis est stricta et acuta, sic semper cogita, quod extremitas vitae tuae erit stricta et acuta. Stricta, quia oportebit te transire per strictissimum mortis foramen, per quod aliquid tecum non poteris deferre, praeter peccata tua, quae non sunt substantia. Acuta, quia timor iudicis te perforabit, horror poenae stimulabit. Dum ergo habes cor in tua potestate, dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

11 – Et ex tota anima tua. “Anima est substantia incorporalis, intellectualis, rationalis, invisibilis, habens ignotam originem, nihil terrenum in se mixtum”. ‘Anima dicta, quasi anemos, quod graece’ dicitur motus, eo quod semper sit in motu proprio et corporea moveat; vel quasi anamne, idest anamneia, quod graece recogitatio dicitur; vel componitur ex a et nemo, quod graece tribuo dicitur, eo quod tribuat vitam corporibus; vel anaema, idest superior sanguis. Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua, ut motum tuum, cogitationem tuam, vitam tuam ad ipsius dilectionem referas. Item: Ex omnibus viribus tuis. Nota quod “tres sunt vires animae, scilicet rationabilis,

concupiscibilis, irascibilis". Rationabili bona a malis discernimus; concupiscibili ipsa bona desideramus; irascibili mala detestamur. Has vires amiserunt effeminati, de quibus dicit Iob: Dulcis fuit glareis Cocythi, et post se omnem hominem trahit. "Glareae lapilli sunt fluminum, quos aqua denuens secum trahit. Cocythus, graece, luctus feminarum vel infirmantium dicitur latine. Philosophi Cocythum fluvium apud Inferos asserunt currere, significantes, quod ibi sit luctus iniquis. Dulcis ergo est amor transitoriis glareis Cocythi, idest illis qui contra voluptates fortiter stare nolunt et suis quotidie lapsibus ad luctum aeternum tendunt". Post se omnem hominem, idest totum, idest vim rationabilem, concupiscibilem et irascibilem, dulcedo amoris terreni trahit. Prudentia mundana trahit rationabilem; voluptas carnis, concupiscibilem; vanagloria, irascibilem.

12 – Isti sunt 'tres amici Iob, scilicet Eliphaz Themanites, Baldad Suhites et Sophar Nahamathites'. "Eliphaz, contemptus Domini; Themanites auster interpretatur", et significat prudentiam mundanam, quae de austro, vento calido, idest mundi cupiditate, provenit, 'quia filii huius saeculi prudentiores sunt in generatione sua, etc.' Haec sapientiam Domini contemnit, et ideo ab ipsa contemnitur. Unde Isaias: Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. "Baldad sola vetustas, Suhites loquens interpretatur", et significat carnis voluptatem, quae a primis parentibus incepit, et per successionem generationum pellem filiorum vetustam facit. Hoc patrimonium nobis vetus Adam dimisit; haec vetustas a loquela serpentis orta fuit. Unde in Psalmo dicit poenitens: A voce gemitus mei, idest suggestione voluptatis, quae est causa mei gemitus, adhaesit os meum, idest ratio vel virtus mea, carni, idest carnalitati, meae. "Sophar interpretatur dissipatio speculae; Nahamathites, decor", et significat vanamgloriam, quae ex falso religionis decore oritur, qua specula contemplationis et totius boni operis dissipatur. Receperunt, inquit, mercedem suam. Istis tribus tres animae virtutes destruuntur, et ideo necesse est ut beatus Iob, "qui interpretatur dolens", idest poenitens, qui dolet, ut dolore careat, istos tres amicos, de quibus ipse dicit: Verbosi amici mei, non audiat nec eis acquiescat, ut ex omnibus viribus suis Dominum Deum suum diligat.

13 – Et ex omni mente tua. "Mens est pars animae quaedam, per quam omnis ratio intelligentiaque percipitur". "Mens vocata, quod emineat in anima, vel quod meminit. Mens enim est non anima, sed quod excedit in anima, pars animae praestantior, a qua procedit intelligentia. Unde et ipse homo secundum mentem imago Dei dicitur. Ita autem haec omnia adiuncta sunt animae, ut una res sit. Pro efficientiis enim causarum diversa nomina sortita est anima. Dum enim vivificat corpus, anima est; dum vult, animus est; dum scit, mens est; dum rectum iudicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum aliquid sentit, sensus est". Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota mente tua, ut quidquid meminis, scis et intelligis ad Dei dilectionem referas. Sequitur: Et proximum tuum sicut teipsum. De hoc quaere in prima clausula evangelii: Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso. Super hoc habes concordantiam in Iob, ubi dicit: Visitans speciem tuam non peccabis. Huius auctoritatis expositionem require in secunda clausula primi sermonis: In principio creavit Deus caelum et terram.

14 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Hoc dico, testamentum confirmatum a Deo. Testamentum dictum, quod scripta est cum testibus et confirmata voluntas. Voluntas Dei est ipsius et proximi dilectio, quae conscripta fuit in

lege naturae, litterae et gratiae, confirmata testibus, quibus dixit: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem. Hoc testamentum confirmatum fuit in morte testatoris. Unde in Ioanne: Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem, "idest in mortem", dilexit eos. "Non quod morte terminetur eius dilectio, sed in tantum dilexit quod usque ad mortem eum dilectio perduxit". Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut dilectione tui et proximi nos liges, qua te ex toto corde, idest fortiter, ne abstracti, ex tota anima, idest sapienter, ne decepti, ex omnibus viribus et ex omni mente, idest dulciter, ne illecti ab amore tuo divertamur, et proximum sicut nos ipsos diligere valeamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

15 – Hoc fac et vives. Dicit Iob: Splendebat lucerna Dei super caput meum. Lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei. 'In lucerna, praedicatio; in capite, mens'; in butyro, lacrimarum compunctio; 'in pedibus, cordis affectus'; 'in petra, Christus; in oleo designatur gratia Spiritus Sancti'. Cum ergo splendet lucerna praedicationis super mentem peccatoris, butyro compunctionis, emanantis de pinguedine dilectionis, abluit sordes pedum, idest affectuum cordis; et sic petra, idest Iesus Christus, effundit ei rivulos olei, idest abundantem gratiam Spiritus Sancti, qua illuminatus in praesenti et in futura vivat gloria. Unde dicit Dominus: Hoc fac et vives. Nota ista tria verba: Hoc, fac, et vives. In quibus tria, scilicet doctrina, vita et gloria intelliguntur. Hoc, ecce doctrina; fac, ecce vita; et vives, ecce gloria. O homo, hoc quod audis in praedicatione fac in operatione. Cum splendet lucerna super caput tuum, lava butyro pedes tuos; et sic vives, quia petra tibi olei rivos fundet, hoc quod audis: Diliges Dominum Deum tuum etc. Quibus quattuor concordant illa quattuor, quae ponuntur in principio Iob: Vir erat in terra Hus nomine Iob, et erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum et recedens a malo. In terra Hus, "idest consilii", habitat vir iustus, qui Domini consilia observat ut ipsius praecepta. Hic est simplex in cordis puritate, rectus in animae affectione, timens Deum in virium naturalium ordinata executione, recedens a malo in mentis soliditate. Hoc fac, ut sis simplex, idest sine plica fraudis, non tuam sed Dei laudem quaerens, dicens cum Iob: Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et laetatum est cor meum in abscondito, et osculatus sum manum meam ore meo. Quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. "Sol in fulgore est bonum opus in manifestatione". "Luna incedens clare est fama, quae, lucens in nocte huius vitae, ex bono opere vires accipit. Et non est laetatum in abscondito cor eius. Sunt enim qui suis praeconiis extolluntur apud se et gaudent. Et osculatus sum manum meam ore meo. Per manum, operatio; per os locutio designatur. Manum ergo suam ore suo osculatur, qui laudat quod facit. Quae est iniquitas maxima etc., quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur". Hoc fac, scilicet ut solem boni operis et lunam famae lucentis non videas, ut inde gaudeas, et quod dicis non laudes, sed totum Creatori tuo attribuas.

16 – Item: Hoc fac, ut rectus sis. Unde dicit Baldad Suhites in Iob: Tu si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus; si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae. In tantum, ut priora tua sint pauca et novissima tua multiplicentur nimis. Si diluculo, idest cordis contritione, consurrexeris, idest simul mente et corpore surrexeris, ad Deum, et Omnipotentem in tui criminis et eius laudis confessione fueris deprecatus; si mundus et

rectus poenitentiae satisfactione incesseris, statim evigilabit ad te, scilicet in diluculo contritionis, et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae, in tui criminis confessione qui enim se iuste accusando iudicat in confessione, pacatum possidet sui corporis habitaculum in mentis tranquillitate. In tantum, ut priora tua fuerint pauca etc. Ecce quod, poenitentia in praesenti gratiam augmentat et in novissimo gloriam accumulat. Hoc ergo fac et vives. Item: Hoc fac, ut sis timens Deum, ut dicas cum Iob: Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius sustinere non potui. "Cum fluctus desuper eminent, nulla tunc cura rerum temporalium navigantibus, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur; ea quoque ex navi proiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt. Quasi ergo tumentes fluctus super se Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit, quae hic possidens portat. Vel tumentes fluctus extremam potestatem dicit, quando commotis omnibus elementis, supernus iudex veniens finem omnium apportat, quam sancti quotidie expavescunt. Et pondus eius sustinere non potui, quia qui extremi iudicii adventum intenta mente considerat, profecto videt quod tantus pavor imminet, quantum non solum tunc videre, sed etiam nunc praevidere pertimescat". Hoc ergo fac et vives.

17 – Item: Hoc fac, ut scilicet a malo recedas. Unde Sophar Nahamathites dicit in Iob: Si iniquitatem quae est in manu tua abstuleris a te, et non permanserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis. Miseriae quoque oblivisceris, et quasi aquarum quae praeterierunt non recordaberis. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus securus dormies. Requiesces, et non erit qui exterreat. GREGORIUS: "Iniquitas in manu est culpa in opere; iniustitia in tabernaculo, iniquitas in mente. Mens quippe tabernaculum vocatur, in quo apud nos abscondimur, cum foris in opere non videmur. Levare autem faciem est in Deo animum per studia orationis attollere; quam faciem macula inquinat si reatus sui conscientia accusat. Et eris stabilis et non timebis. Quia tanto minus ad iudicium trepidat, quanto in bonis solidius actibus stat. Miseriae quoque oblivisceris. Mala vitae praesentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum quod sequitur negligit. At si in his quae permanent oculum cordis figat, nihil esse conspicit quidquid ad finem tendit. Et quasi meridianus fulgor. Fulgor meridianus in vespere est virtutis renovatio in tentatione". Et cum te consumptum putaveris etc. "Saepe namque nos tot tentamenta obsident, ut ad lapsum desperationis inclinent, sed caliginem nostram conditor respicit, et subtracti luminis radios refundit". Et tunc habes fiduciam, proposita tibi spe divinae misericordiae. Et defossus securus dormies. "Defossi securi dormiunt, qui dum sua intima vigilanter penetrant, a laboriosis se huius mundi oneribus sub quietis otio occultant. Requiesces et non erit qui te exterreat. Qui enim in aeternitatis desiderio figitur, dum nihil est in mundo quod appetat, nihil est quod de mundo pertimescat". Hoc ergo fac et vives, vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro. Ad quam te perducat, qui est vita et gloria, qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

III – De hominis ab Ierusalem in Iericho descensione

18 – Sequitur tertium. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones etc. "Homo iste Adam intelligitur, in genere humano, qui a beatitudine caelestis

Ierusalem, praevaricationis prolapsione, ad miserias et ad defectum huius vitae mutabilis et erroneae descendit, cum intumescere coepit. Et per hoc etiam incidit in latrones, idest in potestatem angelorum noctis, qui se transfigurant in angelos lucis, sed perseverare non possunt. In quos non incideret, nisi eis mandati caelestis devius se fecisset obnoxium. Qui etiam indumenta gratiae spiritualis, immortalitatis scilicet et innocentiae, auferunt, et sic vulnera inferunt, idest peccata, quibus integritas humanae naturae violatur, et mors quasi fossis visceribus inducitur. Qui servat intemerata quae sumpsit indumenta, non potest sentire latronum plagas. Abierunt, non cessando ab insidiis, sed occultando insidias. Semivivo relicto, quia immortalitatem exuere, sed rationis sensum abolere non possunt, quin homo sapere et Deum possit cognoscere. Sacerdos et Levita, qui transeunt, sacerdotium et ministerium Veteris Legis figurant vel Testamenti, ubi vulnera languentis mundi monstrantur, non curantur. Samaritanus, qui custos interpretatur, Dominus est, qui propter nos homo factus, vitae praesentis iter arripuit et venit secus vulneratum, in similitudinem hominis factus, et habitu inventus ut homo, compassionis nostrae susceptione finitimus et misericordiae collatione vicinus. Alligavit vulnera eius, peccata redarguendo cohibuit. Infundit oleum, dum poenitentibus tribuit spem, dicens: Poenitentiam agite, quia appropinquavit regnum caelorum. Infundit vinum, dum peccantibus terrorem incutit poenae, dicens: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Iumentum caro ipsius est, in qua ad nos venit, in qua saucium imponit, ‘quia peccata nostra portavit in corpore suo’. Imponitur vero qui ipsam Incarnationem credit et eius mysteriis tutari ab hostili incursione credit. Stabulum est praesens Ecclesia, ubi reficiuntur viatores et in aeternam patriam redeuntes. Impositus iumento in stabulum ducitur, quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus, Ecclesiam intrat. Et curam egit, ne aeger praecepta dimitteret, quae acceperat. Sed non vacat Samaritano diu in terris degere: redeundum erat unde descenderat. Itaque altero die, idest post Resurrectionem suam, quando amplior aeternae lucis splendor, quam ante Passionem, effulsit in mundo, protulit duos denarios, duo Testamenta, in quibus aeterni regis nomen et imago continetur; stabulario, idest apostolis, dedit, quia tunc illis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas, ad regendum populum. Et quodcumque supererogaveris. Supererogat Apostolus, qui dicit: De virginibus praeceptum non habeo, consilium autem do; supererogat etiam, ‘cum non utitur potestate accipiendi stipendia’. Rediens in iudicio, reddet dicens: Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Quis horum trium. Iuxta litteram patet, quod alienigena ierosolymitae, cui misericordiam impendens, proximior fuit quam sacerdos vel levita gentis eiusdem. Nemo propinquior quam qui vulnera nostra curavit, quia unum est caput cum membris. Diligamus ergo eum ut Deum et Dominum et diligamus quasi proximum; diligamus etiam eum qui imitator est Christi. Unde sequitur: Fac similiter. Ut vere te proximum sicut teipsum diligere manifestes, quidquid vales, in eius corporali vel spirituali necessitate sublevanda, devotus operare”.

19 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Mediator autem unius non est, Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut repromissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ecce hic aperte habes quod nec sacerdos nec levita, idest sacrificium et ministerium veteris legis, humanum genus potuerunt vivificare et iustificare, sed solus mediator et Samaritanus noster, Iesus

Christus, vulneratum curavit, semivivum vivificavit, ipsum, super seipsum imponens, ad stabulum Ecclesiae reduxit, ut ei, credenti in ipso Iesu Christo, vitae aeternae daretur repromissio. Non ergo ex sacerdote vel levita iustitia, sed ex fide Iesu Christi. "Conclusit Scriptura omnia sub peccato. Hoc est quod dicit [idem] Apostolus ad Romanos: Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur, ac si diceret: Notis per legem peccatis, conclusi sunt, ut se excusare non possint, sed quaerant misericordiam" Samaritani et mediatoris nostri. De quo habes concordantiam in Iob: Non est, inquit, qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus. Si duo inimici, gladios habentes in manibus, ad invicem pugnarent, quis inter eos se medium vellet ponere et utrumque refrenare, nisi ille qui cum utroque affinitatem haberet? Deus et homo pugnabant ad invicem. Deus gladio poenae, homo gladio culpae. Nullus hanc litem potuit dirimere. Venit Christus utrique parti affinis, quia Dei et hominis Filius, medium se posuit, utrumque refrenavit. "Hominem enim arguit, ne delinqueret, et patiendo Deo Patri obstitit, ne feriret. Et manum posuit in ambobus, quia et homini exemplum agendi praebuit, et Deo in se opera quibus placaretur ostendit". Quem, fratres carissimi, unanimiter deprecemur, qua vulnera peccatorum nostrorum sanet, nos sibi reconciliet, ut ad caelestem Ierusalem, a qua cecidimus, de hac Iericho redire mereamur. Ipso adiuvante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

20 – Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones etc. Dicit Dominus ad Iob: Indica mihi, si nosti, in qua via habitet lux, et tenebrarum quis sit locus. "Iustitia, lucis nomine; iniquitas per tenebras designatur". In Ierusalem habitat lux; Iericho locus est tenebrarum. Quicumque ergo ab Ierusalem in Iericho descendit, a luce iustitiae in tenebras iniquitatis devenit. Unde dicitur: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho etc. Nota: quid homo, quid Ierusalem et Iericho, quid latrones, quid sacerdos et levita, quid samaritanus, oleum et vinum, quid iumentum, stabulum, stabularius, et duo denarii moraliter significent, videamus. Cum his omnibus auctoritates libri Iob, prout Dominus dederit, concordabimus. Iste homo est quilibet vir iustus, qui dum poenitentiae operibus intendit, dum in dulcedine contemplationis se suspendit, dicens cum Iob: Suspendium elegit anima mea, procul dubio Ierusalem inhabitat. Tunc vere est Iob, 'vir simplex, rectus ac timens Deum et recedens a malo, habens septem filios et tres filias'. Septem filii viri iusti sunt illae septem beatitudines, de quibus dicit Dominus in Matthaeo: Beati pauperes spiritul. "Haec beatitudo habet duas partes, rerum scilicet abdicationem et spiritus contritionem, ut etiam bonus se inutilem et ceteris reputet inferiorem". Pauperes spiritu ad nulla alta se erigunt, sed quae timoris et verae humilitatis sunt excolunt. Unde dicit Iob: Commuto faciem meam et dolore torqueor. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Faciem suam commutat qui non alta, quae prius sapiebat, sed vilia et humilia de se recogitat, et sic pro anteactis dolore torquetur. Pauper spiritu opera sua veretur, timens desidiam et fraudem. "Desidiam facit minor amor Dei; fraudem proprius amor sui, dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel favoris aura vel quaelibet res exterior desideratur. Sed beatus qui excutit manus suas ab omni munere". Nota quod "munus ab ore est gloria per favorem; a corde est expectata gratia a cogitatione; ex manu, praemium per dationem". "Contra hoc timor habendus est, qui munit, sciens quod non parceret delinquenti. Etsi enim peccantes ad poenitentiam vocat, tamen numquam peccatum sine ultione praeterit: vel homo punit vel Deus". Item: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. "Mitis est quem mentis

asperitas, seu amaritudo, non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruit patienter". Unde dicitur "mitis, quasi mutus", illatae iniuriae non respondens. Unde dicit Iob: Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me; et non magis tacui, neque egressus sum ostium. "Ac si aperte dicat: Turbatis contra me extrinsecus aliis, ipse in me intrinsecus inturbatus mansi". Et despectio propinquorum terruit me. "Sunt qui despici metuunt. Hi coguntur ostium egredi, qui pulsati contumeliis, dum de se quae nesciebantur aperiunt, tamquam per oris ostium egrediuntur". GREGORIUS: "Nihil mundi cupere magna est securitas, ut immutabili haerens, omnibus infra turbatis, non turbetur in mente; et si extra, carnis infirmitate". "Qui non timet despici, per linguam foras non exilit". Dicit AUGUSTINUS: "Si apud quos vixeris te recte viventem non laudaverint, illi in errore; si autem illi te laudaverint, tu in periculo. Item: Beati qui lugent. Unde Iob: Facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt. Et iterum: Moerens incedebam. Ibi GREGORIUS: "Vir sanctus, elevatus rebus et honoribus, moerens incedebat, quia, etsi hunc praelatum hominibus gloria potestatis ostendebat, interius tamen, moerore suo, sacrificium Domino contriti cordis offerebat". Item: Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam. De qua dicit Iob: Iustitia indutus sum, et vestivit me sicut vestimento, et diademate iudicio meo. "Ille iustitia sicut vestimento induitur, qui se undique bono opere induit vel protegit, et nullam partem actionis suae peccato nudam relinquit. Iustorum iudicium diadema dicitur, quia per hoc non in terrenis et infimis, sed sursum remunerari concupiscunt". Item: Beati misericordes. Unde Iob: Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. Si despexi pereuntem eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est. Item: Beati mundo corde. Unde Iob: Si secutus est oculus meus cor meum et manibus meis adhaesit macula. Si deceptum est cor meum super mulierem, et si ad ostium vicini mei insidiatus sum... Hoc enim nefas est et iniquitas maxima. Ignis est usque ad consumptionem devorans, et omnia eradicans germina. "Ac si dicat: Nec videre volui quod concupiscerem, nec videndo secutus sum quae concupivi. Nec adhaesit macula in manibus, culpa scilicet in actionibus meis. Quia si qua illicita aliquando cogitavit pervenire illa usque ad opera non permisit. Ignis est etc. Quia non usque ad inquinationem ignis luxuriae maculat, sed usque ad perditionem devorat. Et omnia eradicat germina. Germina sunt bonae operationes animae, quia si luxuriae malo non resistitur, et illa pereunt quae bona videbantur". Item: Beati pacifici. Unde Iob: Si contempsi subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me, quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est? et formavit me in vulva unus? GREGORIUS: "Ad iudicium cum famulis aequalis venit, quia iudicium eius qui super omnia est metuit. Se sub vero Domino famulum conspicit, ideo cordis altitudine se super famulos non extollit. Qui iudicari cum servis suis ancillisque non renuit, liquido indicat, quia contra nullum proximum tumidus fuit. Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata aequalitate conditionis".

21 – Istae septem beatitudines sunt septem filii viri iusti, quorum gloria nobilis, potens et clarus efficitur. Tres filiae sunt contritio, confessio et satisfactio, de quibus, locis

pluribus, satis est dictum. Ecce quanta lux, quanta gloria est in Ierusalem, idest vitae sanctitate. Sed quantae tenebrae, quanta miseria cum ab Ierusalem descendit in Iericho, "quae interpretatur luna vel odor", et significat temporalium defectivam prosperitatem, de qua dicunt filii huius saeculi, in Ieremia, praedicatori: Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginae caeli et libemus ei libamina. Ex eo tempore quo cessavimus ei sacrificare, indiguimus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus. Regina caeli dicebatur luna, per quam defectiva temporalium prosperitas intelligitur, cui carnales serviunt, a qua si decesserint credunt se fame et gladio consumi, et ideo nolunt audire sermonem Domini. Ad hanc lunam non descenderat Iob, cum dicebat: Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi: Fiducia mea! Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare. "De Creatore quippe desperasset si spem in creatura posuisset. Nihil extra Deum menti sufficit, quae Deum veraciter quaerit". Ab Ierusalem in Iericho descendit, qui a luce paupertatis in tenebras divitiarum cadit. Dicitur quod lupus, videns lunam in puteo, credidit esse caseum; qui consilio vulpis in puteum descendit et nihil invenit, ibi remansit cum tristitia; quem cum rustici ibidem invenissent, lapidibus obruerunt. Sic aliquis religiosus vidit in puteo mundanae vanitatis lunam clare incedentem; credidit, stultus, consilio vulpis, idest concupiscentiae carnalis, transitorium et mutabile esse verum et durabile. Qui, deceptus, descendit ab Ierusalem in Iericho, ab altitudine contemplationis in puteum cupiditatis, et sic incidit in latrones, qui eum spoliant, et plagas imponunt et semivivo relicto abeunt. Latrones sunt quinque corporis sensus, de quibus habes concordantiam in Iob: Simul venerunt latrones eius, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum. 'Latro a latitando in insidiis dicitur'. Corporis sensus, dum sub specie latitant necessitatis, ponunt insidias voluptatis; qui simul, ut facilius decipiant, veniunt et per animam miseram viam latam, quae ducit ad mortem, faciunt. Quibus nostri corporis tabernaculum in gyro est obsessum, ut anima, undecumque voluerit exire, in ipsos incidat, 'qui ipsam spoliant gratuitis et vulnerant in naturalibus'. Unde habes concordantiam in eodem Iob: Semitam, inquit, meam circumsepsit, et transire non possum; et in calle meo tenebras posuit. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Destruxit me undique et pereo, et quasi avulsae arbori abstulit spem meam. 'Animae miserae tunc semita est circumsepta, cum, corporis sensibus dedita, bona, quae agenda videt, implere non potest. Tunc ei tenebrae ponuntur in calle, cum nec quae agenda sunt praevalet discernere'. Gloria spoliatur, cum Sancti Spiritus gratia denudatur; ei corona aufertur, cum pura mentis intentione privatur, et sic destructa perit, et est quasi arbor sine radice humilitatis, avulsa vento diabolicae suggestionis, de terra aeternae stabilitatis, cui non remanet spes divinae miserationis.

22 – Ecce in quantam miseriam devenit qui ab Ierusalem in Iericho descendit, et ideo debet dolere et plangere cum Iob et dicere: Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras; non requirat eam Deus desuper, et non sit in recordatione, nec illustretur lumine. Obscurent eum tenebrae et umbrae mortis; occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat; non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stellae caligine eius! expectet lucem et non videat, nec ortum

surgentis aurorae. Quia non clausit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ab utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Nota. "Dies est peccati delectatio; nox, mentis caecitas. Homo tribus modis dicitur: per naturam, per culpam, per infirmitatem. Homo ergo in die nascitur, nocte concipitur, quia ad delectationem peccati non rapitur, nisi prius per mentis tenebras infirmetur. Sed pereat dies, idest, peccati delectatio vigore iustitiae destruatur. Et nox. Idest, quod caecata mens per consensum perpetrat, dum blandimenta delectationis caute non prospicit, poenitentia extinguat. Ne autem culpa, quae blandiri incipit, ad interitum trahat, dies vertatur in tenebras, idest, in exordio delectationis, ad quem finem perditionis rapit, videatur, et per poenitentiam crucietur. Quod si ita punita est: Non requirat eam Deus, in iudicio, ut puniat, et non illustrabit. Illustrat lumine quod arguit, sed quasi tegitur quod in memoria iudicis non revocatur. Unde: Beati quorum tecta sunt peccata, ne tunc in conspectu hominum monstrentur. Non illustrentur sed obscurent eum, idest diem delectationis, ne ab eo, qui omnia videt, videatur. Tenebrae, idest lamenta poenitentiae vel occulta Dei iudicia, quibus praeveniente gratia absolvimur, quae nos mereri nescimus. Et umbra mortis, idest mors Christi, secundum carnem, quae nostram duplam destruxit. Unde uno die et duabus noctibus in sepulcro iacuit, quia lucem suae simplae mortis nostrae duplae tenebris adiunxit. Vera mors dicitur, qua anima separatur a Deo; umbra, qua caro ab anima. Aliter, dicitur umbra mortis oblivio, quae agit, ut non sit res in memoria, sicut mors agit, ut [non] sit quod capit in vita. Occupet eum caligo, idest mentis confusio adducens gloriam. Et involvatur omni parte amaritudine poenitentiae. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, quasi diceret: Turbo tempestatis concitatus spiritu moeroris, qui mentem tristitia obnubilat. Iste est 'spiritus, qui conterit naves Tharsis', idest vis compunctionis, quae mentes maris, idest mundo deditas, salubriter rore confundit. Non computetur in diebus anni etc. Annus nostrae illuminationis perficitur, cum, veniente iudice, nostra peregrinatio completur. Dies anni sunt singulae virtutes. Menses, multiplicia facta virtutum. Sed cum his timet ne iudex mala compenset; orat ergo, ut tunc sic bona remuneret, ne mala requirat. Si enim haec nox cum diebus numeretur, iam omnia obscurantur. Ut autem tunc non numeretur, modo discutiamus, ne qua culpa sit impunita, ne quis quod egit defendat, addens nequitiae nequitiam. Unde addit: Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Sunt enim qui mala laudant et defendunt, et sic culpa geminatur, nec remanet solitaria. Contra quos dicitur in Ecclesiastico: Peccasti, ne adiicias iterum, peccare, idest mala defendere. Culpam vero bene insequitur, qui nulla prospera saeculi appetit. Unde sequitur: Maledicant ei qui maledicunt diei. Illi bene noctem poenitendo feriunt, qui lucem prosperitatis calcant, qui diem delectationis non habent. Vel, dies est suggestio hostis; et est sensus: Illi transacta vere puniunt, qui in ipsa blanda suggestione insidias seductoris deprehendunt, qui contra se amplius suscitant Leviathan – de hoc quaere in evangelio: Cum immundus spiritus exierit ab homine –. Sed quia, victis vitiis, aliquid minimum remanet quod vinci non potest, ne victor elevetur, subdit: Obscurentur stellae caligine eius, scilicet noctis, quia et splendentes virtutibus reliquias noctis trahunt, scilicet ex circumstantiis etiam renitentes, ut tamen luceant melius unde nolentes humiliter obscurentur. Unde dicitur in libro Iosue, quod 'tribui Ephraim, in terra promissionis, Chananaeus non occisus fit tributarius', quia, cum spe intramus caelestia, inter optima restant vitia, quae tamen serviunt nobis ad usum humilitatis, ne superbiat qui vincere non potest, licet parva. Unde rursus: Hae sunt gentes quas reliquit Dominus, ut in eis erudiret Israel; idest vitia, in quibus iustus semper

exercetur, et dum vinci timet, elatio virtutis comprimitur et in parvis discit, quod ipse maiora non vincit. Vel: Obscurentur stellae caligine eius noctis, quia nox, idest consensus ad culpam, ab Adam in nos propagata, ita oculum turbat, ut etiam hi qui lucent mundo ut astra, aeternum lumen ut est videre non possint. Et hoc est: Expectet lucem et non videat, quia quantolibet ardore exiliant, tamen in hac carne lumen ut est non videbunt, pro caecitate damnationis in qua nati sunt. Nec ortum surgentis aurorae. Ortus aurorae est nova nativitas resurrectionis, qua sancti orientur cum carne ad lumen aeternum videndum. Sed quantumcumque hic fulgeant electi, nequeunt penetrare quae erit illa gloria novae nativitatis. Haec nox non clausit sed aperuit ostia ventris, quia concepto ad peccatum homini desideria concupiscentiae reseravit. His autem ostiis, idest desideriis concupiscentiae carnalis reseratis, ad innumera corruptionis mala pertrahimur. Unde gravati gemimus, quia hoc iustitia exigit, ut quod sponte fecimus, inviti toleremus. Sequitur: Quare non in vulva mortuus sum etc.? Vulva, in qua in peccato concipitur homo, est mala suggestio. Sed utinam in ea mortuus, idest me mortuum novissem, ne ad delectationem suggestio traheret. Egressus ex utero non statim perii. Egressus est de utero, quem in peccato conceptum foras delectatio rapuit, sed utinam in ea delectatione occumberem, ne usque ad operationis consensum desiperem".

'Cur exceptus genibus? Exceptus est genibus, quando per consensum spiritus omnes sensus et membra substernuntur ad perpetrationem mali operis, quemadmodum genua puero. Cur lactatus uberibus? Uberibus etiam lactatur, cum cassa fiducia et blandis excusationibus fovetur. Nota etiam quod in opere prius latens culpa agitur, et tunc est in vulva; post ante homines sine pudore aperitur et tunc exit ex utero; inde in consuetudinem ducitur, et tunc genibus excipitur; post vel falsa spe vel desperatione nutritur, et tunc uberibus lactatur'.

23 – Ecce habes quod ille, qui ab Ierusalem in Iericho descendit, quantis lamentis dolere et poenitere debet. Ubi et subditur: Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via et viso illo praeterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. In sacerdote amor dominandi, in levita hypocrisis designatur. De his duobus simile quid habes in libro Iudicum, ubi legitur quod Abimelech pugnabat fortiter ad capiendam turrim; et appropinquans ostio ignem supponere nitebatur. Et ecce mulier una fragmen molae desuper iaciens illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius. Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina cito gladium tuum et percute me, ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui iussa complens interfecit eum. Quid Abimelech et turris, quid ostium et ignis, quid mulier et fragmen molae, quid cerebrum et armiger Abimelech significent videamus. "Abimelech interpretatur pater meus rex" et significat illum qui, quasi pater et rex, aliis vult praeesse. Turris est altitudo dignitatis, ad quam expugnandam accedit. Sed, ut ipsam facilius accendere possit, ignem, idest marchas auri et argenti, de quo Propheta: Ignis in domo impii, supponit ostio, idest illis, qui ostium Ecclesiae videntur esse, ut per ipsos, tali igne adustos, in turrim valeat ascendere. Vel ostio, idest ipsorum curiae ostiariis et notariis, qui sunt pessimi emunctores, qui sanguinem pauperum emungunt, bursas divitum evacuant, et suis nepotibus et neptibus, et forte filiis et filiabus, distribuunt, in pittaciis petitiones recipiunt, et pro eis auri et argenti pondera percipiunt. De quibus dicit Iob: Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Et iterum: Abundant tabernacula

praedonum vel latronum, et audacter provocant Deum; cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Et iterum: Sunt quasi onagri in deserto: egrediuntur ad opus suum, vigilantesque ad praedam, praeparant panem liberis ac nepotellis suis. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes. De civitatibus fecerunt viros gemere, et animae vulneratorum clamabunt, et Deus inultum abire non patietur. Ipsi fuerunt rebelles lumini, et ideo lumine gratiae et gloriae privabuntur. Infelix Abimelech, qui praeesse desiderat non ut prodesse valeat, iter arripit, non timens fallaciam hospitum, frigus Alpium, calorem italicum, non discrimina Tusciae, non latrones Romae. Accedit tantum ad ostium, supponit ignem, exoneratur auro, oneratur plumbo, in pittacio suspenso. Et quid huic infelici ascendere cupienti eveniat, videamus. Et ecce mulier etc. Mulier ista caro est; fragmen molae, quo confringitur cerebrum, est sollicitudo ambitiosi, qua eius mens dispergitur in praesenti, et postmodum ipse dissipabitur percussione districti iudicii. Unde Iob: Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum aereum. Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua. GREGORIUS: "Arma ferrea sunt necessitates vitae praesentis, quae dure premunt. Aere sententia aeterna figuratur, quae, quia ab iniquo non attenditur, iuste arcui, qui ex insidiis percutit, comparatur. Fugiet ergo arma ferrea etc., quia dum, praesentes necessitates metuens, multa per avaritiam rapit, aeterni iudicii se percussionibus opponit. Eductus et egrediens etc. Iniquus, dum prava in cogitatione machinatur, quasi gladius in vagina est; de vagina egreditur, dum per iniquitatem malae operationis aperitur. Fulguris nomine splendor exprimitur cum percussione. Qui ergo praepositus in potestate aliis nocet, fulgurans dicitur, quia unde contra bonos quasi ex luce gloriae extollitur, inde bonorum vita cruciatur". Sequitur: Qui vocavit armigerum suum etc. Armiger "qui arma gerit" et cum ipsis non pugnat, est hypocrisis, per quam infelix Abimelech magis vult perire quam per mulierem, idest per opera carnalia. Unde de utroque dicit Iob: Cum fuerit tempus, struthio in altum alas erigit. 'Struthio, cuius penna est similis pennis herodii et accipitris, hypocritam significat, qui de pluma alienae sanctitatis magnificat sibi fimbrias. Hic alas habet pressas, scilicet cogitationes, quas, cum tempus fuerit, in altum elevat; quia, opportunitate comperta, ea superbiendo manifestat. Nunc autem qui se sanctum simulat, qua via in semetipso stringit quae cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat'. Ecce iam habes quis sit sacerdos, sacras auri et argenti marchas, quasi hostias, offerens diis, de quibus: Omnes dii gentium daemonia; quis etiam sit levita, eius minister.

24 – Dicatur ergo, quod sacerdos et levita, vulneratum spoliatum, semivivum videntes et contemnentes, pertranseunt. Unde habes concordantiam in Iob: Struthio derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, duratur ad filios suos quasi non sint sui. "Struthio est hypocrita, temporalium altitudinem appetens, qui ova sua, idest filios quos genuerat, derelinquit, et omnino non curat, ne, aut exhortationis sollicitudine aut disciplinae custodia destitutos, pravorum operum exempla pervertant, aut bestia agri conterat. Ager est mundus, bestia diabolus, qui huius mundi rapinis insidians – animam, ab Ierusalem in Iericho descendentem, spolians et vulnerans – humana quotidie morte satiatur. Et est sensus: Si diabolus, in hoc mundo saeviens, editos in bona conversatione rapiat, hypocrita omnino non curat. Unde additur: Duratur ad filios suos etc. Quem enim caritatis gratia non infundit, proximum suum, etiam si ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit. Unde bene praemittitur: Derelinquit ova sua in terra. Ova in terra derelinquere est nullum caelestis

vitae exemplum filiis praebere. Sed quia eos superna cura non deserit, ideo sequitur: Tu forsitan, in pulvere calefacies ea? Ac si diceret: Ut ego qui illa in pulvere calefacio, quia scilicet parvulorum animas, in medio peccantium – qui sunt ut pulvis, quem proicit ventus a facie terrae – positas, amoris mei igne succendo".

25 – Unde bene sequitur in evangelio: Samaritanus autem iter faciens secus viam et videns eum, misericordia motus est. Et appropinquans alligavit vulnera eius, et infundens oleum et vinum et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum et curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario etc. Samaritanus, "qui interpretatur custos", Sancti Spiritus gratiam significat, de qua Iob: Quis mihi tribuat ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei. Anima, ab Ierusalem in Iericho descendens et in latrones incidens, videns se spoliatam et vulneratam, considerans Baptismi innocentiam, contemplationis dulcedinem, vitae puritatem pristinam suspirans et plangens, dicit: Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, idest vitae perfectionem, secundum dies, idest conscientiae claritatem, exempli illuminationem, quibus Deus custodiebat introitum et exitum meum? Introitum ad contemplationem, exitum ad operationem; introitum ad conscientiam, exitum ad proximi famam. Quando lucerna splendebat, idest eius gratia, super caput, idest mentem meam, ad cuius lumen ambulabam per semitam iustitiae, in tenebris, idest in falsis fratribus. Heu! heu! quis mihi tribuat, ut sim sicut in diebus adolescentiae meae, idest baptismalis innocentiae et purae vitae; quando secreto Deus erat – 'plangitur simulatio, quando Deus est in publico, non in secreto' – in tabernaculo meo, "ut intus secreto proficerem". Postquam vero a secreto exii, in latrones incidi. Dum eram in secreto, erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei, idest sensus corporis mei, mihi pure fideliter ministrantes. Sed heu! heu! infelix, cum ab Ierusalem descendi, a secreto exii, pueri mei facti sunt latrones mihi, qui me spoliant et vulnerant. Sed Sancti Spiritus gratia, 'qui orat, idest orare facit, gemitibus inenarrabilibus', qui est 'pater pauperum, dator munerum, lumen cordium', quid animae vulneratae faciat, audiamus. Alligavit, inquit, vulnera eius infundens oleum et vinum. In oleo, quod illuminat, peccati cognitio; in vino, quod inebriat, designatur lacrimarum compunctio, quae animam inebriat, ut temporalium obliviscatur. Ebrietas etiam lacrimas provocat. Super his duobus habes concordantiam in Iob, ubi dicit Dominus: Per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonanti tonitrui, ut plueret super terram? Via est Sancti Spiritus gratia, per quam lux, idest peccati cognitio, spargitur, et tunc aestus, idest ardor contritionis, dividitur super terram, idest ipsum peccatorem facit dividere corpus peccati, ut ipsum et eius sic circumstantias membratim dividat; et sic dat cursum vehementissimo imbri, idest compunctioni lacrimarum, quarum vehementia culpae et verecundiae frangit obstacula, et tunc dat viam sonanti tonitrui, idest aperit viam confessionis, quae tamquam tonitrus daemones exterret. Unde dicitur in primo libro Regum: Intonuit Dominus fragore magno super Philisthaeos et exterruit eos, et caesi sunt a filiis Israel. In tonitruo et gladio confessionis Philisthaei, "idest daemones", exterriti caeduntur a filiis Israel, idest vere poenitentibus. Bene ergo dicitur: Infundens oleum et vinum, alligavit vulnera eius. Sancti Spiritus gratia vulnera animae ligat, cum spem veniae, stolam gloriae poenitenti

repromittit. Et imponens eum super iumentum etc. ‘Iumentum dictum, quasi iuvamentum’, est obedientia, quae dicit: Ut iumentum factus sum apud te. Dum enim alienae voluntati anima supponitur, tunc adiuvata superfertur. Dum enim portat portatur. Stabulum est foetor propriae iniquitatis. Stabularius, spiritus contritionis. Duo denarii sunt duo genera compunctionis, scilicet pro commisso et omisso. Poenitens enim debet lugere, quia commisit prohibita, et dimisit agere sibi praecepta. Anima peccati saucia, sed Sancti Spiritus emplastro curata, super iumentum obedientiae ducitur ad stabulum, idest foetorem iniquitatis propriae, ut ibi sedeat cum Iob, de quo dicitur: Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. “Testa vocabulum ab argilla excocta sumpsit, quae dum mollis sit efficitur testa”. Unde testa quasi tosta est dicta, et significat asperitatem poenitentiae, qua poenitens, sedens in sterquilinio, idest humilians se in sui peccati foetore, debet radere suorum peccatorum saniem. “Sanies dicta, quod ex sanguine nascitur; excitato enim calore vulneris in saniem vertitur”. “Sanies est sanguinis putredo”; putredinem enim culpae debet radere asperitate poenitentiae. Et nota quod nullus potest reverti in Ierusalem, nisi super iumentum obedientiae imponatur. Unde Dominus sedens super asinum ingressus fuit Ierusalem. De hoc iumento dicit Nehemias in libro Esdrae: Non erat locus iumento, cui sedebam. Corpus nostrum, quod debet esse quasi iumentum humile, obediens et abiectum, cui supersedere debet anima, in hoc mundo non debet habere locum, quia locus hominis est super omnia. Unde: Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Nota etiam quod dicitur in NATURALIBUS, quod ‘quando iumentum est in luxuria, si tondeantur eius crines, mansuescit’. Ita corpori nostro debemus facere; quando enim temporalium abundantia lascivire et carnis petulantia voluerit luxuriare, tunc debemus ipsum deturpare, et ei quasi stulto caput tondere. Unde dicitur de Iob, quod ‘tonso capite corruit in terram’. Scabioso et gravi infirmitate praegravato, solemus caput tondere. Huic corpori, scabioso et infirmo, divitiarum et deliciarum crines debemus tondere, ut, tamquam animal mansuetum, ad civitatem Ierusalem valeat nos deportare. Rogemus ergo, fratres carissimi, Sancti Spiritus gratiam, ut animarum nostrarum vulneribus oleum et vinum infundat misericordiae suae, fasciis alliget, super iumentum obedientiae imponat, ad stabulum, nostrae scilicet iniquitatis recordationem, ducat, stabulario, spiritui scilicet contritionis, nos commendet, ut sub ipsius cura tamdiu simus, quousque duobus denariis, idest duplici genere compunctionis, pristinam et perditam sanitatem recuperemus; qua recuperata ad Ierusalem, de qua cecidimus, redire valeamus. Ipso praestante, qui cum Patre et Filio vivit et regnat, unus Deus, per aeterna saecula. Dicat omnis poenitens anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in dominica decimaquarta post Pentecosten: Dum iret Iesus in Ierusalem, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de gratiae infusione, ibi: Radix mea aperta. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de aedificio caelestis conversationis, ibi: Si reversus fueris ad Omnipotentem. Item contra religiosos et clericos, ibi: Terra de qua oriebatur panis. Item de constantia mentis, ibi: Dabit pro terra silicem. Item thema ad contemplativos, et de natura aquilae, ibi: Numquid ad praeceptum tuum; et in eodem de

lapide amethysto. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de quinque generibus leprae et eius significatione, ibi: Cum ingrederetur. Item contra dignitatis gloriam, ibi: Nonne lux impii. Item contra luxuriam, ibi: Oculus adulteri. Item contra rapinam, ibi: Terminos transtulerunt. Item contra invidiam, ibi: Virum stultum. Item de quinque locis, in quibus est lepra, et eorum significatione. Item contra discordiam, ibi: Si sacerdos invenerit. Item de quinque quae debet habere poenitens, ibi: Habebit vestimenta dissuta. Item de bona verecundia in confessione, et confitenda peccati circumstantia, ibi: Esther roseo vultum colore. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema sermonis de referenda Deo laude pro collata misericordia, ibi: Unus ex illis. Item de ruina iusti et duplici genere tentationis, ibi: Mons cadens.

Exordium. De gratiae infusione

1 – In illo tempore: Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam etc. Dicit Iob: Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Nota ista quattuor: radicem, aquas, rorem et messionem. In radice purae mentis cogitatio, in aquis gratiae infusio, in rore gloriae beatitudo, in messione animae a corpore separatio designatur. Cum ergo purae mentis cogitatio per devotionem aperitur, caelestis gratiae aqua infunditur. Unde in Apocalypsi: Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, ecce radix aperta, intrabo ad illum etc., ecce secus aquas. Unde in Canticis sponsus sponsae loquitur: Aperi mihi, soror mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Ac si diceret: O anima, si radicem tuae mentis mihi aperueris, ex capite meae divinitatis infundam tibi rorem et guttas gratiae caelestis, quae te refrigerabunt in nocte tribulationis. Et bene dicit guttas. Gratia enim in praesenti est quasi gutta respectu aeterni praemii. “Gutta est quae stat; stilla vero quae cadit”. ‘Gutta dicta, quasi glutinosa’. Ille habet guttam, qui ut gratiam recipit non amittit; ille vero stillam, ‘qui ad tempus credit et in tempore tentationis recedit’. Item, super hoc habes concordantiam in eodem Iob: Lignum habet spem; si praecisum fuerit, rursum virescet et rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquae germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est. “Lignum dictum, quod incensum convertatur in lumen”, ‘et significat virum iustum”, qui, dum igne amoris succenditur, in lumen boni exempli convertitur. Hic, si securi peccati mortalis fuerit praecisus, non debet desperare de Dei misericordia, quae est maior quam eius miseria, sed debet habere spem, quia rursum virescet per poenitentiam; et rami eius, idest opera eius, pullulabunt. Et si radix, idest intentio cordis eius, senuerit in terra, idest terrenis, et truncus, idest opus illius emortuum fuerit in pulvere, idest mundi vanitate, tamen si ad Deum se converterit, ad odorem aquae, idest Sancti Spiritus gratiam, germinabit in confessione et faciet comam in operis satisfactione. Bene ergo dicitur: Radix mea aperta est secus aquas. Sequitur: Et ros morabitur in messione mea. “Messio accipitur, cum perfecte animae corporibus subtractae, velut maturae segetes a terra decisae, ad caelestia horrea demigrant”; et tunc ros moratur in messione, quia suavitas aeternae visionis satiat animas electorum. Ad cuius roris suavitatem percipiendam, per mediam Samariam et Galilaeam transeuntes, debemus ire cum Iesu Christo. Unde dicitur in hodierno evangelio: Dum iret Iesus in Ierusalem etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Iesu Christi in Ierusalem per

Galilaeam et Samariam transitio, cum praemittitur: Dum iret etc. Secundum, decem leprosorum mundatio, ibi: Et cum ingrederetur quoddam castellum. Tertium, alienigenae ad glorificandum Deum regressio, ibi: Unus autem ex illis. In introitu hodiernae missae cantatur: Inclina, Domine, aurem tuam ad me, et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Galatas: Spiritu ambulate, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus sancti evangelii clausulis concordare. Prima est: Spiritu ambulate. Secunda: Manifesta autem sunt opera carnis. Tertia: Fructus autem spiritus est caritas. Nota quod ideo haec epistola legitur cum isto evangelio, quia in evangelio fit mentio de leprosis et eorum mundatione, et in epistola ponuntur vitia, ex quibus provenit lepra peccati in anima, et ponuntur virtutes, quibus anima mundatur ab omni lepra.

I – De Iesu Christi in Ierusalem per Galilaeam et Samariam transitione

3 – Dicamus ergo: Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. Omnia verba, quae ponuntur in hac prima clausula, valde sunt notabilia. Quicumque in Ierusalem vult ire, necesse habet prius per mediam Samariam et Galilaeam transire. “Samaria, custodia”; “Galilaea, transmigratio”; “Ierusalem interpretatur pacis visio”. Qui praecepta custodit ad virtutes transit, ut sic in Ierusalem ire possit. Beatus Iob per Samariam transierat, unde dicebat: Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus, appendat me in statera iusta, et sciat Deus simplicitatem meam. “Scire Dei dicitur scire nos facere”. “Staterae nomine mediator Dei et hominum designatur, in quo aequa lance merita nostra pensantur, et in cuius praeceptis agnoscimus quid in nostra vita minus habemus. Et est sensus: Si qua umquam leviter, si qua perniciose perpetravi, appareat mediator, ut in eius vita cognoscam, an ego veraciter simplex fuerim”. Item, per mediam Galilaeam transibat ipse Iob, cum dicebat: Librum scribat ipse qui iudicat, ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi. Per singulos gradus pronuntiabo illum, et quasi principi offeram eum. “Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Qui, veniens ad nostram redemptionem, nobis Novum Testamentum condidit, eritque quandoque auctor iudicii, qui nunc est conditor libri, ut tunc districtus exigat, quod nunc mansuetus iubet. Librum in humero portare est Scripturam Sacram operando perficere. Prius autem describitur in humero portari et postmodum sicut corona circumdari. Quia sacri iterum eloquii mandata, si bene modo portantur in opere, postmodum nobis victoriae coronam exhibent in retributione. Per singulos gradus meos etc. Incrementa virtutum gradus vocat, quoniam per ipsa ascenditur, ut ad caelestia obtinenda veniatur. Et quasi per singulos gradus suos librum pronuntiat, qui percepisse se eius scientiam, non per verba tantummodo, sed per opera demonstrat. Et quasi principi offeram eum. Quod offerimus, manu tenemus. Venienti ergo ad iudicium librum offerre est verba praeceptorum eius in actione tenuisse”.

4 – Nota quod super his tribus verbis, Samaria, Galilaea et Ierusalem, habes concordantiam in Iob, ubi dicit Eliphaz Themanites: Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam. Rogabis eum et exaudiet te, et vota tua reddes. Decernes rem et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen. Si reversus etc. O peccator, si a te, in quo est subversio, ad Deum, a

quo est aedificatio, reversus fueris, vere aedificaberis. Destrue prius aedificium tuum in te, et ipse aedificabit super te suum. Unde dicit in Isaia: Qui dico profundo: Desolare, et flumina tua arefaciam; qui dico Ierusalem: Aedificaberis, et templo: Fundaberis. Profundum, 'dictum quasi procul a fundo', est abyssus malarum cogitationum, quae, si fuerint desolatae, et flumina concupiscentiarum, quae fluunt per canales quinque sensuum, fuerint arefacta, tunc templum, idest mens, fundabitur in sapphyris. Unde in Isaia: Fundabo te in sapphyris, idest vitae aeternae desideriis; et Ierusalem, idest caelestis conversatio, aedificabitur cum propugnaculis. Unde in Isaia: Ponam iaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos. "Iaspis viridis est coloris", "et dicitur fugare phantasias", et significat paupertatem, quae in viriditate fidei hominem conservat et phantasias, idest divitias, quae homines deludunt, fugat. Fides enim temporalia spernit, quae qui diligit fidem abicit. Si aedificium nostrae conversationis aedificatur cum propugnaculis paupertatis, non sunt timendae sagittae antiqui hostis. Portae sunt quinque sensus corporis, quos tunc Dominus in lapides sculptos ponit, cum oculi lacrimarum effusione, lingua sui accusatione, aures praedicatione, manus eleemosynarum largitione, pedes infirmorum sculpuntur visitatione. De hac sculptura dicit Dominus in Zacharia: Ecce ego caelabo sculpturam eius et auferam iniquitatem terrae illius in die una. Caelare est sculpere, "a caelo, idest ferramenti genere, quod vulgo caelionem vocant". Cum Dominus in portis sensuum talem sculpturam caelat, tunc iniquitatem terrae, idest corporis nostri, aufert; et hoc in die una, idest illuminatione unitatis, qua unitur homo exterior cum interiori in servitio Dei. Bene ergo dicitur: Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis, et sic longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. "Corpus animae accipitur tabernaculum et mens cogitationum. Et est sensus: Si ad Deum revertaris, in cogitatione mundaberis et in opere".

5 – Sequitur: Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos. Ecce Samaria, Galilaea et Ierusalem, idest custodia, transmigratio, pacis visio. Terra, propter sui stabilitatem, praeceptorum custodiam significat, de qua dicit Iob: Terra, de qua oriebatur panis, in loco suo igni subversa est. Locus sapphyri lapides eius, et glebae illius aurum. Terra est custodia praeceptorum, de qua oritur panis caelestis refectionis. Si enim praecepta custodis, pane caelestis suavitatis reficeris. Unde non suam sed Domini voluntatem facienti, promittit ipse in Isaia: Cum non facis vias tuas et non invenietur voluntas tua, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudinem terrae, et cibabo te hereditate Iacob patris tui; os enim Domini locutum est. Nostra misera delectatio in duabus consistit viis, idest operatione et prava voluntate; quae delectatio si cessaverit, tunc super Domino delectaberis. Delectare, inquit, in Domino, et dabit tibi petitiones tuas etc. Et tunc sustollet te super altitudinem terrae, ut temporalia contemnas, carnem subicias, praecepta custodias; et sic cibabit te hereditate Iacob, patris tui. Hereditas Iacob, 'idest Iesu Christi', patris nostri, quam nobis dimisit, fuit paupertas et humilitas, obedientia et Passionis angustia, quibus tunc cibamur, cum ipsas cum mentis dulcedine amplectimur. Unde dicit Moyses in Deuteronomio: Inundationes maris quasi lac sugent. Sicut infans cum aviditate et delectatione nimia sugit lac a mammilla materna, sic inundationes maris, idest amaritudines Passionis et tribulationis, debemus sugere a vita Iesu Christi. Et nota quod dicit sugent. Nemo potest aliquid sugere nisi labia comprimat. Nisi sic labia comprimamus ab amore temporalium, sugere non possumus angustias Christi passionum. Dicamus ergo: Terra, de qua oriebatur panis. Sequitur: In

loco suo igni subversa est. Locus praecepti dominici sunt Ecclesiae praelati, clerici et religiosi, in quibus specialem debet habere locum. Sed, heu! ipsa dominica praecepta in loco suo, idest clericis et religiosis, igni luxuriae et avaritiae sunt subversa: caritas, castitas, humilitas et paupertas, quae Domini spiritualia sunt praecepta, in clericis et religiosis sunt subversa. Sunt enim invidi, luxuriosi, superbi et avari. Sequitur: Locus sapphyri lapides eius. "Sapphyri coloris aerei sunt". Praelati, clerici et religiosi solebant esse lapides sapphyri, amore caelestis desiderii; modo facti sunt quasi stercora, immunditia peccati. Glebae illius aurum. 'Gleba est cespes terrae a glebo, idest rustico aratore, qui glebus dicitur'. "Glebae ex humore [et pulvere] constringuntur". Ecclesiae pastores et ordinis professores solebant esse glebae aureae: 'glebae, quia magna se infusione gratiae etiam professionis et operis in unanimitate tenuerunt; aureae, quia virtute vitae et sapientia claruerunt'. Sed modo, ut deplorat Ieremias in Threnis: Filii Sion inclyti et amicti auro primo, reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli, idest diaboli, qui de vasis honoris eos fecit vasa testea contumeliae et in sterquilinium proicienda gehennae. His in sterquilinio dimissis, ad propositum redeamus.

6 – Dabit pro terra silicem, ac si diceret: 'Qui firmiter pro posse suo praecepta custodit, ad insuperabilem virtutum constantiam transmigrabit'. "Silex est durus lapis, dictus, quod exiliat ab eo ignis", et significat virtutis constantiam, ex qua procedit ignis illuminans et incendens proximum ad amorem divinum. De hoc silice dicit Dominus Ezechieli: Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas a facie eorum, quia domus exasperans est. In adamante et silice constantia designatur, quam Dominus ponit in faciem praedicatoris, ne timeat a facie peccatoris, ipsum Deum exasperantis. Unde de praedicatore dicit Dominus ab Iob: Exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. GREGORIUS: Praedicator "exultat audacter, quia adversis non frangitur. In occursum pergit armatis, quia prave ac male agentibus sese pro defensione iustitiae opponit. Contemnit pavorem etc. In pavore ventura poena metuitur, in gladio iam poena de praesenti percussione sentitur. Quia ergo ventura adversa non metuit, pavorem despicit; quia vero nec superveniente percussione vincitur, nequaquam gladio cedit". Item, de hoc silice dicit Iob: Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes. In petris rivos excidit, et omne pretiosum vidit oculus eius. Ad silicem manum extendit, qui ad virtutum constantiam opera sua mittit. Hoc est quod dicitur in Proverbiis: Misit manum suam ad fortia. Et sic subvertit in seipso montes, 'idest cordis superbiam, a radicibus, idest intimis cogitationibus, et excidit rivos compunctionis in petris, idest duritia sui cordis'. Et tunc oculo illuminatae mentis videt omne pretiosum, in cuius comparatione omnia vilescunt. De quo pretioso sequitur: Et pro silice torrentes aureos. Ecce Ierusalem. Ecce omne pretiosum, quod videt oculus illius, qui per Samariam et Galilaeam primo transiit.

7 – Unde, super hoc habes concordantiam in eodem Iob, ubi ad ipsum loquitur Dominus: Numquid ad praeceptum tuum levabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? In petris manet, et in praeruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus; inde contemplatur escam, et de longe oculi eius prospiciunt. "Aquila ab acumine oculorum dicta est", quia 'irreverberato visu solem inspicit'. Unde de ea dicitur in NATURALIBUS, "quod est acuti visus valde, et cogit filios suos aspicere solem, antequam habeant alas completas; et propter hoc percutit ipsos et convertit eos ad aspectum solis. Et si oculus alicuius

lacrimetur, ante alium interficit illum et cibabit alium". Item dicitur de ea, "quod ovat tria ova et eicit tertium. Et iam quidam viderunt aquilam habentem tres pullos; quos si habuerit, tertium a nido eicit, quoniam graviter cibat illos". Dicitur etiam, 'quod collocat amethystum, lapidem pretiosum, in nido cum pullis, ut ab ipsis, ipsius virtute, serpentes arceantur'. 'In aquila, subtilis sanctorum intelligentia et sublimis eorum contemplatio figuratur', qui ad aspectum veri solis, ad lucem sapientiae, filios, idest opera sua, vertunt, ut si aliquid adulterinum, si quid a genere suo extraneum latet, solis splendore appareat. 'Omnis enim iniquitas arguitur a lumine et opera tenebrarum manifestantur in luce'. Unde si viderint aliquod opus suum non recte solem aspicere et eius radiis confundi et lacrimari, statim eum interficiunt. Gratiae radius ostendit quis sit verus filius. Verum opus solem recte aspicit, tribulationis calorem sustinens; non deficit. Opus vero adulterinum terram aspicit, in tribulatione deficit, pro amissione temporalium plangit, et ideo debet interfici, et ex ipso bonum opus cibari. Cum enim in te malum tuum interficis, tunc bonum in te reficis; et unde malum deficit, inde bonum vigorescit. Et nota quod tria ova, vel tres filii aquilae, sunt tres amores viri iusti, scilicet amor Dei, amor proximi et amor sui, quem omnino a nido suae conscientiae debet expellere. Privatus enim amor valde impedit amorem Dei et proximi, et ideo omnino abiciendus. Quem filium Iob a nido suo eiecerat, cum dicebat: Lacero carnes meas dentibus meis. "Dentes dicuntur, quasi cibos dividentes", et significant internos sensus, qui singula inquirunt, et quae cogitant quasi mandunt et comminuunt, atque ad ventrem memoriae transmittunt. His dentibus sancti, si qua in se carnalia deprehendunt, vehementer in seipsis insequuntur et a nido propriae conscientiae eiciunt.

8 – Item nota, quod 'amethystus est praecipuus lapis pretiosus, colore violaceus, flammas evibrat aureas, notulasque purpureas praetendit', et significat vitam Iesu Christi, quae fuit violacea paupertate et humilitate, flammas evibrans aureas in praedicatione et miraculorum operatione, notulasque purpureas praetendens in sua Passione. Hunc amethystum vir iustus debet collocare in nido suae conscientiae, ut a pullis suorum operum arceantur serpentes, idest suggestiones daemonum. Dicamus ergo de aquila: Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila? GREGORIUS: "Ad praeceptum Dei elevatur aquila, cum, iussionibus divinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita. In supernis nidum ponit, quia habitationem mentis suae in abiecta et infima conversatione non constituit. In petris manet. In sacro eloquio, cum singulari numero petra nominatur, Christus accipitur; cum plurali, sancti viri exprimuntur. Unde Petrus: Vos tamquam lapides vivi. Aquila igitur in petris manere dicitur, quia in dictis antiquorum et fortium patrum mentis statione collocatur. Possunt etiam petrae caelestes potestates intelligi, quia velut petrae in arduis sitae, ab omni motu mutabilitatis – quod non arbores – alienae sunt. Vir ergo sanctus perennem angelorum gloriam praestolatur, atque huic mundo hospes, illa appetendo quae aspicit, iam in sublimibus figitur. In praeruptis silicibus commoratur. Qui sunt praerupti silices, nisi illi fortissimi angelorum chori? Praerupti enim sunt, quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed prae numeri quantitate praerupti sunt, eosdem inaccessas rupes dicit. Cordi enim peccatorum hominum, valde est inaccessa claritas angelorum. Sed quisquis ita contemplatione rapitur, ut intentionem suam iam choris angelorum interserat, non ei sufficit nisi eum etiam qui super angelos est valeat videre. Sequitur: Inde contemplatur escam, idest ex illis angelicis choris, tendit oculum mentis ad gloriam

supernae maiestatis, qua non visa adhuc esurit, qua tandem visa, satiatur. Sed quia gravati carne, Deum sicuti est videre non possumus, sequitur: Eius oculi de longe prospiciunt. Ac si diceret: Sancti intentionis aciem fortiter tendunt, sed necdum propinquius aspiciunt, cuius claritatis magnitudinem penetrare non possunt". Beata illa ergo aquila, quae rostrum ponit in torrente aureo Ierusalem caelestis, de quo dicitur in Psalmo: Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos. Unde dicitur in Genesi, quod fratres Ioseph 'biberunt et inebriati sunt cum eo'. Nota quod ebrius mutat mentem et linguam. Et mens beatorum, qui torrente aureo inebriabuntur, mutabitur, quia fides et spes eorum evacuabitur et tunc complebitur illud praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc., quod modo non completur. Lingua eorum etiam mutabitur. Unde: Non loquatur os meum opera hominum. Dicamus ergo: Dabit pro terra silicem et pro silice torrentes aureos. Ecce habes quod qui vult ire in Ierusalem et de torrente aureo caelestis beatitudinis potare, prius necesse est, ut transeat per Samariam et Galilaeam, possideat terram et silicem. Et quia, dum ad Samariam venimus et ab ipsa ad Galilaeam transimus, hostes, scilicet malignos spiritus, insidiantes habemus, quos per Dei gratiam vincimus, ut in Ierusalem ire possimus, ideo sequitur in textu Iob: Eritque Omnipotens contra hostes tuos et argentum conservabitur tibi, ac si diceret: 'Dum malignos spiritus a te repulerit, claritatem conscientiae coacervabit, tunc super Omnipotentem deliciis afflues. Super Omnipotentem deliciis affluere est, in amore illius lucidae conscientiae epulis satiari. De quo dicitur in Parabolis: Secura mens quasi iuge convivium. Et elevabis ad Deum faciem tuam. Ad Deum faciem levare est cor ad sublimia investiganda attollere'. Rogabis eum et exaudiet te. Unde vir iustus dicit in introitu hodiernae missae: Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me. Et vota tua reddes. GREGORIUS: "Qui vota vovit, sed pro infirmitate solvere non valet, ei ex peccati poena agitur, ut volenti bonum posse subtrahatur. Cum vero ea quae obsistit detergitur culpa, fit protinus ut votum possibilitas sequatur. Decernes rem et veniet tibi. Res decernitur et venit, cum virtus, quae ex desiderio appetitur, largiente Deo cum effectu prosperatur. Et in viis tuis splendebit lumen. In viis iustorum lumen splendere, est per mira opera virtutum signa suae claritatis aspergere".

9 – Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Qui in Ierusalem cum Iesu vult ire, necesse est ipsum non carne sed spiritu ambulare. Spiritu ambulat, qui per Samariam et Galilaeam transit; et ideo dicit: Spiritu ambulate, si in Ierusalem vultis ire; et "sic" desideria carnis, "idest delectationes quas caro suggerit", non perficietis, "scilicet actu". Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. "Caro dicta, quia cara sit, sive a creando"; "crementum enim semen est masculi"; "unde a graecis creas vocatur". O caro cara, et quia cara, ideo caritate carens, et ideo adversus spiritum concupiscens. O caro cara, post paululum odiosa futura, quia vermibus putrida et foetida. 'Caro et spiritus sibi invicem adversantur, ut non quaecumque volumus illa faciamus'. Super hoc habes concordantiam in Iob: Militia est, inquit, vita hominis super terram. Hominis vita est "militia, idest tentatio, quia [caro], iam corrupta, ex se sibi molestias gignit, et in ipsis bonis quae agit, mala suboriri sentit, ut in otio contemplationis desidiam, in abstinentia vanamgloriam". Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut per Samariam, idest tuorum praeceptorum custodiam, et Galilaeam, idest virtutum constantiam, nos transire facias, qua in Ierusalem ire et eius torrente aureo potare mereamur. Te praestante, qui es

benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De decem leprosorum mundatione

10 – Sequitur secundum. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes: Iesu praeceptor, miserere nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. ALLEGORIA patet. Castellum est mundus, in quem cum Dominus est ingressus, occurrerunt ei decem viri leprosi, per quos humanum genus intelligimus, 'quod contra decalogum peccaverat, quia nec Deum nec proximum diligebat', et ideo infidelitatis et iniquitatis lepra respersum erat, et ideo clamabat: Iesu praeceptor etc. Salutem vocavit, misericordiam humanum genus postulavit, et Dominus utrumque fecit: sanguine enim Redemptionis et aqua Baptismatis eum mundavit ab omni lepra infidelitatis et iniquitatis. MORALITER. Nota quod isti decem leprosi omnes peccatores significant, qui quinque leprae generibus et in quinque locis resperguntur. In Levitico quinque genera leprae et quinque loca ipsa infecta ponuntur, scilicet lepra coloris candidi, lucidi, obscuri, rufi et pallidi. Item lepra in capite, in barba, in corporis cute, in veste, in domo. Quicumque, ut in eodem dicitur Levitico, huiusmodi lepra fuerit maculatus et ad arbitrium sacerdotis separatus, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum; contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore, quo leprosus est, et immundus, solus habitabit extra castra. Quid ista significent videamus et de quolibet disseramus. Lepra candida est hypocrisis et simulatio religionis; lucida, ambitio transitoriae dignitatis; obscura, immunditia fornicationis; rufa, rapina et usura; pallida, invidia alienae felicitatis.

11 – De lepra hypocrisis et simulationis dicit Iob: Simulatores et callidi provocant Deum. "Simulator dicitur a simulacro: gestat enim imaginem eius, qui non est ipse". "Simulacra a similitudine sunt dicta". Hypocrita est quasi simulacrum, similitudinem sanctitatis alterius praetendens. Huic simulacro honor impenditur, quia aliquid divinitatis ibi esse creditur. Sed, ut dicit Iob, Congregatio hypocritae sterilis, "quia, per hoc quod agit, fructum recipere in aeterna retributione non appetit". Sterile dictum, quod stet quasi aridum. "Si enim bona intentio non sit, opus quod bonum videtur perit". Candore leprae totum inficitur quod humana opinione rectum cernitur et non recta intentione agitur. De lepra lucida, transitoriae dignitatis, dicit Baldad Suites in Iob: Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna quae super eum est extinguetur. "Lux impii extinguitur, quia fugitivae vitae prosperitas cum ipsa terminatur. Nec splendebit flamma ignis eius. Ignem dicit fervorem temporalium desideriorum, cuius flamma est decor, vel potestas exteriorum, quae de interiori eius ardore procedit; sed non splendebit, quia in die exitus omnis exterior decor subtrahitur. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius. Aliquando tristitiam tenebras, lucem gaudium accipimus. Lux ergo in tabernaculo impii tenebrescit, quia in eius conscientia gaudium, quod de temporalibus fuerat, deficit. Et lucerna quae super eum est extinguetur. Lucerna lumen in testa est. Lumen vero in testa est gaudium in carne. Lucerna ergo quae super eum est extinguitur, quia cum malorum suorum retributio impium sequitur, in eius mente gaudium carnis dissipatur. Bene autem non quae apud eum sed quae super eum est dicitur, quia iniquorum mentem terrena gaudia possident". De obscuritate fornicationis

dicit Iob: Oculus adulteri observat caliginem dicens: Non me videbit oculus; et operiet vultum suum. ‘Adulter dicitur, alienum thorum violans, vel alienum uterum terens. Immunditia fornicationis, caliginans oculum rationis, semper quaerit caliginosam opportunitatem loci, “et eo securius committit, quo se videri non metuit”. Unde dicit Ecclesiasticus: Homini fornicario omnis panis dulcis: qui transgreditur lectum suum, et contemnens animam suam, dicit: Quis me videt? Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam videt omnia oculus eius. Et hoc est quod sequitur: Et operiet vultum suum, scilicet “ne cognoscatur”. “Vultus humani cordis est similitudo Dei, quem perversus operit, ut cognosci a districto iudice nequeat, cum vitam suam malis actibus confundit”. De lepra rufa raptorum dicit Iob: Terminos transtulerunt, diripuerunt greges, asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduae. Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terrae. Istos divina patientia tollerat et ad poenitentiam expectat, ipsi autem, ‘thesaurizant sibi iram in die irae’. De quorum successu iterum dicit Iob: Quare impii vivunt, sublimati sunt confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securae sunt et pacatae, non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit et non abortivit, vacca peperit et non est privata suo foetu. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; quis est Omnipotens ut serviamus ei, et quid nobis prodest si oraverimus illum? Verumtamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit a me. De lepra invidiae dicit Iob: Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. “Parvulus est qui terrena diligit, magnus qui aeterna. Parvulus ergo invidia occiditur, quia nullus hac peste moritur, nisi qui haec terrena appetit”. GREGORIUS: “Qui livoris peste carere desiderat, hereditatem illam diligat, quam coheredum numerus non angustat; quae et omnibus una est, et singulis tota”.

12 – Item, lepra in capite est immunditia in cogitatione. Lepra in barba est iniquitas in manifestatione. Lepra in cute est inhonestas in conversatione. Lepra in veste est dissensio in Christi fide, vel imprudentia in virtutum exsecutione. Lepra in domo est discordia in congregatione. De immunditia cogitationis dicit Iob: Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperae. “Aspis, parvus serpens, est latens tentatio daemonum, cuius caput, idest initium, prius in corde nascitur, qua captus etiam post violenter trahitur”. “Vipera prolixioris est corporis et sic nascitur ut violenter exeat. Caput itaque aspidis peccator sugit, et occidit eum lingua viperae, cum initium suggestionis occultae libenter suscipit, et violentis se postmodum tentationibus devictus tradit”. Item, de manifestatione iniquitatis dicit Iob: Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Operuit faciem eius crassitudo, et de lateribus eius arvina dependet. “Contra Deum manum tendere est in operatione prava despectis eius iudiciis perseverare. Et contra Omnipotentem roboratur, quia prosperari in mala sua actione permittitur. Qui erecto collo adversus eum currit, dum quae Creatori displicent cum audacia perpetrat. Cucurrit, idest in malo opere obstaculum de adversitate non habuit. Et pingui cervice armatus est. Pinguis cervix, est opulenta superbia, affluentibus rebus quasi multis carnibus fulta.

Operuit faciem eius crassitudo. Faciem crassitudo operit, quia desiderata terrenarum rerum abundantia, oculos mentis premit. Et de lateribus eius arvina dependet. Latera divitum sunt, qui eis adhaerent. Arvina de lateribus eius dependet, quia quisquis iniquo potenti adhaeret ipse quoque de eius potentia velut ex pinguedine tumet". Item, de inhonesta conversatione dicit Dominus in Iob de diabolo: Sternet sibi aurum quasi lutum. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare. 'Aurum sanctitatis claritatem, lutum carnalium voluptatum sordem significant. Multos enim qui intra sanctam Ecclesiam fulgore iustitiae splendere videbantur, diabolus contagio miserae voluptatis et sorde inhonestae conversationis subicit, et sic sibi aurum quasi lutum sternit'. Facit etiam profundum mare, idest cor peccatoris, supposito igne suggestionis, quasi ollam fervescere et ex se spumam inhonestae conversationis eicere. Item, vestis Iesu Christi, 'inconsutilis et contexta per totum', est fides ipsius, est unitas Ecclesiae, quam dividere volunt haeretici, falsi christiani et simoniaci. Hi sunt tres amici Iob, scilicet Eliphaz, Baldad, et Sophar, qui beatum Iob verbis afflixerunt, contumeliis affecerunt. "Eliphaz interpretatur contemptus Domini", et significat haereticos, qui Christi Ecclesiam obedire contemnunt. "Baldad, sola vetustas", et significat falsos christianos, qui 'dierum malorum sunt inveterati'. "Sophar, dissipatio speculae", et significat simoniacos, qui ecclesiasticae dignitatis speculam dissipant, dum ipsam pecunia emunt. Item, de lepra domus dicitur in Levitico, quod si sacerdos invenerit crevisse lepram, iubebit erui lapides, in quibus lepra est, et proiciet eos extra civitatem in loco immundo; domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum et expargi pulverem rasurae extra urbem in loco immundo, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint. Lepra in domo est discordia in congregatione, quam si sacerdos, idest praelatus, crevisse viderit, statim iubebit lapides, idest congregationis fratres, in quibus est lepra discordiae, extra congregationem proici, ne candido socio comes scabiosus se valeat confricare et 'modicum fermenti totam massam corrumpere' et parum veneni totum balsamum intoxicare. Domum autem, idest congregationem ipsam, ne aliquae reliquiae illius leprae remaneant, radere, idest diligenter investigare debet, et si quas invenerit extra proicere, et pro leprosis lapidibus, in congregationis fabrica, novos lapides debet substituere, ut in unitate spiritus et morum concordia Domino valeant deservire. Quicumque istiusmodi leprae quinquepartito genere fuerit maculatus, si a Domino vult misericordiam impetrare, oportet eum quinque supradicta agere, scilicet, ut habeat vestimenta dissuta, idest ut de nullis suis meritis confidat, de nullo opere suo praesumat – vel, vestimenta dissuta sunt membra corporis asperitate poenitentiae afflicta –; caput nudum, idest quidquid per sensus corporis peccavit denudans, os veste contectum, idest ut semper habeat verecundiam de eo quod commisit; contaminatum ac sordidum se clamabit omni tempore; et immundus, idest immundum se reputans, et solus a tumultu saecularium et malarum cogitationum, habitabit extra castra, idest collegio sanctorum indignum se reputabit. Quicumque ista quinque non habet non est vere poenitens. Quicumque ergo vult vere poenitere, habeat vestimenta dissuta, idest de nullo suo praesumat; caput in confessione denudet coram Deo et eius angelis; quia talia commisit erubescat; et non tantum se immundum et sordidum se clamabit, sed etiam si hoc ipsum alii ei improperaverint, humiliter debet sustinere – quod si aliter facit, se probat vere non poenitere –; tamquam leprosus se indignum debet reputare, sanctorum conventui et eorum pedibus mentis humilitate se substernere. Unde 'publice poenitentes solent prae foribus ecclesiae cilicio induti stare, et in ipsam ecclesiam fideles introeuntes humiliter postulare ac dicere: Nos, peccatores indigni, rogamus vos fideles Christi, ut pro

nobis misericordiae divinae preces fundatis, quia indigni sumus ecclesiam intrare et fidelium conventui interesse'. Tales audacter possunt dicere: Iesu praeceptor, miserere nostri. Nota ista tria: Iesu, praeceptor et miserere. Iesus salus interpretatur. Qui vult salutem, praecepta custodiat, et sic misericordiam inveniet. Et attende quod praeceptor inter Iesum et miserere ponitur. Ubi enim praeceptorum custodia, ibi a dextris et a sinistris salus et misericordia, conservantem conservantia. Unde Ecclesiasticus: Si volueris mandata servare, conservabunt te.

13 – Sequitur: Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Nota ista tria: ite, ostendite, sacerdotibus. In ite, cordis contritio; in ostendite, oris confessio; in sacerdotibus operis satisfactio designatur. De ite contritionis, dicit filius prodigus in Luca: Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te. Et attende quod prius dixit surgam et postea ibo, quia nisi prius surrexeris a torpore, ire non poteris contritione. Surgam, "quia me iacere cognovi; ibo, quia longe recessi; ad patrem, quia sub principe porcorum miserabili egestate tabesco; peccavi in caelum, idest coram angelis sanctisque animabus, in quibus sedes Dei", et coram te, idest in ipso conscientiae conclavi, quod tui solius penetrant oculi. De ostendere confessionis dicit sponsus in Canticis: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora. 'Facies dicta, quod notitiam faciat hominis', et ideo bene in ipsa designatur confessio, quae hominem facit notum Deo, 'qui novit viam iustorum'. 'Iustus, inquit, in principio accusator est sui'. Ostende ergo mihi faciem tuam, si vis ut ostendam tibi meam, 'in quam desiderant angeli prospicere'. Facies tua decora. Facies decora est confessio verecunda. Pulchra enim est permixtio confessionis et ruboris. Unde dicitur in libro Esther, quod Esther, roseo vultum colore perfusa, gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum et nimio timore contractum. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit coram rege. Esther est anima poenitentis, cuius vultus in confessione debet perfundi roseo colore verecundiae. "Verecundia dicta, quod vera timeat". Qui vera iudicia Dei timet, sine dubio verecundiam, quae gloriam adducit in confessione, habet. Qui vero non erubescit non timet. Frons, inquit Ieremias, meretricis facta est tibi; noluisti erubescere. Sed Esther tristem ac timore contractum habebat animum, quia poenitens tristitia teritur in contritione et timore contrahitur in confessione; in qua habet gratos ac nitentes oculos, lacrimarum scilicet perfusione; et sic ingreditur per ordinem cuncta ostia, idest enumerando prout commisit cuncta peccata, quae nobis claudunt, tamquam ostia, introitum vitae aeternae. Verbum notabile in confessione: Ingressa cuncta per ordinem ostia, stetit coran rege. Coram Iesu Christo stare non poteris, nisi prius cuncta per ordinem ostia reseraveris; et sic ei faciem tuam ostendere poteris. Et quae sit ista facies ipse exponit, cum subdit: Sonet vox tua in auribus meis, vox tua dulcis. Melodiam confessionis delectatur audire sponsus auribus pietatis. Et nota quod dixit vox. 'Vox est aeris ad linguam percussio', dicta, quod voluntatem animi annuntiet. Illa est vera confessio ubi fit percussio, idest peccatorum reprehensio, quae annuntiat omne quod intus latet. Bene ergo dicitur: Ostendite vos. Per vos, non per alios. Quia peccasti in te et per te, ideo te per te debes ostendere. Sequitur: Sacerdotibus, a quibus quia poenitentia iniungitur, ideo per ipsos satisfactio figuratur. Per hoc verbum aperte habes, quod sacerdotibus peccatores in confessione debent se ostendere, quibus auctoritas ligandi et solvendi est tradita. Sequitur: Et dum irent, mundati sunt. Ecce quanta misericordia Dei, qui 'in sola contritione animam mundat a peccatis, ita tamen quod firmum habeat

propositum confitendi'. Super his tribus habes concordantiam in Iob, ubi ad ipsius amicos loquitur Dominus: Sumite, inquit, vobis septem tauros et septem arietes; et ite ad servum meum Iob, et offerte pro vobis holocaustum. 'In tauro et ariete cervix et cornua superbiae designantur', quam qui in seipso interficit, omnia vitia, quae per septenarium designantur, a se expellit. In evangelio dicit Dominus: Ite, et in Iob: Ite; ibi: ostendite, et hic: offerte; ibi: sacerdotibus, et hic: ad servum meum Iob.

14 – Huic secundae clausulae evangelii concordat secunda particula epistolae: Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, idest formae necatio; immunditia, quae fit sine opere in mentis pollutione; luxuria, a luxu cibi et potus dicta; 'avaritia, quae est idolorum servitus' – "avarus dictus, quod sit avidus auri", inde avaritia –; veneficia: 'venenum dictum, quod per venas vadat', non enim potest nocere nisi sanguinem tetigerit, omne autem venenum frigidum est, et ideo anima, quae ignea est, fugit venenum; veneficia sunt suggestiones daemonum et adulationes peccatorum, quae nocere non possunt nisi ad sanguinem, idest animae consensum, pervenerint; inimicitiae "perseverantes"; contentiones "in verbis"; aemulationes, "quando duo ad idem tendunt"; irae, "subita tempestas animi"; rixae, 'a rictu dictae', "quando invicem ex ira percutiunt"; dissentiones, "quando partes in Ecclesia fiunt"; sectae, idest "haereses", "secta a divisione dicta, quasi sectio"; invidiae, "de alienis bonis"; homicidia, ebrietates, commessationes. Ex his omnibus suboritur lepra in anima, quae ipsam inficit et a congregatione sanctorum expellit. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut a lepra peccati nos emundes, qua mundati, ad sanctorum conventum redire, et in Ierusalem caelestem tecum mereamur ascendere. Te praestante, qui es benedictus in saecula. Amen.

III – De regressione alienigenae ad glorificandum Deum

15 – Sequitur tertium. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans Deum; et cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens: et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Nota quod hic alienigena tria fecit: rediit, in faciem cecidit, gratias egit. Ille revertitur qui "nihil sibi virtutis attribuit; bona quae agit de misericordia intelligit. Unde Samaritanus, idest custos, cognominatur, qui ita bona quae accipit Deo tribuit, ut cum Psalmista possit dicere: Fortitudinem meam ad te, idest tibi attribuendo, custodiam". Vis quod accipis custodire? Non tibi sed Domino tribue. Si non tuum tibi attribuis, furti reus convinceris. Et si alienum tibi non tribuis, alienum tuum facis. Super hoc habes concordantiam in Iob, ubi ad ipsum dicit Dominus: Numquid mittes fulgura et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus? "Fulgura de nubibus exeunt, sic mira opera ex sanctis praedicatoribus ostenduntur. Vadunt fulgura, cum praedicatores miraculis coruscant. Revertentia vero dicunt: Adsumus, cum non sibi sed Dei virtutibus tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. Vel, mittuntur et vadunt, cum a secreto contemplationis ad publicum operationis exeunt; revertuntur et dicunt Deo: Adsumus, quia post opera exteriora ad contemplationem recurrunt".

16 – Item, "in faciem cadit, qui de perpetratis malis erubescit. Ibi enim cadit homo ubi confunditur. Qui in faciem cadit, videt quo cadit; qui retro cadit, non videt. Boni ergo in

faciem cadunt, qui humiliant se in visibilibus istis, ubi vident quid eos sequatur, ut ad invisibilia erigantur. Mali retro cadunt, in invisibilibus, ubi non vident quid eos sequatur". Super hoc duplici casu habes concordantiam in Iob. De primo sic: Iob scidit vestimenta sua, et tonso capite corruit in terram. "Vestimenta sunt opera, quae nos tegunt, ne nudi erubescamus, quae dum culpa flere facit, districtius quasi irata manu vindicamus. Tunc enim omnis elatio et superfluitas cogitationum ab animo cadit, quod est tonso capite cadere, idest, repressis praesumptionis cogitationibus, quam infirmus sit in se sentire. Difficile est magna agere et de magnis apud se fiduciam non habere". De secundo casu sic: Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo; lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur. Nota quod "duo sunt genera tentationum: unum, quod per repentinum eventum agitur, aliud quod paulatim in mente venit, et levibus suggestionibus animum inficit. Et est sensus: Sicut haec insensibilia modo cito ruunt, modo paulisper infusa aquarum mollitie consumuntur; ita etiam aliquis, in alto constitutus ut mons, vel subita tentatione deicitur, ut David, cum Bersabee vidit, vel longa ac lenta consumitur, ut Salomon, qui, immoderato usu et assiduitate mulierum, ad hoc usque perductus est, ut templum idolis fabricaret, qui prius Deo templum construxerat. Saxum, idest mens iusti, fertur de loco, idest de iustitia ad culpam nimio impulsu, et lapides, idest fortitudinem mentis, excavant aquae, idest assidua blandimenta libidinis". Alluvio est inundatio aquarum ab alluo, quod est inundo, das.

17 – Item, pro emundatione sua Samaritanus gratias egit; pro qua re etiam ipsum Dominus commendavit, cum dixit: Nonne decem mundati sunt etc. "Ingratos quasi ignotos ubi sunt requirit". In quo instruimur pro beneficiis collatis Domino gratias referre. Si enim Iob in flagellis gratias agens nomen Domini benedixit, quantas gratias Deo agere debemus de tot beneficiis collatis? Quia Ezechias post victoriam Domino gratiarum canticum non cecinit, ideo in infirmitate decidit. Legimus Mariam, Moysi sororem, Debboram et Iudith, pro hostium victoria Domino canticum cecinisse. In quo docemur cantica laudum, actionem gratiarum, Deo omnium bonorum largitori reddere. Nota quod, in hac clausula tria verba ponuntur valde notabilia, scilicet: unus, samaritanus et alienigena, in quibus tres virtutes notantur. In uno, unitatis concordia; in samaritano, humilitatis custodia; in alienigena, paupertatis sufficiens indigentia. His tribus respondent tria verba Domini: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Surge, quia unus; vade, quia samaritanus; fides tua te salvum fecit, quia alienigena. Qui in unitate vivit, ad boni operis rectitudinem surgit. Qui humilitatis custodia se munit, ubique securus vadit. Qui in hoc mundo, tamquam alienigena, paupertatis charactere se insignit, fides Iesu Christi, qui pauper et hospes fuit, ipsum salvum facit.

18 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Fructus autem spiritus est caritas, quam AUGUSTINUS vocat "votum animi ad fruendum Deum propter ipsum et se atque proximum propter Deum"; gaudium, "idest puritas conscientiae"; pax, "quae est tranquilla libertas", "a pacto dicta"; patientia. Nota quod "patientiae virtus tribus modis exercetur: quaedam enim a Deo sustinemus, ut flagella, quaedam ab adversario, ut tentamenta, quaedam a proximo, ut persecutiones, damna et contumelias; contra quos omnes modos vigilare debemus, ne ad excessum murmurationis contra flagella Opificis proruamus, ne ad consensum delicti seducamur, ne ad mali perturbationem pertrahamur, ne, hoc agentes, retribui nobis praesentia bona requiramus". Longanimitas

“expectationis”; bonitas, idest “dulcedo animi”; benignitas, idest “largitas rerum”, “benignus ad benefaciendum expositus”, vel bene ignitus, est dictus; mansuetudo, “quae nulli iniuriam irrogat”, “mansuetus dictus, manui assuetus”; fides, “qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus; proprie autem et secundum sonum, fides est dicta, si omnino fiat quod dictum est”; modestia, “quae modum in dictis vel factis servat”; continentia, “quae a licitis abstinet”; castitas, “quae recte utitur licito”. Beata illa arbor, quae tales fructus parturit. Beata illa anima, quae tales fructus comedit. Hos fructus habere non poteris, nisi cum uno Samaritano et alienigena redieris, in faciem cecideris, gratias egeris. Et sic audire mereberis: Surge, vade in pace, quia fides tua te salvum fecit. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut in unitate nos conserves, in humilitate et paupertate nos custodias, qua fructus spiritus de arbore poenitentiae capiamus, et in caelesti gloria de ligno vitae comedamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decima quinta dominica post Pentecosten: Nemo potest duobus dominis servire, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de Passione Iesu Christi et nostrae vitae ex ipsius vitae forma informatione, ibi: Angelus Raphael. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de duabus partibus animae, ibi: Nemo potest. Item de dominio rationis et sensualitatis, ibi: Dedit Deus gratiam Tobiae; et ibi: Mortuo Salmanasar; et in eodem de natura castoris. Item de testamento amoris Dei, ibi: Omnibus diebus vitae tuae. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis contra sollicitudinem temporalium, ibi: Dico vobis, ne solliciti; et ibi: “Cyrus volens”. Item ad contemplativos, ibi: Respicite volatilia caeli; et ibi: Tobias ex tribu; et in eodem de natura avium. Item contra amatores vanitatis, ibi: Vidi eos qui operantur iniquitatem. Item de contemptu mundi et contemplatione Dei, ibi: Per me si quis introierit. Item de tribus quae sunt in liliis et eorum significatione, ibi: Considerate lilia agri. Item contra mundi huius sapientes, ibi: Dico vobis quod nec Salomon. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema sermonis de triplici Ierusalem et ipsius triplici structura, ibi: Portae Ierusalem ex sapphiro.

Exordium. De Iesu Christi Passione et nostrae vitae informatione

1 – In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis servire. Legitur in Tobia, quod angelus Raphael dixit ad Tobiam: Exentera piscem, et cor eius et fel et iecur repone tibi; sunt enim haec necessaria ad medicamenta utiliter. Quid piscis, quid eius cor, fel et iecur significent videamus. Piscis est Christus, qui dicit in Matthaeo Petro: Vade ad mare, et mitte hamum; et eum piscem qui primo ascenderit, tolle, et aperto eius ore invenies staterem: illum sumens, da eis pro me et te. “Piscis est Christus, in hoc mari magno et spatioso moratus, qui primus ascendit, idest morti pro redemptione nostra se obtulit, ut id quod in ore eius, idest in confessione, fuerat inventum, pro Petro et Domino daretur. Et bene idipsum pretium sed divisum, quia Petro quasi pro peccatore,

Dominus autem peccatum non fecit. Stater dicitur, qui habet duo didrachmata, ut ostenderetur similitudo carnis, dum eodem pretio Dominus et servus liberantur". Vel stater in ore Christi est misericordia et iustitia: misericordia, cum dixit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis; iustitia, cum dicet: Ite, maledicti, in ignem aeternum. Hunc ergo piscem exentera, idest vitam ipsius Christi diligenter considera, et invenies ibi cor, fel et iecur. Corde sapimus, felle irascimur, iecore amamus. In corde sapientia, in felle amaritudo, in iecore Iesu Christi amor designatur. Sapore sapientiae, quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, condi insipiditatem tuam; amaritudinem Passionis ipsius commisce dulcedini tuae; ipsius amorem superpone omni amori, qui sine ipsius amore, non amor sed dolor est dicendus. Haec sunt medicamenta animae tuae utilia, quae si tibi reposueris, non diaboli sed Dei, non carnis sed spiritus, non mundi sed caeli servus eris. Sapientia Christi frangit diaboli dominium. Unde Iob: Prudentia eius percussit superbum. "Prudentia non virtute percussus est antiquus hostis, quia dum audacter Christum, in quo nihil sibi competebat, appetiit, iure hominem, quem quasi iuste tenebat, amisit". Ipsius amaritudo Passionis, subicit appetitum carnis. Unde quidam: "Memoria, inquit, Crucifixi vitia crucifigit". De hoc quaere in evangelio: Caecus sedebat. Item, ipsius amoris theriaca divitiarum venenum expellit. Unde dicitur in eodem Tobia, quod fumus eius, idest devotio amoris eius, extricat omne genus daemoniorum, idest divitiarum, quae homines, tamquam daemones, discerpunt et affligunt. Omnes istius mundi divites sunt quasi daemoniaci, huc atque illuc discurrentes, non vero sed falso domino servientes. De quibus dicitur in hodierno evangelio: Nemo potest duobus dominis servire.

2 – Nota quod hoc evangelium in tribus clausulis volumus dividere. Prima est: Nemo potest. Secunda: Dico vobis, ne solliciti sitis. Tertia: Quaerite primum regnum Dei. Prima de duobus dominis agit. Secunda sollicitudinem expellit. Tertia regnum Dei ante omnia quaeri praecipit. Nota etiam quod in hac tertia septembris dominica, legitur in Ecclesia liber Tobiae, ex quo auctoritates aliquas volumus introducere et cum clausulis evangelii concordare. In introitu hodiernae missae cantatur: Miserere mihi, Domine. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Galatas: Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus, quam in tribus particulis volumus dividere et cum supradictis evangelii clausulis concordare. Prima particula: Si spiritu vivimus. Secunda: Alter alterius onera portate. Tertia: Qui seminat in spiritu etc. Et attende diligenter quod ideo haec epistola legitur cum isto evangelio, quia Dominus in evangelio animae, idest animalitatis, sollicitudinem prohibet; regnum Dei quaerere docet; et Paulus in epistola docet secundum spiritum vivere, non in carne sed in spiritu seminare, in quo qui seminat, vitam aeternam metet.

I – De duobus dominis

3 – Dicamus ergo: Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonae. Nota quod 'anima duas habet partes, scilicet rationem et sensualitatem', quae sunt quasi duo domini. De dominio rationis dicit Isaac in Genesi: Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres eius servituti illius subiugavi. Quod tunc fit, cum propria voluntas et corporis sensus sub dominio rationis subiugantur. Unde iterum de Iuda in eodem dicit Iacob: Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, fili mi, asinam suam.

Iudas est poenitens, vinea ratio, vitis compunctio, asina sensualitas, pullus ipsius motus. Iudas ergo asinam ad vitem et pullum ad vineam ligat, cum poenitens sensualitatem cordis compunctione subicit, et ipsius motum iugo rationis premit. Item, de hoc habes in eodem Genesi, ubi dicit Ioseph fratribus suis: Putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres eius: Numquid rex noster eris? Aut subiciemur ditioni tuae? 'Manipulus est fasciculus culmi, dictus, quod manu capiatur'. Ioseph est vir iustus, cuius manipulus est ratio, quae cum surgit per despectum temporalium et stat immobilis in alto contemplationis, tunc manipuli, idest sensus carnis, ipsius subiciuntur ditioni. Unde in Genesi dicit Isaac: Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. Unde Isaias: Venient ad te curvi filii eorum, idest carnalium desideriorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. De dominio sensualitatis dicit Moyses in Deuteronomio: Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque laetitia, propter rerum omnium abundantiam: servies inimico tuo, et imponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. Eo quod Adam noluit servire superiori suo, ideo inferius eius noluit servire ei; immo ipse servivit inimico suo, idest diabolo vel carni suae, qua non est efficacior hostis ad nocendum; cuius iugum ferreum, idest sensualitas vel carnalitas, impositum est super cervicem rationis. Unde dicit Ecclesiasticus: Quam grave iugum super filios Adam, a die exitus. Grave iugum est 'super filios Adam a die exitus originale peccatum', idest "fomes peccati, idest concupiscentia, quae, ut dicit AUGUSTINUS, non est permittenda regnare. Sunt et eius desideria, quae sunt actuales concupiscentiae, quae sunt arma diaboli, quae veniunt ex languore naturae. Languor enim iste tyrannus est, qui movet mala desideria". Vis audire quam grave sit iugum super filios Adam ? Audi quod scriptum est in ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS: Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum et ob hoc 'natura irae filium', a qua nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum".

4 – Dicamus ergo: Nemo potest duobus dominis servire. Super his duobus dominis habes concordantiam in libro Tobiae, ubi fit mentio de Salmanasar et Sennacherib: Dedit, inquit, Deus gratiam Tobiae in conspectu Salmanasar regis; et dedit ei potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quaecumque facere voluisset. 'Salmanasar interpretatur pacificans angustiatos' et significat rationem, quae, cum regnat, mentem angustiatam pacificat, conscientiam clarificat, cor indulcat, aspera mollificat, gravia alleviat. Cui si homo servit, gratiam invenit, liber fit, habens potestatem ire quocumque et facere quodcumque velit. O libera servitus et serva libertas! Non timor servum, non amor facit liberum, sed potius timor liberum et amor servum. 'Iusto non est lex posita' quia, 'ipse sibi est lex'. Habet enim caritatem, vivit secundum rationem, et ideo vadit quo vult et facit quidquid vult. Ego, inquit Propheta, servus tuus et filius ancillae tuae. Nota verba: servus et filius; quia servus ideo filius. O suavis timor, qui de servo facis filium! O benigne et verax amor, qui de filio facis servum! Filius, inquit, ancillae tuae. 'Inice ergo, o homo, si vis libertate frui, collum tuum in torques eius, et pedem tuum in compedes eius'. Non est gaudium super gaudium libertatis, quam non potes assequi nisi collum elationis inclines in torquem humilitatis, et pedem carnalis affectus in compedem mortificationis. Et tunc poteris dicere: Servus tuus sum ego etc. Item, in eodem libro

dicitur quod, ‘mortuo Salmanasar rege, Sennacherib regnavit pro eo, qui, cum filios Israel exosos haberet in conspectu suo, iussit Tobiam occidi, et tulit omnem substantiam eius. Tobias vero, cum filio suo et uxore fugiens, nudus latuit’. “Sennacherib interpretatur tollens deserta” et significat sensualitatem, idest carnis concupiscentiam, quae ab hominis mente tollit desertum poenitentiae. Haec non regnat nisi cum ratio moritur. Egressus enim virtutis ingressum vitii operatur. Concupiscentia exosos habet filios Israel, idest poenitentes, qui ‘carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis’. Unde dicitur in Exodo: ‘Oderant Aegyptii filios Israel’. Haec per suos satellites, corporis scilicet sensus, nititur spiritum interficere et ei omnem substantiam, idest virtutes, auferre; quae bene dicuntur substantia, quia faciunt hominem subsistere, ne cadat ab aeternis. Quas ut conservare valeat, necesse est ut, fugiens cum filio et uxore, nudus lateat. Nota ista tria verba: fugiens, nudus, latuit. Vis carnis concupiscentiam evadere? Fuge. Fugite, inquit, fornicationem. Unde in Genesi de Ioseph dicitur quod, relicto in manu dominae suae pallio, fugit, et egressus est foras. Dimisit pallium, ne amitteret Deum. Dicitur in NATURALIBUS quod ‘illud animal, quod dicitur castor, habet testiculos medicinales ad paralysim tollendam, cuius rei gratia venatores eum insequuntur. Qui perpendens quod propter hoc se insequantur, illos sibi abscidit et insequentibus se proicit. Unde castor dicitur, quia seipsum castrat’. Stultus autem homo e contrario facit, qui pro glandulis suis vilissimis, scilicet pro vilissima luxuria, se tradit diabolo. Quasi a facie colubri, dicit Ecclesiasticus, fuge peccata. Item, nudus est qui nihil sibi sed totum Deo attribuit, qui se inter folia ficuum cum Adam non abscondit; qui pallio suae excusationis et alterius incusationis se non cooperit; qui ita nudum, sicut egressus est de utero matris suae, se cognoscit. Item, ille latet qui a tumultu saecularium et malarum cogitationum in conclavi conscientiae quietus residet. Ille latet qui patienter iniuriam sustinet, qui inter adversa non murmurat, qui in prosperis non se exaltat. Uxor et filius Tobiae sunt bona voluntas et bonum opus, quae ubicumque imus deferre nobiscum debemus. Unde in Matthaeo: Accipe, inquit, puerum, idest operis puritatem, et matrem eius, idest bonam voluntatem, quae ipsum parturit, et fuge in Aegyptum, idest recognosce te exulem et miserum, vel considera tenebras tuorum peccatorum, et esto ibi usque dum dicam tibi, idest cognosce te peccatorem; considera exilium tuum, usque ad illud tempus quo dicam tibi: Surge, propera, amica mea, et veni. Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Si ergo vis properare, oportet te Sennacherib fugere, rationi, non sensualitati, servire. Dicamus ergo: Nemo potest duobus dominis servire.

5 – Sequitur: Aut enim unum odio habebit et alterum diliget; aut unum sustinebit et alterum contemnet. Nota ista quattuor verba: diliget et sustinet, odiet et contemnet. Si diligis vitam, odis vitam; si sustines superiorem, contemnis inferiorem. Et e converso: ‘dilige te qualem te fecit, dilexit te; odi te qualem tu fecisti te’; sustine tuum superius, contemne tuum inferius. Ad hoc dilige te ad quod te dilexit, qui se pro te tradidit; in hoc odi te, in quo odisti quod Deus fecit et dilexit te. Hoc est quod dixit Tobias filio suo: Omnibus diebus vitae tuae semper in mente habeto Deum, et cave ne aliquando consentias peccato, et praetermittas mandata Dei nostri. O verbum dulcius super mel et favum: Semper in mente habeto Deum! O mens, omni beato beatior, omni feliciori felicior, quae habes Deum! Quid tibi deest? Quid tibi accrescere potest? Omnia habes, quia illum habes, qui omnia fecit, qui solus te implet, sine quo omne quod est nihil est. Semper ergo in mente habeto Deum. Ecce quale testamentum Tobias filio suo condidit,

qualem ei possessionem dimisit: Semper, inquit, habeto Deum in mente. O possessio omnia possidens, beatus qui te possidet, felix qui te habet. O Deus, quid dare possum, ut te possideam? Putasne si omnia dedero habere te potero? Et quo pretio te habere possum? Excelsior es caelo, profundior inferno, longior terra et latior mari. Quomodo ergo vermis, 'canis mortuus, pulex unus', hominis filius te habere poterit? Sicut dicit Iob: Non appendetur argentum in commutatione eius, nec conferetur tinctis Indiae coloribus, non lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphyro. Non adaequabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur vasa aurea et excelsa in comparatione eius. O Domine Deus, ista non habeo, quid ergo, ut te habeam, dare debeo? Da, inquit, mihi te, et dabo tibi me. Da mentem et habebis me in mente. Omnia tua habe tibi, tantum mentem da mihi. Plenus sum tuis verbis; non indigeo tuis factis: tantum mentem da mihi. Nota quod dicit semper. Vis Deum semper habere in mente? Habe semper te coram te. Ubi oculus, ibi mens; habe semper oculum in te. Tria pono: mentem, oculum et te. Deus est in mente, mens in oculo, oculus in te. Si ergo vides te, habes Deum in te. Vis Deum semper habere in mente? Habeto te talem qualem fecit te. Noli ire ad quaerendum alium te. Noli te facere alium ab illo, quem ipse fecit, et sic Deum semper in mente habebis. Sequitur: Non potestis Deo servire et mammonae. Ibi dicit GLOSSA: "Mammona, syra lingua, divitiae, quibus servire Deum negare est. Non dicit habere, quod fieri licet, ut bene dispenset, sed servire, quod est avari. Dicitur hoc nomen esse daemonis, qui praeest divitiis: non quod in eius ditione sint, sed quod his utitur ad decipiendum, irretiendo laqueis divitiarum". Maledicta mammona! heu, quot religiosos excaecavit! quot claustrales infatuavit! quot saeculares in infernum praecipitavit! Haec est stercus hirundinum, 'quod excaecavit oculos Tobiae'. De hoc quaere in evangelio: Caecus sedebat secus viam.

6 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. In hac prima particula Apostolus comprehendit duo, rationem scilicet et carnis concupiscentiam. Ex ratione provenit ut spiritu, idest spirituali conversatione, vivamus et ambulemus; ex concupiscentia vero provenit ut simus inanis gloriae cupidi, invicem provocantes invicem invidentes. Item, ex carnis concupiscentia provenit ut aliquis praeoccupetur in aliquo delicto; ex ratione vero ut spirituales, idest ratione utentes, corripiant delinquentem in spiritu lenitatis, rationis enim est, ut dictum est, pacificare angustiatos. Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut gratiae tuae lumen nobis infundas, qua secundum rationem vivamus, carnem subiciamus, et ad te, qui es vita, perveniamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula. Amen.

II – De sollicitudine expellenda

7 – Sequitur secundum. Dico vobis, ne solliciti sitis quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. Nonne anima vestra plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia caeli etc. Nota quod in hac secunda clausula tria specialiter notabilia ponuntur, scilicet volatilia, lilia et fenum. De quorum quolibet disseramus. Dico vobis, "ne cura eorum, quae nihil sunt, retrahamini ab aeternis", ne solliciti sitis, "quia hoc est divitiis servire", animae, "idest animalitati vestrae, cui haec sunt necessaria", scilicet victus et vestitus. Ibi dicit GLOSSA: "In sudore vultus paratur panis, scilicet labor exercendus est, sollicitudo tollenda, quae mentem perturbat, dum timet ne aut possessa dispereant, aut elaborata non contingant". Nonne anima vestra plus

est quam esca? “Anima hic ponitur pro vita, quae cibo sustentatur. [Nonne anima]. Quasi diceret: Qui dedit maiora, idest vitam et corpus, dabit et minora, idest victum et vestes. In his promissis veritatis nemo dubitet; sit homo quod esse debet, mox adduntur ei omnia, propter quem sunt facta”. Sollicitudo mentem distrahit, distractam dividit, divisam diabolus rapit, et sic animam interficit. Unde dicitur in HISTORIIS super historiam Danielis, quod “Cyrus, volens capere civitatem Babyloniae, divisit Euphratem, longe a civitate, per plures rivos, et alveum, qui fluebat in civitatem, vadabilem fecit. Et per ipsum ingressi sunt hostes in civitatem sub muro, et interfectus est Balthassar”. Civitas est anima; Euphrates, hominis mens; alveus, gratia Sancti Spiritus. Diabolus ergo, volens animam nostram capere, prius mentem dividit in diversis sollicitudinibus, quibusdam sub specie propriae necessitatis, quibusdam sub specie fraternae caritatis; et, dum sic in diversa dividit, siccatur alveus compunctionis, quo siccato, civitas capitur et ratio interficitur. Dico ergo vobis, ne solticiti sitis.

8 – Sequitur: Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa. “Volatilia sunt sancti, penna contemplationis in aere suspensi, qui ita a mundo sunt remoti, ut iam in terris nihil agant, nihil laborent, sed sola contemplatione iam in caelo degunt”. Super hoc habes concordantiam in libro Tobiae, ubi legitur de ipso Tobia et Anna, ‘filia Raguelis’, qui fuerunt quasi duo volatilia caeli. De Tobia sic: Tobias ex tribu et civitate Nephthali, quae est in superioribus Galilaeae supra Naasson, post viam quae ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet. “Tobias interpretatur bonus Domini”; “Nephthali, latitudo”; “Galilaea, rota”; “Nasson, augurium” “Sephet, littera vel pulchritudo”. Tobias est quilibet vir iustus, qui bonum quod in se habet non suum sed Domini credit esse, dicens cum Propheta: Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine; et cum Isaia: ‘Omnia opera nostra operatus es, Domine’. Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Iste bonus Dominus dicitur esse ex tribu et civitate Nephthali. Est enim filius et civis latitudinis, idest caritatis. Latum, inquit, mandatun tuum nimis. Christus testamentum condidit filiis, scilicet: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; quod iustus, tamquam filius, iure hereditario possidet, et in ipso, quasi in civitate, semper habitat. In hereditate, inquit, Domini morabor, quia hereditas mea praeclara est mihi. Et ubi est haec civitas? In superioribus, inquit, Galilaeae supra Naasson. Respice volatile ad superiora volans: Ego, inquit Dominus in Ioanne, de supernis sum, vos autem deorsum estis; quasi rota terram circuitis – “Rota dicta, quia ruat” –, de vitio in vitium ruitis. Civitas vero viri iusti, boni Domini, non in inferioribus sed in superioribus est Galilaeae, quia mundi rotam superat, superiora quaerit, inferiora et volubilia relinquit. Huius civitas est supra Naasson, quia superiora auguratur, idest caelestia contemplatur. Ecce quam egregie concordat historia cum evangelio. “Augurium dicitur, quasi avigarrium vel avigerium; cum quis attendit quid aves garriant vel gerant”. Avis dicitur ab a, quod est sine, et via, idest sine via, “quia viam certam non habet”. Vir enim contemplativus, cum ad superiora evolat, viam rectam non habet, quia ‘contemplatio non est in arbitrio contemplantis, sed in dispositione Creatoris, qui cui vult et quando vult et quomodo vult dulcedinem contemplationis infundit’. Unde Ieremias: Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Et nota quod ‘quaedam aves habent longos pedes, et cum volant extensis pedibus ad posterius volant. Et sunt quaedam, quae habent pedes et crura curta, et cum volant constringunt eos ad ventrem, ut non prohibeant eas a volatu, et

curtitas pedum non prohibet a volatu'. Duo sunt modi contemplantium. Sunt enim quidam, qui aliorum curam gerunt, ipsis se impendunt. Sunt alii, qui nec aliorum nec sui curam agunt, a suis necessariis se subtrahunt. Illi longos, isti curtos habent pedes. Illi, dum orationi intendunt, in contemplatione volant; pedes, idest affectus, quibus proximi necessitatem sustentant, ad posterius extendunt, ne eorum volatus impediatur. O frater, cum servis fratri, extende pedes tuos ante te, impende ei te totum. Cum vero intendis Deo, extende pedes tuos ad posterius, ut liber sit tuus volatus. Posteriorum oblitus, servitii et beneficii, quod impendisti vel impensurus es, imaginationes in oratione depone. Ibi enim solent occurrere et animum contemplantis valde impedire. Isti vero, qui curtos habent pedes, qui nec alteri nec sibi intendunt, pedes ad ventrem, idest affectus, breves et curtos ad mentem constringunt, se ad se recolligunt, ut mens in uno collecta facilius possit avolare, et irreverberato lumine in aureo solis splendore mentis oculum figere. Bene ergo dicitur: Tobias ex tribu et civitate Nephthali, quae est in superioribus Galilaeae, supra Naasson.

9 – Sequitur: Post viam quae ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet. Iustus retro relinquit viam spatiosam, quae ducit ad occidentem, idest mortem. Unde Propheta: Fiant viae illorum tenebrae et lubricum et angelus Domini persequens eos. Peccatorum via in praesenti vita est tenebrosa mentis caecitate, lubricosa iniquitatis perpetratione. In morte vero angelus malus erit eos persequens et impellens, quousque praecipitet in abyssum ignis ardentis. Vir iustus habet in sinistro civitatem Sephet, idest litterae vel pulchritudinis, quia scientiam falsi nominis sinistram et falsam deputat, et mundanam philosophiam et temporalem pulchritudinem damnat. Respicite ergo volatilia caeli. Item, de Anna, quae, ut in eodem dicitur libro, perrexit in superius cubiculum domus suae, et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit; sed in oratione persistens cum lacrimis deprecabatur Dominum. Ecce Anna, "quae interpretatur gratia", quasi avis pennata, ascendit in superiora. Sic vir iustus in superiori cenaculo suae mentis orat. Unde Christus in monte et Daniel in cenaculo orat. Eliseus et Elias habent cenacula, et Christus in cenaculo pascha celebrat. Tribus diebus et tribus noctibus etc. "In prosperitate enim et adversitate ad sanctam Trinitatem vir iustus preces porrigit". Nota ordinem verborum. In cenaculum superius primo perrexit; non comedit neque bibit; in oratione perstitit; lacrimas fudit. Qui vult volare, hoc ordine debet incedere. Prius enim a terrenis debet animum elevare, deinde corpus affligere, in oratione persistere, lacrimas fundere. "Oratio enim, ut ibi dicit GLOSSA, Deum lenit; lacrima cogit. Haec ungit, illa pungit". Respicite ergo volatilia caeli. Et attende quam congrue concordat cum historia praesentis dominicae introitus hodiernae missae: "Miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi tota die, quia tu, Domine, suavis ac mitis es et copiosus in misericordia omnibus invocantibus te". Legitur in eodem libro, quod Tobias et Anna clamaverunt ad Dominum, misericordiam postulantes. Tobias sic coepit orare cum lacrimis, dicens: Iustus es, Domine, et omnia iudicia tua iusta sunt, et omnes viae tuae misericordia et veritas. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam. Anna sic: Benedictum est nomen tuum, Domine, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facis, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. Certum habet omnis qui colit te, quia si vita eius in probatione fuerit coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; si in correptione fuerit ad misericordiam tuam pervenire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, qui post tempestatem

tranquillum facis, et post lacrimationem et fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in saecula. Bene ergo uterque istorum dicit in introitu: Miserere mihi etc. Quomodo istis se invocantibus fuerit suavis ac mitis et copiosus in misericordia, patet cum subditur: In illo tempore exauditae sunt preces amborum in conspectu gloriae summi Dei; et missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Dei recitatae.

10 – Revertamur ad materiam et dicamus: Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea. Nota ista tria verba. Primo est serere, idest seminare, secundo metere, tertio congregare. Quid ista significent videamus. Dicit Iob: Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu irae eius esse consumptos. "Dolores seminat qui perversa agit; metit qui in eis prosperatur". De hoc dicit Osee propheta: Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. Impietatem arat, qui corde mala machinatur. Iniquitatem metit, qui exsequitur opere quod machinatus fuit corde. Frugem mendacii comedit, qui de perpetrata malitia excusationem praetendit et de impietate impunitatem sibi promittit. Aravit serpens impietatem, messuit Eva iniquitatem, comedit Adam mendacii frugem dicens: Mulier quam dedisti mihi dedit etc. Arat diabolus in suggestionibus; metit caro in delectatione; spiritus comedit, cum ratio sensualitati consentit. Dicat ergo Iob: Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminunt dolores et metunt eos, flante Deo periisse. Nota quod, "cum nos flamus, aerem ab exterius intus trahimus, et ab intus extra reddimus. Deus ergo in retributione flare dicitur, qui ab exterioribus causis intus iudicii consilium concipit, et ab interno consilio exterius sententiam emittit, idest a malis nostris quae extra videt, iudicium intus disponit et ab interno conceptu extra damnationem facit". O caeci pecuniosi et deliciosi, quos excaecavit stercus hirundinum, mammona daemonum, respicite volatilia caeli, caelestia contemplantia, quoniam non serunt impietatem, non metunt iniquitatem, neque congregant mendacii frugem; et ideo Pater caelestis pascit ea compunctione lacrimarum, amaritudine gemituum, desiderio aeternorum. Pascit ea dum eis imprimit paupertatem et humilitatem suae Incarnationis, dolorem suae Passionis, gaudium suae Resurrectionis. Pascit ea contemplationis dulcedine, caelestis beatitudinis suavitate.

11 – Unde ipse dicit in Ioanne: Per me si quis introierit salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. Per me, idest per latus meum lancea apertum, si quis fide, passione et compassione introierit, salvabitur, sicut columba in foramine petrae, a facie accipitris ipsam rapere machinantis; et sic ingredietur ad circumspectionem ad discussionem ad examinationem sui, et egredietur ad considerandam et conculcandam, contemnendam et fugiendam vanitatem mundi. Vita viri iusti semper est in his duobus: cum ingreditur non invenit nisi plangendum, cum egreditur non videt nisi fugiendum. In ingressu est tristitia. Unde poenitens dicit in Psalmo: Tota die contristatus ingrediebar. Quare miseri non contristamur? Certe quia non ingredimur ad considerandam malitiam et miseriam nostram. O si ingredereris ad te non videres nisi dolorem et tribulationem in te. Tunc risus cessaret, laetitia locum non haberet, moeror et angustia omnem delectationem sepeliret. Anna filia Raguelis ad se ingressa fuerat, cum dicebat: Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem

me praebui. Item, in egressu viri iusti est fuga. Unde dixit: Elongavi fugiens et mansi in solitudine. Ingredietur ergo et egredietur, et in omnibus his pascua inveniet, scilicet in latere Christi, in dolore sui, in contemptu mundi. In latere Christi invenit iustus pascua. Unde potest dicere: 'Deliciae meae esse cum Filio hominis', crucis patibulo suspenso, clavis affixo, felle et aceto potato, latere fosso. O anima mea, hae sunt deliciae tuae, his fruere, in his delectare. Unde tibi dicit Isaias: Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum. Videbis, o anima, Dei Filium patibulo suspensum, et tunc deliciis afflues, lacrimis te perfundes; et mirabitur cor tuum Patris benignitatem, qui Unigenitum pendentem videbat et non eum deponebat. O Pater, quomodo te continere potuisti? Quomodo caelos non dirupisti et descendens tuum dilectum non liberasti ? In hac admiratione dilatabitur cor tuum ad diligendum Patrem, qui dedit Filium qui redemit, Spiritum Sanctum qui operatus fuit. Item, in dolore cordis et mundi contemptu invenit iustus sibi pascua. Unde dicit Iob de onagro, idest poenitente: Circumspicit montes pascuae suae, et virentia quaeque perquirit. "Montes pascuae sunt altae contemplationes internae refectionis", quas cum circumspicit, dolore et planctu se afficit. Huic poenitenti "virentia perquirere est, despectis transitoriis, in aeternum mansura desiderare. Arentia quippe sunt omnia quae temporaliter condita venturo fine a iucunditate praesentis vitae quasi aestivo sole siccantur. Virentia autem vocata sunt quae nulla temporalitate siccantur". Bene ergo dicit Dominus: Pater caelestis pascit ea. Sequitur: Quis autem vestrum cogitans potest addicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimentis quid solliciti estis? "Superius de esca, hic de vestimento". "Illi ergo curam tegendi corporis relinquite, qui illud ad hanc mensuram fecit pervenire. Exhortationem de indumento satis congruo confirmat exemplo: Considerate, inquit, lilia agri" quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Ibi dicit GLOSSA: "Quae purpura regum, quae pictura textricum potest floribus comparari? Ipse color dicitur operimentum florum, sicut dicimus: Operuit istum rubor". Salomon, "qui prae aliis floruit", in omni gloria sua non fuit coopertus sicut unus ex istis floribus. Non enim potuit se cooperire niveo colore, quemadmodum cooperitur lilium, vel roseo, quemadmodum rosa, et sic de ceteris.

12 – MORALITER. Nota quod in liliis sunt tria: medicina, candor et odor. Medicina est in radice, candor et odor in flore. Et significant poenitentes, spiritu pauperes, membra sua cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, qui habent humilitatem in corde, reprimentem tumorem superbiae, candorem castitatis in corpore, odorem bonae famae. Isti dicuntur lilia agri, non deserti, non horti. In agro duo notantur: soliditas sanctitatis et perfectio caritatis. 'Ager est mundus', in quo florem permanere quam difficile tam gloriosum est. Florent in deserto eremitae, qui ab humana cavent frequentia. Florent in horto clauso claustrales, quibus humana cavet custodia. Sed gloriosius est poenitentibus florere in agro, idest mundo, ubi facile perit gemina gratia floris, scilicet species bonae conversationis et odor bonae opinionis. Unde se esse florem campi Christus gloriatur, cum dicit in Canticis: Ego flos campi. Ita et beata Maria, eius mater, potest gloriari, quae in mundo florem non perdidit, cum tamen nec reclusa nec monialis fuit, gloriosius reputans florere in mundo, quam in horto vel deserto. Licet, ut dicit AUGUSTINUS, hoc tentare periculosius sit, posse felicius. In agro enim vel campo certamina solent fieri, et in mundo pugna est continua, quam ingerunt caro, mundus et daemonia, in qua soliditas sanctitatis est necessaria, quae omnibus periculis debet permanere inconcussa.

Quicumque ad certamen in campo vult exire, prius experiatur posse, si in tam crudeli agone valeat consistere. Melius est in horto vel in deserto florere quam in agro marcescere, longe melius illic stare quam hic succumbere. In eo etiam quod lilia agri dicuntur, perfectio caritatis ostenditur, qua se exponunt cuilibet carpere volenti. Omni, inquit Dominus, petenti te tribue, scilicet bonam voluntatem, si non habes facultatem; si vero utrumque, perfectius. Considerate ergo lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent. Nota ista tria: crescunt, non laborant, neque nent. Ideo iusti crescunt de virtute in virtutem, quia non laborant neque nent, quod est fila torquere, idest filare. Non laborant in Aegypti lateribus, idest carnis voluptatibus; neque nent, idest diversa fila cogitationum torquent, in temporalibus. Vis crescere? Noli in te laborare nec in mundo nere, et sic eris pauper. Unde dicit Ioseph in Genesi: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. In terra paupertatis, idest humilitate cordis, crescit iustus: cum in se decrescit, in illo Deus crescit. Unde Ioannes Baptista: Me, inquit, oportet minui, illum autem crescere. Cum minuis te, Deus crescit in te. Unde Isaias: Erit minimus in mille, et parvulus in gentem fortissimam. Quod fit cum humilis in oculis suis in perfectione mentis et operis sublimatur. Unde in Psalmo: Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus. 'Altum superius et inferius dicitur', ut altum caelum et altum mare. Cum ergo accedis ad cor altum, idest cordis profundum, scilicet humilitatem, tunc Deus in te exaltatur, quia facit te exaltari super omnia, in quibus est vanitas et afflictio spiritus. Considerate ergo, o temporales, temporis fugitivi amatores, qui laboratis et onerati estis, qui fila infinita torquetis, quomodo lilia agri crescunt.

13 – Sequitur: Dico vobis quod nec Salomon etc. Sapientissimus Salomon huius saeculi sapientes significat, qui in omni gloria sua frivola et transitoria, in omni scientia sua inflativa, in omni eloquentia sua deceptoria, non sunt cooperti sicut unum ex istis Christi pauperibus. Isti sunt cooperti candore munditiae, illi rubigine carnalis concupiscentiae; istos paupertas et nuditas cooperit, illos abundantia discooperit. 'Cooperti sunt iniquitate et impietate sua', discooperti virtute; hic vestiuntur, ut alibi denudentur. Unde de eis subdit Dominus: Si enim foenum quod hodie est et cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quanto magis vos minimae fidei? "Foenum dictum, eo quod flammam nutrit, quod est graece phos", et significat carnales, quos hodie, idest in hac praesenti vita, Deus sic temporalibus vestit, idest vestiri permittit, et cras, idest in futuro, in clibanum ignis ardentis mittet. Qui ex seipsis nutrient flammam sese comburentem. Unde Isaias: Ecce omnes vos accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. In igne, quem tibi hic accenderis, ibi combureris. Vis evadere illum? Noli accendere istum, vel si accendisti extingue, scilicet peccati incendium. Nota ista duo adverbia: hodie et cras. Hodie peccator est et cras non erit; hodie vestitur et cras in clibanum mittitur. Unde in primo libro Machabaeorum: A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis est; hodie extollitur et cras non invenietur, quia conversus est in terram, et cogitatio eius periit. Hodie peccator vestitur et cras in clibanum mittitur. Unde Isaias: Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis. Anima, quae vestimentum divitiarum cum sanguine carnalium voluptatum sibi induit, aeterni ignis cibus erit. Si ergo foenum etc., ac si diceret: Si carnalibus, ignis aeterni filiis, Deus ad malum suum superflua tribuit, quanto magis vobis fidelibus necessaria praestabit? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.

“Plenius inculcat et revolvit quod dixit a principio sermonis, ut absque sollicitudine vivamus”. Super hunc locum dicit GLOSSA: “Hic videntur argui hi qui, spreto victu vel vestitu communi, lautiora sibi vel austeriora prae his cum quibus vivunt alimenta quaerunt vel indumenta”. Haec enim omnia gentes inquirunt, “quibus de futuris cura non est. Quid amplius habet a gentili, cuius infidelitas animum sollicitat et curis vitae huius fatigat? Sollicitudo facit similem gentili, idest infidelem”. Scit enim Pater vester, “qui bonis filiis viscera sua non claudit. Dum Patrem audis, ne dubites”. Quia omnibus his indigetis. “Dat enim, nisi infidelitas vestra avertat”.

14 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Alterius onera portare non poteris nisi prius tua deposueris. Allevia te prius tuis, et alterius onera portare poteris. Cum fueris volatile caeli, lilium agri, tunc poteris portare onera, idest tribulationes, infirmitates proximi, quasi tuam sarcinam, et sic adimplebis legem, “idest caritatem”, Christi, “qui peccata nostra tulit” in corpore suo super lignum. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut pennis virtutum a terrenis nos eleves, candore munditiae nos vestias, qua onera fraternae infirmitatis portare et ad te, qui nostra portasti, valeamus pervenire. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De regno Dei ante omnia quaerendo

15 – Sequitur tertium. Quaerite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis. “Regnum Dei summum bonum, et ideo quaerendum. Quaeritur autem fide, spe et caritate. Iustitia vero regni est, omnia quae Christus docuit observare. Regnum quaerere est ipsam iustitiam operibus implere. Primum ergo regnum Dei quaerite, idest praeponite omnibus rebus, propter quod omnia debent fieri”, “extra quod nihil petitur”, cui omnia quae petimus debent deservire. Et nota quod ait adiicientur, “quia omnia sunt filiorum et ideo haec omnia adiicientur etiam non quaerentibus. Quibus si subtrahuntur ad probationem est; si dantur, est ad gratiarum actionem, quia omnia cooperantur eis in bonum”. Super hoc regno habes concordantiam in libro Tobiae, ubi ipse dicit: Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur. Et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide mundo et candido omnes plateae eius sternentur, et per vicos eius Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus qui exaltavit eam; ut sit regnum eius in saecula saeculorum super eam. Amen. Nota quod ‘triplex est Ierusalem: allegorica, idest Ecclesia militans; moralis, idest anima fidelis; anagogica, idest Ecclesia triumphans’. De quarum qualibet structura pertractemus. [ALLEGORICE]. In hac auctoritate quattuor lapides ponuntur, scilicet sapphirus, smaragdus, lapis pretiosus, lapis mundus et candidus, per quos quattuor militantis Ecclesiae ordines intelligimus, scilicet apostolos, martyres, confessores et virgines. Sapphirus, sereno caelo similis, apostolos significat, qui, terrenis contemptis, meruerunt dicere: Nostra conversatio in caelis est. Smaragdus, ‘qui tantae est viriditatis, ut omnium superet herbarum virorem, aerem circumfusum vel imagines aspicientium virides reddat’, martyres significat, qui, sui sanguinis effusione, animas in horto Ecclesiae, apostolorum labore plantatas, ut in fidei viriditate perdurarent, asperserunt. Ex sapphiro ergo apostolorum et smaragdo martyrum aedificatae fuerunt Ecclesiae militantis portae, ut per ipsos pateret introitus ad regnum. Item, lapis pretiosus significat confessores, qui contra haereticos ‘se murum pro domo

Israel opposuerunt'. Lapis mundus et candidus fuerunt virgines, munditia interiori et candore exteriori resplendentes, quae humilitate et martyrio se pro Domino prostraverunt; quarum exemplo plateae, 'quae dicuntur a platos, hoc est latitudine', idest fideles, dilatati, caritate sternuntur, ut et ipsi Domino se subiiciant.

16 – MORALITER. In sapphiro, contemptus visibilium et contemplatio invisibilium; in smaragdo compunctio lacrimarum cum confessione criminum designantur. Ex his duobus aedificantur animae portae, per quas patet introitus Sancti Spiritus gratiae. Per has patet introitus et exitus ad gustandum suavitatem Dei, ad circumspectionem tui, ad conculcationem mundi. In lapide pretioso notatur patientia, quae est murus animae, muniens et defendens eam ab omni perturbatione. In lapide mundo et candido figuratur castitas et humilitas, quibus debent sterni cogitationes et affectiones mentis; et tunc per vicos, idest corporis sensus, Alleluia, idest laus Dei, cantabitur. Est enim dulcis symphonia, cum consonat operatio sensuum munditiae et puritati cogitationum.

17 – ANAGOGICE. In sapphiro Trinitatis et Unitatis inenarrabilis contemplatio. In smaragdo, qui confert oculis, totius Ecclesiae triumphantis iucunda visio; in lapide pretioso, caelestis gaudii aeterna fruitio; in lapide mundo et candido geminae stolae, idest animae et corporis, designatur glorificatio. Cum sancti omnia ista habuerint, tunc per vicos Ierusalem cantabunt Alleluia. Per vicos Ierusalem intelligimus mansiones, de quibus dicit Dominus: In domo Patris mei mansiones multae sunt, in quibus Alleluia, laus et gloria, voce indefessa, a sanctis cantatur. Benedictus Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, qui exaltavit Ierusalem militantem in Ecclesiam triumphantem, quae est regnum eius, super quam ipse regnat per aeterna saecula. Amen. De hoc regno ergo dicitur in evangelio: Quaerite primum regnum Dei.

18 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam aeternam. Haec est Ierusalem lapidibus pretiosis aedificata. Haec est regnum Dei, quod quaerimus cum in spiritu seminamus. In spiritu seminare est iustitiam regni quaerere, de qua subditur: Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes, cum indefessa voce per vicos Ierusalem Alleluia decantabimus. Rogemus ergo, fratres, Dominum Iesum Christum, ut det nobis regnum suum quaerere, Ierusalem moralem in nobis aedificare, qua ad caelestem pervenire et per ipsius vicos cum sanctis angelis mereamur Alleluia decantare. Ipso praestante, cuius regnum manet per aeterna saecula. Dicat omnis moralis anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decima sexta dominica post Pentecosten: Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de anima poenitente, qualiter peccatum debet deponere et poenitentiae operibus insistere, et

ornamento virtutum se debet induere, ibi: Iudith descendit in domum suam. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item qualiter cognoscitur mortale peccatum, ibi: “In unoquoque nostrum”. Item de quattuor portis nostri corporis, ibi: Singuli per turmas suas. Item de visu, ibi: “Sicut oriens mundum”. De auditu, ibi: “Meridies dictus”. De gustu, ibi: “Occidens dictus”; et de natura serpentis. De tactu, ibi: “Aquilo dictus”. Item thema de diaboli astutia, ibi Holophernes dum circuiret. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de misericordia Dei, quae consistit in Incarnatione et Passione; et de natura cypressi, ibi: Cum Assuerus vidisset Esther. Item de quattuor elementis et eorum significatione, ibi: Hi autem qui portabant steterunt. Item de peccati abominatione, ibi: Nosti, Domine. De cordis contriti humilitate, ibi: Esther confugit ad Dominum. De confessione, ibi: Domine rex Deus. De restitutione poenitentis, ibi: Homo quem rex honorare. Item de latitudine, longitudine, summitate et profundo et eorum signicatione, ibi: In caritate radicati.

Exordium. De anima poenitente

1 – In illo tempore: Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim etc. Dicitur in libro Iudith, quod Iudith descendit in domum suam et abstulit a se cilicium, et exuit se vestimento viduitatis suae. Et lavit corpus suum et unxit se myrrha optima, “et distinxit” et discriminavit crinem capitis sui et imposuit mitram super caput suum; et induit se vestimentis iucunditatis suae, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola et lilia et inaures et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se. “Iudith interpretatur confitens”, et significat animam fidelem, quae confessione criminis et laudis debet Domino confiteri. Haec in domum suam descendit, cum, ad conscientiam propriam rediens, ‘recogitat mala sua in amaritudine animae suae’. Unde dixit Angelus ad Agar in Genesi: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu eius. ‘Agar interpretatur vultur’. Haec est anima, quae cum egreditur per sensus corporis ad opera carnis, tunc est quasi vultur, insidens cadaveribus. Huic dicit Angelus, idest gratia Sancti Spiritus: Revertere ad dominam tuam, intra in conscientiam tuam, et sub manu rationis humiliare in amaritudine poenitentiae. Et abstulit a se cilicium. In cilicio foetor peccati designatur, quem tunc a se anima aufert, cum, in conscientiam propriam descendens, meditatur quid commiserit et omiserit. Unde in Psalmo: Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. Nota ista tria verba: meditari, exercitari et scopare. Peccator, in nocte peccati existens, debet meditari cum corde suo quid commisit, quid amisit et quid sibi acquisivit. Commisit animae suae mortem, amisit gloriam, acquisivit gehennam. Et pro his debet se exercitare in contritione et amaritudine cordis, et scopare, idest mundare peccati foetorem, in confessione oris. Et exuit se vestimento viduitatis suae. “Vestimentum est, quod usque ad vestigium praetenditur, quasi vestigimentum”. “Vidua dicta, quod sola sit, nec circa consortium viri coniugalia iura custodiat”. Vestimentum viduitatis est mortale peccatum, quo cum anima induitur, a vero sponso vidua efficitur; quod tunc exuit, cum ipsum et ipsius circumstantiam in confessione deponit. Unde dicit Dominus in Ieremia, in verbis Baruch: Exue te, Ierusalem, stola luctus et vexationis tuae; et indue te decore et honore eius, quae a Deo tibi est, sempiterna gloria. Stola luctus et vexationis est peccatum, in quo est luctus et vexatio. Luctus dictus, quod sit humano cordi quasi vulnus vel ulcus, cui sanando consolationes adhibentur. Sicut vulnus vel ulcus, corpus, sic peccatum vexat animam, cui dicitur: O Ierusalem, exue te in confessione stola luctus et vexationis tuae, et indue te

decore virtutum et honore gloriae, quae est puritas conscientiae, ut ad sempiternam gloriam valeas pervenire. Et lavit corpus suum, idest "opera carnis, lacrimis poenitentiae". Unde dixit Dominus Moysi in Exodo: Vade ad populum et sanctifica illos hodie et cras; laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. Nota quod tres sunt dies, idest contritio, confessio et satisfactio. Hodie et cras, idest contritione et confessione, debemus nos sanctificare, et lacrimis vestimenta, idest opera carnalia, lavare, et sic erimus parati in diem tertium, idest ad satisfactionem peragendam. Et unxit se myrrha optima, idest "carnis mortificatione", ut occidat vermes concupiscentiae. Unde dicitur in Ioanne, quod venit Nicodemus ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo ipse et Ioseph corpus Iesu et ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos Iudaeis est sepelire. 'Nicodemus interpretatur includens iudicio', et significat vehementem spiritum contritionis, qui includit sensus corporis sub iudicio discretionis, ne discurrant per prata captivae voluptatis. Hic fert mixturam myrrhae et aloes, idest mortificationem mentis et corporis, in qua consistit omnis perfectio hominis, et hoc est quasi libras centum. 'Ioseph interpretatur appositio', et significat confessionem, quae debet apponi contritionis spiritui. Isti duo sepeliunt virum iustum in novae monumento conversationis, ligantes eum linteis mundae conscientiae, cum aromatibus bonae famae. Sic enim mos est Iudaeis, idest vere poenitentibus, sepelire. Sequitur: Et distinxit, et discriminavit crinem capitis sui, "idest distinxit solerti discretione cogitationes singulas mentis". Unde dicit Dominus in Ieremia: Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. 'Pretiosus [lapis] dictus, quod a vilibus discerni possit, seu quod rarus sit'. "Vilis a villa dicitur, nullius enim urbanitatis est". Si ergo separaveris pretiosum a vili, idest cogitationem puram, quae rara est, ab impura, quae de carne est, quasi os meum eris, qui non terrena sed caelestia loquor. Et imposuit mitram super caput suum. Hoc est quod dicit Ecclesiasticus: Corona aurea super mitram eius, idest Aaron, expressa signo sanctitatis, et gloria honoris, et opus fortitudinis. De hoc habes in Exodo, ubi dixit Dominus Moysi: Facies et laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere caelatoris: Sanctum Domini. Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram, idest super mitram, imminens fronti pontificis. "Caput est mens"; mitra in capite, stabile propositum boni operis in mente; lamina aurea super mitram est patientia aurea, in qua sculpitur Sanctum Domini, 'idest tetragrammaton, idest quattuor litterarum, quae sunt ioth, he, vau, he. Hoc est: Principium vitae Passionis iste. Ac si diceret Aaron: Iste quem ego praefiguro est principium vitae in Adam perditae, sed Passionis, hoc est Passione sua restauranda'. Genitivus, graeco more, ponitur pro ablativo. In lamina aureae patientiae inscribitur nomen Passionis dominicae, quae est gloria nostri honoris et opus nostrae virtutis. Sequitur: Et induit se vestimento iucunditatis suae. Vestimenta iucunditatis sunt "opera caritatis". Unde in Psalmo: Iucundus homo qui miseretur et commodat etc. Induitque sandalia pedibus suis, idest "congressus operum evangelicis munivit praeceptis". Unde in Marco 'sandaliis calceati' apostoli leguntur. Ibi dicit Glossa: "Calceatos sandaliis. Ut pes neque tectus sit neque nudus ad terram, idest neque evangelium occultetur, nec terrenis commodis innitatur". Assumpsitque dextraliola, 'idest remunerationem dexterae, idest vitae aeternae'. Unde in Ioanne: Mittite, inquit, in dexteram navigii rete, et invenietis. In sinistra est perdere, quia 'sinistra dicitur sinens extra'. Quidquid pro hoc mundo facis, totum hic sinis, et sic perdis. In dextera est invenire, quia 'dextera dicitur dans extra'. Si pro vita aeterna laboras, de interno vitae thesauro, tibi extra posito, datur gratia, per quam possis redire in terram. Et assumpsit

lilia, ‘idest castitatem, munditiam’, de quibus dicitur in Canticis: Dilectus meus pascitur inter lilia. Inter lilia duplicis continentiae requiescit et delectatur filius Virginis Mariae. Et inaures, idest devotiones obedientiae. Unde dicitur in Iob: Et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem unam auream. “Per ovem innocentia, per inaurem obedientia, idest auditus humilitatis gratia ornatus exprimitur”. “Notandum vero quod hoc loco cum inaure ovis, cum ove inauris offertur, quia innocuis mentibus ornamentum obedientiae iungitur, Domino attestante: Oves meae vocem meam audiunt”. Oves, inquit, non lupi. Qui praelati vocem non audit, non ovem sed lupum se esse ostendit. “Quia vero ipsa obedientia non metu sed caritate observanda est, auream inaurem obtulisse perhibentur”. Et annulos, idest “signaculum fidei formatae”. Unde, de filio prodigo, dixit Pater in Luca: Date illi annulum in manu eius. “Annulus in manu est fides in opere, ut per opera fides clarescat et per fidem opera confirmentur”. Et ornavit se omnibus ornamentis suis, idest “ceteris virtutibus”, quibus ornatur anima. De quibus in Psalmo: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Haec omnia oportet illum habere, qui cum filio viduae a Domino resuscitatur et matri suae caelesti Ierusalem restituitur. Unde in hodierno evangelio dicitur: Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur: Iesu Christi portae civitatis Naim appropinquatio, et defuncti viduae filii resuscitatio. Primum, ibi: Ibat Iesus. Secundum, ibi: Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eam etc. Nota etiam quod in hac dominica et infra septimanam leguntur libri Iudith et Esther, ex quibus aliquas auctoritates cum clausulis evangelii volumus concordare. In introitu hodiernae missae cantatur: Iustus es, Domine, et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios: Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quam in duabus particulis volumus dividere et cum duabus clausulis evangelii concordare. Prima particula est: Obsecro vos. Secunda: In caritate radicati et fundati. Et attende quod ideo haec epistola legitur cum isto evangelio, quia in evangelio dicitur qualiter Christus filium viduae resuscitavit, et Paulus in epistola dicit: Christum per fidem in cordibus nostris, per quam interius homo noster resuscitatur a peccatis.

I – De Iesu Christi portae civitatis Naim appropinquatione

3 – Dicamus ergo: Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim; et ibant cum illo discipuli eius et turba copiosa. Cum appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suae; et haec vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Hoc evangelium breviter GLOSSA comprehendit sic: “Cum, inquit, Verbum caro factum gentilem populum, per portas fidei ad caelestem Ierusalem induceret, ecce iudaicus populus iunior propter perfidiam defunctus effertur, quem mater Ecclesia in mundo quasi proprium possidens, multis populorum turbis circumsepta, pio affectu plorat et ad vitam piis lacrimis revocare laborat. Quod et interim in paucis Iudaeorum conversis et tandem in plenitudine impetrat”. “Loculus quo effertur, corpus est humanum; portitores sunt mali mores, qui ipsum corpus ad mortem trahunt. Sed Iesus loculum tangit, cum fragilem naturam in ligno crucis erigit; tunc stant funeris portitores, quia non valent, sicut prius, ad mortem trahere. Tunc loquitur Iesus, idest monita salutis infundit, quo verbo audito languidus ad vitam erigitur et bonis actibus matri redditur”. Considera et attende diligenter, quam congrue, quam egregie concordat historia Iudith cum evangelio

praesentis dominicae. In evangelio tria specialia sunt notanda, scilicet civitas Naim, filius viduae in ea defunctus, et ipsa vidua. Similiter in historia praesentis dominicae ponuntur tria specialia, scilicet civitas Bethuliae, populus in ea siti afflictus et quasi mortuus, et ipsa Iudith vidua. Dominus, misericordia motus super lacrimis viduae, resuscitat eius filium; et lacrimis et oratione viduae Iudith liberat ab hostium obsidione Bethuliae populum. Quid omnia ista moraliter significent videamus. Civitas Naim et civitas Bethuliae idem significant. Naim motus vel "commotio fluctus aut fluctuans", 'Bethulia domus dolens, vel domus parturientis interpretantur', et significant corpus nostrum, in quo est commotio primorum motuum, fluctus malarum cogitationum, dolor tribulationum, parturitio gemituum et lacrimarum. De his quattuor disseramus.

4 – Nota quod "in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque dilabitur, quam tunc actum est in illis tribus, scilicet serpente, muliere et viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem, sive per sensus corporis. Quae suggestio, cum facta fuerit, si cupiditas nostra non moveatur ad peccandum, excluditur serpentis astutia. Si autem mota fuerit, quasi iam mulieri persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cum fit non labimur in peccatum, sed cum aliqua luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, et quod libido commoverit faciendum esse decernat, ab omni beata vita tamquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiam si non subsequatur factum, quando rea tenetur in consensione conscientia". Subtiliori etiam consideratione investigandum est quid sit in anima mortale vel veniale peccatum. "Si peccatum non diu teneatur delectatione cogitationis, sed statim ut mulierem, idest inferiorem rationis partem, sensualis motus tetigit, viri, idest rationis, auctoritate repellitur, veniale est". "Et ideo de talibus cogitationibus venia petenda est pectusque percutiendum et dicendum: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris". "Si vero diu delectationibus illicitis, a quibus se continuo debet avertere, cogitatio sola libenter pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur", "mortale est, et pro eo, nisi poeniteat, damnabitur". Dicitur in Genesi quod 'Noe genuit Cham; Cham genuit Chanaan', de quo dicitur, in eodem Genesi: Maledictus puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. "Noe, requies"; "Cham, calor; Chanaan commotio interpretatur". Ex quiete, idest tepiditate et otiositate, gignitur calor concupiscentiae. Ex calore concupiscentiae fit motus carnis miserae. Qui enim calet cito movetur. Maledictus puer Chanaan, maledictus motus carnis, quem subiugare et servituti debemus subicere. Item, de fluctu malarum cogitationum dicit Isaias: Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum. Et: Non est pax impiis, dicit Dominus. Cor impii est quasi mare fervens; tumet superbia, fervet luxuria, et sic fluctus malarum cogitationum redundant in conculcationem et lutum. Duo enim mala faciunt: conculcant gratiam et offerunt peccati immunditiam. Item, de dolore tribulationis dicitur in Psalmo: Tribulationen et dolorem inveni. Adam, eiectus a paradiso, invenit spinas doloris in mente, tribulos tribulationis in corpore. Spinas, inquit, et tribulos germinabit tibi. Spinae a pungendo dictae, quod sint acutae ut spicae; tribulus dicitur a tribulo, tribulas. Spinae dolorum pungunt animum; tribuli tribulationum tribulant corpus, et ideo parturit lacrimas et gemitus. Ecce civitas Naim, en civitas Bethuliae, in qua filius unicus moritur et populus affligitur. Filius et populus hominis animam significant, quae hostium invisibilium tentatione et

impugnatione affligitur; quibus cum consentit, in ipso corpore miserabiliter moritur. Dicamus ergo: Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. ‘Defunctus dicitur qui complevit vitae officia, vel vitam finivit, quia defungi est ab officio cessare vel finire’. “Defunctus, qui coram multis extra portam effertur, significat criminaliter peccantem et peccatum non cubiculo cordis tegentem, sed indicio operis vel locutionis, quasi per ostia suae civitatis, aliis propalantem. Porta, qua defunctus effertur, est aliquis de sensibus, quo aliquis in peccatum corruit”, et maxime visus. “Porta dicta, quia potest inde portari vel exportari aliquid”. Per oculos exportatur anima ‘ad videndas mulieres, idest falsas delectationes, regionis istius’, et per ipsos importatur mors ad occidendum virtutes ipsius.

5 – Et nota quod civitas Naim, scilicet corpus nostrum, quattuor habet portas, scilicet orientalem, occidentalem, meridionalem et aquilonarem, per quas anima defuncta effertur. Ne vero efferatur, hae portae seris sunt obfirmandae et custodibus muniendae. Unde Dominus locutus est, ut in libro Numeri dicitur, ad Moysen: ‘Singuli, inquit, per turmas suas castrametabuntur per gyrum tabernaculi foederis. Ad orientem Iudas figet tentoria, et iuxta eum Issachar et Zabulon. Ad meridianam plagam erit Ruben, Simeon et Gad. Ad occidentalem plagam erit Ephraim, Manasses et Beniamin. Ad aquilonis partem erit Dan, Aser et Nephthali’. Tabernaculum est corpus. Unde dicit Petrus: Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi, “idest corporis”, mei. Quattuor portae civitatis, vel quattuor partes huius tabernaculi, sunt visus, auditus, gustus et tactus. In oriente visus designatur, quia sicut oriens mundum, sic oculi totum corpus illuminant. Ad quorum custodiam debent poni Iudas, Issachar et Zabulon. Iudas, ‘qui ingressu maris Rubri primus meruit principatum’, ex cuius tribu fuit David et Christus, regalis animi significat dignitatem, quae omnem inhonesti et illiciti motus reprimit discursum, et quasi leo ad nullius tentationis pavet occursum. Issachar, “qui merces interpretatur”, mercedem aeternae retributionis significat. “Zabulon, habitaculum fortitudinis”, et significat stabile propositum perseverantiae finalis. De his duobus dicit Moyses in Deuteronomio: Laetare, Zabulon, in exitu tuo, et, Issachar, in tabernaculis. Qui usque ad sui exitus finem in Domino perseverat, vere tunc exultat, quia ad aeternae mercedis tabernacula transmigrat. Si haec tria, scilicet dignitas animi regalis, expectatio aeternae mercedis, stabilitas perseverantiae finalis, in unum conveniunt, oculos ab omni visu illicito defendunt. Animi regalitas inhonesta videre fastidit; expectatio mercedis invisibilis oculum a visibilibus subtrahit; propositum perseverantiae a peccati claudit contagione, quae, cum intrat per oculum, effeminat animi propositum. In meridie auditus designatur. ‘Meridies dictus, quasi medies, idest medius dies; vel quia meridies est, idest purior. Merum enim graece, purum dicitur latine’. Auditus est quasi medius inter visum et gustum. A longius video quam audio; magis a remotis audio quam gusto. Gustare est quasi in positivo, audire in comparativo, videre in superlativo. In auditu ergo tentoria debent figere Ruben, Simeon et Gad. De Ruben dixit Moyses in Deuteronomio: Vivat Ruben et non moriatur, et sit parvus in numero, in quo humilitas designatur. ‘Cum esses, inquit, parvus in oculis tuis, factus es magnus in meis’. Simeon interpretatur “audiens moerorem vel tristitiam”; Gad, “accinctus”. Nota quod tria sunt quae impediunt auditum nostrum, scilicet verba elationis, detractionis et adulationis. Contra verba superbiae sis peritus, idest humilis et patiens. “Optimum, inquit PHILOSOPHUS, genus vincendi patientia”. Contra detractores sis

audiens moerorem vel tristitiam. Unde Salomon in Proverbiis: Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Contra adulatores sis accinctus, propriae iniquitatis recordatione, plus tuae conscientiae quam alterius credens linguae. In occidente gustus designatur. "Occidens dictus, quod diem faciat occidere. Abscondit enim lumen mundo et tenebras superinducit". Nota quod tribus modis peccamus in lingua, scilicet adulatione, detractione, cibi et potus ultra necessitatem assumptione. Praesenti adulamur, absenti detrahimus, gulae voluptati servimus, et ideo occidit nobis sol iustitiae et superveniunt tenebrae ignorantiae. In hac parte debent figere tentoria Ephraim, "qui interpretatur crescens, Manasses, "qui oblitus", Beniamin, 'qui filius amaritudinis'. Cum aliquem tua laude crescere et extollere cupis, in teipso decrescis. Audi quid dixit Ioseph in Genesi, cum ei natus fuit Ephraim: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. Paupertatis, inquit, non adulationis. Vis crescere Deo, non homini? Creatori, non creaturae, omnem laudem, omnem gloriam redde. Vis a detractione cavere? Sis Manasses, idest oblitus omnem cordis rancorem, aemulationem. Dum loqueris, de nemine absente nisi in bono loquaris. Omnem hominem absentem, quem non vere et pure diligis, obsecro te, mi frater, obliviscere dum loqueris, ut dicere possis in Genesi, quod dixit Ioseph, quando Manasses natus fuit ei: Oblivisci me fecit Dominus omnium laborum meorum. Magnus est labor vitam alterius lingua detractionis laedere, malum alienum suum facere, pondus alterius sibi superponere. Sub lingua eius, inquit Psalmus, labor et dolor. Unde Ieremias: Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis. Et nota quod dicit extenderunt. Dicitur in NATURALIBUS, quod 'serpens ex astutia extendit linguam, in qua habet duo additamenta, et primo mordet dente et postea in vulnere facto illa duo addimenta infigit, et tunc defluit quaedam veneni humiditas in vulnus, et sic invenenat hominem'. "Serpens dictus, quia serpit", detractorem significat, qui in occulto submurmurat. In huius lingua sunt duo addimenta: aut enim de eo quem non diligit mala praedicat, aut, si timet vel ei non creditur, ironice laudat: Bonus est, inquit, si tali vitio careret. Dum mordet vitam lingua detractionis, venenum infundit perversae mentis. Item, contra gulae voluptatem sis Beniamin, idest filius amaritudinis, idest Passionis Iesu Christi. Unde dixit Booz Ruth: Intinge buccellam tuam in aceto. De hoc quaere in evangelio: Caecus sedebat. In aquilone tactus designatur. 'Aquilo dictus, quasi aquas ligans'. Iniquitas ligat manus, ne extendas ad bonos actus. In hac parte debet figere tentoria Dan, "qui iudicium", Aser, "qui divitiae", Nephthali, "qui latitudo interpretatur". Nota quod in tactu manuum tribus modis peccamus, scilicet inhonesta et turpia tangendo, aliena auferendo, sua pauperibus non erogando. Contra primum fac iudicium de teipso. Contra secundum sis contentus eo quod iuste habes: 'Magnae divitiae laeta paupertas, et sibi sufficere quod habet'. Contra tertium dilata teipsum: 'Extende manum pauperi', 'ut suscipias duplicia de manu Iesu Christi'. Si talibus seris et custodibus portae tui corporis fuerint obfirmatae, defunctus non efferetur per portas civitatis Naim.

6 – Audisti de filio defuncto, audi et de populo Bethuliae afflicto. Dicitur in Iudith, quod 'Olophernes, dum circuiret per gyrum, reperit quod fons qui influebat, a parte australi extra civitatem dirigeret; et incidi praecepit aquaeductum illorum'. Olophernes interpretatur infirmans vitulum saginatum, et significat diabolum, qui huius mundi vitulum saginatum, idest peccatorem temporalibus inebriatum, infirmat febre acuta luxuriae, scabie avaritiae, vertigine superbiae. Diabolus circuit per gyrum, "quaerens

quem devoret", et tunc reperit quod fons etc. Fons est Sancti Spiritus gratia; aquaeductus, mentis devotio; pars australis, fides Iesu Christi – Deus, inquit, ab austro veniet –; civitas est anima. Fons ergo gratiae per ductum devotionis influit, ab austro dominicae Incarnationis, in civitatem animae fidelis. Diabolus vero, cum haec reperit, mundi sollicitudine ductum mentis incidit, et sic anima, quae prius solebat 'haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris', siti arida, gratia vacua, in confinio mortis est posita. Unde, haec iusto Dei iudicio et suo merito sibi considerans evenisse, clamat cum populo Bethuliae in introitu hodiernae missae: Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum; fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. Hoc idem legitur in libro Iudith, ubi dicitur quod, factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia magna ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Dominum, dicentes: Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es, miserere nobis.

7 – Huic primae clausulae concordat particula prima hodiernae epistolae: Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quae est gloria vestra. Hoc Olophernes intendebat, cum populum Bethuliae tribulabat, ut, in tribulationibus deficientes, traderent ei civitatem. Sic diabolus tribulat hominem, ut deficiat et deficiens cadat. Sed obsecro, inquit, ne deficiatis in tribulationibus, quae sunt gloria vestra. Unde dicit Iudith: Abraham pater noster tentatus est; et, per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Hoc idem legitur in libro Iudith, ubi dicitur, quod prosternens se Domino, clamavit ad Dominum, dicens: Domine, Deus patris mei, Deus caelorum, et creator aquarum et Dominus totius creaturae, exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia praesumentem. Memento, Domine, testamenti tui, et da verbum in ore meo; et in corde meo consilium corrobora, ut domus, idest Ecclesia, tua in tua sanctificatione permaneat. Hoc est quod dicit Apostolus: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Quem, fratres carissimi, suppliciter exoremus, ut portas civitatis nostrae supradictis custodibus muniat, ductum aquae vivae, ne ab Olopherne incidatur, custodiat, in cordibus nostris habitet, qua cum ipso in caelis habitare mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

II – De filii viduae resuscitatione

8 – Sequitur secundum. Et haec vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum; hi autem qui portabant steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui; et dedit illum matri suae. Ibi dicit GLOSSA: "Misericordia prius movetur: ecce exemplum imitandae pietatis; postea suscitat: in hoc fides astruitur mirandae potestatis". Super his duobus habes concordantiam in libro Esther. De primo sic: Cum Assuerus vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu; quod erat signum clementiae. Quae accedens osculata est summitatem virgae eius. "Assuerus interpretatur beatitudo", et significat Iesum Christum, qui est beatitudo sanctorum. Hic cum videt Esther, "quae interpretatur abscondita", idest animam, quae debet abscondi a facie diaboli in fosso

latere ipsius Christi, stantem, “non titubantem in adversis”, non inclinatam terrenis desideriis, non sedentem in otio corporis, non iacentem in lecto voluptatis, tunc placet oculis eius. O beate Iesu, beatus qui placet oculis tuis, infelix qui placet suis! Vis placere Deo? Displice prius tibi. Unde Ezechiel: Displicebunt sibi super malis quae fecerunt in abominationibus suis. Et tunc dicere poteris cum David: Misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua. Nota quod, misericordia Domini consistit in duobus, scilicet Incarnatione et Passione. Misericordia ergo, idest Incarnatio et Passio, ut nostrae oculos superbiae humilient, ante mentis nostrae oculos debemus habere. Unde dicit Salomon in Proverbiis: Non effluant haec ab oculis tuis. Et in Exodo: Erit quasi signum et quasi appensum quid ob recordationem ante oculos tuos. Et loquitur a simili illius qui facit nodum vel aliquid tale pro aliquo, ne excidat a memoria sua. Et complacui in veritate tua. De qua in Psalmo: In veritate tua humiliasti me. Ac si diceret: Cum veritatis, idest Filii tui, humilitatem considero, meipsum humilio et sic tibi complaceo. Vel, complacui in veritate tua, idest in completione promissorum tuorum. Antequam enim Dominus promissa sua implesset, homo deformatus erat, unde sibi complacere non poterat; sed postquam reformatus est per Incarnationem Filii Dei, per quam Domini promissa impleta sunt, habet in quo sibi complaceat. Et quia Iesus Christus hanc reformationem fecit, ideo ipse dicit in Ecclesiastico: Ego quasi cypressus in monte Sion. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘folium cypressi tollit morphaeam, quae est species leprae’. Sic Christus maculam corruptionis, quae resultabat in speculo nostro, abstulit et ideo audire meruit pro se et suis baptizatis: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Bene ergo dicitur, quod Esther placuit oculis Assueri. Sequitur: Et extendit contra eam virgam auream etc “Virga aurea est crux suae Passionis, per quam acquisivit potestatem. Unde et dixit: Data est mihi potestas in caelo et in terra. Et Apostolus: Propter quod et Deus exaltavit illum etc.” Hanc virgam tunc contra animam extendit, cum accedit et loculum tangit. Ecce concordantia. Loculus est hominis conscientia, quam cum Dominus aurea virga suae Passionis tangit, idest sui sanguinis ei signa imprimit et suae Passionis ei memoriam infigit, tunc surgit anima, confidens de misericordia, et osculatur summitatem virgae. Summitas virgae, idest Passionis dominicae, fuit caritas, de qua dicit Apostolus in hodierna epistola: Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, “idest quae supereminet omnem scientiam, et plene sciri non potest. Caritas Christi, qua nos usque in finem dilexit, fuit super scientiam hominum”. Deus enim homo factus est, ‘iustus pro impiis mortuus est’. Summitatem ergo virgae anima osculatur, cum Christi caritati inseparabiliter iungitur, et tunc potest dicere cum Apostolo: Quis me separabit a caritate Christi? etc.

9 – Sequitur: Hi autem qui portabant steterunt. Nota quod “peccator a quattuor elementis unde constat portatur. A terra portatur, quando sola terrena cogitat”; unde in Psalmo: Oculos suos statuerunt declinare in terram. “Ab aqua portatur, quando luxuriam cogitat”; unde in Genesi, dixit Iacob Ruben: Effusus es sicut aqua, ne crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum eius. Dicitur enim quod ‘dormierit cum Bala, concubina patris sui’. “Ab aere portatur, quando omnia pro humana laude facit”. “Aer plurimum habet raritatis, quam cetera elementa”, et ideo significat vanamgloriam, quae tenue et perlucidum est mendacium. Unde in Psalmo: Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant. ‘O mendax hypocrita, quem te ipsum facis? Quare te alium hominibus vendis, quam trutina vel statera veritatis te appendit? Praepondera ergo te secretius, et

non maiorem te nobis vendas, quam te libra aequitatis appendit'. Item, ab igne portatur, quando ira succenditur. Unde in Psalmo: Sicut cera quae fluit auferentur, supercecidit ignis et non viderunt solem. Cum ignis irae a diabolo cadit in cor peccatoris, tunc sicut cera in verba blasphemiae liquescit, tunc sibi ipsi ipse aufertur et extra se portatur. Ista quattuor portant animam ad sepeliendum in inferno, sed Domino tangente, manu suae misericordiae et virga aurea Passionis, conscientiam peccatoris, quattuor supra dicta vitia coercentur, et mens ad se reversa Deo vocanti ad vitam occurrit, et respondet obediendo Salvatori. Unde sequitur: Adolescens, tibi dico, surge etc. Nota ista quattuor: surge, resedit et coepit loqui et dedit illum matri suae. Hic est rectus ordo ad vitam redeundi. Primo debet peccator surgere: surgere a peccato per ipsius abominationem et detestationem. Secundo debet sedere, idest se humiliare in cordis contritione. Tertio debet loqui in confessione, et sic eum Dominus restituet matri suae, idest Sancti Spiritus gratiae. Super his quattuor habes concordantiam in libro Esther.

10 – De primo, scilicet peccati abominatione, dicit Esther: Nosti, Domine, qui habes omnium scientiam, quia oderim gloriam inimicorum et detester cubile incircumcisorum et omnis alienigenae. Tu scis infirmitatem et necessitatem meam, quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, et detester illud quasi pannum menstruatae. Sic anima, quae a peccato vult surgere, debet odire gloriam mundanorum et detestari cubile incircumcisorum, idest vitiorum, et abominari signum superbiae et gloriae transitoriae et detestari illud, quasi pannum menstruatae. Item, de secundo, scilicet cordis contriti humilitate, in eodem libro dicitur, quod Esther confugit ad Dominum pavens periculum, quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta vestimenta suscepit; et pro unguentis variis cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit ieiuniis; omniaque loca, in quibus laetari consueverat, crinium laceratione complevit. Et deprecabatur Dominum Deum Israel. Sic anima, pavens periculum mortis aeternae, quod imminet peccatoribus, debet ad Domini misericordiam confugere et vestes gloriae temporalis exuere, et fletum et luctum poenitentiae suscipere, et pro unguentis variis, idest delectationibus carnis, cinere, idest memoria fragilitatis, et stercore, idest recordatione propriae iniquitatis, debet caput mentis aspergere, et corpus suum ieiuniis humiliare, et omnia loca, in quibus fuit delectata, crinium laceratione replere, ut "quot in se habuit oblectamenta tot de se inveniat holocausta". Item, de confessione dicit Mardochaeus, in eodem libro Esther: Domine rex, Deus, exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo; et converte luctum nostrum in gaudium. Et Esther dixit: Domine mi, qui rex noster es solus; adiuva me solitariam, et cuius praeter te, nullus adiutor est alius. "Mardochaeus interpretatur amara contritio", ex qua procedit vera confessio, veniam impetrans et luctum poenitentiae convertens in gaudium gloriae.

11 – Item, qualiter Dominus restituat poenitentem gratiae, dicitur in eodem libro Esther: Homo, inquit, quem rex honorare cupit debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere diadema regium super caput suum; et primus de regiis principibus teneat equum eius, et per plateam civitatis incedens clamet et dicat: Sic honorabitur quemcumque rex honorare voluerit. 'Quod totum rex Assuerus praecepit fieri Mardochaeo'. Quid vestes regiae, quid equus et sella regis, quid diadema regium, quid primus de regiis principibus significent, videamus. Vestes dictae, quod statum hominis

proprium vehunt. Rex est Christus, cuius vestes sunt virtutes, quibus induit animam ad se conversam. Unde dicit in Ezechiele: Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo; et vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacintho, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus. Et ornavi te ornamento. "Sanguis dictus, quod suavis sit", et significat immunditiam luxuriae, quae 'suavis est homini, sed postea os eius implebitur calculo", idest carbone ignito gehennae. Hunc sanguinem lavat et emundat Dominus ab anima aqua compunctionis; et inungit oleo paternae consolationis; et vestit discoloribus, idest variis virtutibus; et calceat hyacintho, 'idest aeternorum desiderio', ut calcet super serpentes et scorpiones; et cingit 'bysso castitatis'; et induit subtilibus, idest simplicitate purae mentis, et ornat ornamento honestatis. Anima his vestibus induta super equum, qui de sella regis est, potest poni. Equus est corpus; "sella, a sedendo dicta, quasi sedda", est humilitas vel paupertas Iesu Christi, in qua ipse sedit, cum in carne se humiliavit. Corpus ergo, quod in humilitate et paupertate vivit, bene dicitur esse de sella regis. Super hunc equum anima ponitur, cum caro spiritui subiugatur, et tunc diademate regio, idest caritate Dei et proximi, coronatur. Et primus de regiis principibus etc. Nota quod, Deus tres principes homini, ut ipsum custodirent, constituit, scilicet rationem, intellectum et memoriam. Quorum primus, scilicet ratio, equum debet tenere, ne corpus huc atque illuc discurrat, et per plateam civitatis, idest concordiam fraternitatis, ipsum debet ducere, ne oberret. O carissimi, sic honorabitur quem rex, Iesus Christus, voluerit honorare. Quicumque ergo tali honore cupit honorari, necesse est, ut primo surgat, secundo resideat, tertio loqui incipiat, et sic cum honore restituetur matri suae, idest Sancti Spiritus gratiae, ut postea sit particeps in honore aeternae gloriae.

12 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum. Nota quod, ista quattuor concordant illis quattuor supradictis, scilicet surge, resedit, coepit loqui et dedit illum matri suae. Cum quis a peccati surgit angustia, tunc est in mentis latitudine. Unde in Psalmo: Eduxit me in latitudinem, salvum me fecit quoniam voluit me. Unde dixit Dominus discipulis suis, de Lazaro suscitato: Solvite eum, et sinite abire. Cum quis a foetore peccati surgit, liber abit. Item, in contriti cordis humilitate est longitudo, respiciens praeteritum, praesens et futurum. Praeteritum, ut defleat; praesens, ut miseriam suam attendat; futurum, ut sibi caveat. Item, in confessione est sublimitas. Sublime dicitur excelsum, quasi supra limen. 'In limine est ingressus et egressus', in quo significatur vitae nostrae introitus et exitus. In introitu est miseria, in exitu angustia. Confessio vero in sublime, idest supra limen ponit, quia eruit a miseria et liberat ab angustia. Confessio in sublime latronem posuit, quia ipsum a miseria et angustia liberavit. Unde audire meruit: Hodie mecum, in quo nulla miseria, sed omnis gloria, eris in paradiso, in quo nulla angustia, sed omnis laetitia. Item, in conversi peccatoris suae matri restitutione est profundum divinae misericordiae. O profundum divinae clementiae, procul a fundo humanae intelligentiae, quia misericordiae eius non est numerus! Cum 'omnia Deus, ut dicitur in libro Sapientiae, disposuerit in mensura, numero et pondere', suam misericordiam his legibus, istis terminis noluit includi, immo omnia ipsa includit, ipsa circumdedit. Ubique eius misericordia, etiam in inferno, quia non tantum punit quantum culpa delinquentis exigit. 'Misericordia, inquit, Domini plena est terra', 'et nos omnes miseri de plenitudine eius accepimus'. 'Misericordia Dei sum id quod sum', sine qua nihil sum. O Domine, si tuam subtrahis misericordiam, cado in

aeternam miseriam. Misericordia tua caeli et terrae est columna, quam si subtraxeris omnia subvertentur. Sed misericordiae tuae multae, ut dicit Ieremias, quia non sumus consumpti. Vere multae! Quoties enim mente vel corpore mortaliter peccamus et a diabolo non statim suffocamur, toties infinitam Domini misericordiam id quod vivimus reputare debemus. Expectat enim ut convertamur, et ideo non permittit ut a diabolo suffocemur. Pro tot ergo misericordiis gratias misericordi Patri agere debemus, quoties peccavimus et consumpti non fuimus. O miseri, quare tantae misericordiae sumus ingrati? Dedit ei locum poenitentiae, inquit Iob, et ipse abutitur eo in superbiam; et 'thesaurizat sibi iram in die irae'. Miserearis ergo animae tuae, quia 'misericordiae Domini sunt antiquae', qui non 'obliviscitur misereri' sibi ipsi miseranti. Ista quattuor, latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, possunt concordari, sed retrogrado ordine, cum illis quattuor, quae ponuntur in fine evangelii. Accepit, inquit, omnes timor: ecce profundum timoris; et magnificabant Deum: ecce sublimitas devotionis; dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: ecce longitudo temporis acceptabilis, a longe enim, idest a sinu Patris surrexit, et venit in plenitudine temporis; et quia Deus visitavit plebem suam: ecce latitudo caritatis, qua visitare dignatus est mundum. Rogemus ergo, fratres carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum, ut faciat nos a peccato surgere, in contritione cordis residere, peccata nostra confiteri, quatenus matri gratiae restitui et ad Ierusalem, 'quae sursum est mater nostra', per manus angelorum mereamur deduci. Ipso praestante, qui est pius et benignus, misericors et mansuetus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis resuscitata anima: Amen. Alleluia.

PROLOGUS Gratias referimus Domino Dei Filio, Iesu Christo, quia, ipso duce, ipso via, usque ad primam dominicam mensis octobris pervenimus. Unde notandum quod a kalendis octobris usque ad kalendas novembris leguntur in Ecclesia libri Machabaeorum, et in isto tempore sunt quattuor dominicae, in quibus leguntur quattuor evangelia, cum quorum clausulis quasdam Machabaeorum historias, prout melius videbimus expedire, Deo dante concordabimus.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decima septima dominica post Pentecosten: Cum intraret Iesus in domum, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de praedicatore et Ecclesiae praelato et ipsius armis, ibi: Iudas Machabaeus. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de principe diabolo, qualiter Adam decepit et quotidie quemlibet fidelem decipere satagit, ibi: Cum intraret Iesus; et ibi: Antiochus intravit in sanctificationem. Item de maledicto ternario, quod Dominus sua Passione destruxit ut nobis pacem daret, ut ibi: Et erit in die illa, cum requiem; et ibi: Labor Aegypti. Item de quinque, quae ponit Apostolus in prima clausula epistolae, ibi: Obsecro vos. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de aquis concupiscentiae, ibi: Aquae Nemrim; et de natura pardi et eius significatione. Item de hydropico, idest avaro, ibi: Et ecce homo. Item qualiter Dominus manu suae misericordiae trahit peccatorem ab iniquitate, ibi: Tobias apprehendit piscem. Item de poenitente, qui omnem superfluitatem debet a se resecare, ibi: Tulit illico Sephora acutissimam petram. Item sermo moralis de unitate et pace, quam diabolus nititur

dissipare, et de natura et proprietate margaritarum et earum significatione, ibi: Solliciti servare unitatem spiritus, et cetera quae sequuntur. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema praedicationis de humilitate, ibi: Cum invitatus fueris. Item de poena simoniaci, ibi: Alcimus, qui data pecunia. Item ad religiosos de corde custodiendo, ibi: Unus de prophetis clamavit ad regem.

Exordium. De praedicatore et ipsius armis

1 – In illo tempore: Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. Dicitur in primo libro Machabaeorum, quod Iudas Machabaeus induit se loricam ut gigas, et succinxit se arma bellica in proeliis, et protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. "Iudas interpretatur glorificans", 'Machabaeus, protegens vel percutiens', et significat praedicatorem, qui haec tria debet facere, scilicet glorificare Deum, protegere proximum, percutere diabolum. Hic debet se induere loricam, ut gigas. Nota ista duo: gigas et loricam. In gigante constantia, in lorica designatur patientia, quae duo praedicatori valde sunt necessaria, ut, cum loquitur, sit constans, cum contra eum canes latrant, sit patiens. Debet enim 'exultare ut gigas ad currendam viam'. Unde Iob de ipso dicit: Exultat audacter et in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Et sic a summo caelo "empyreo, idest igneo", idest caritate, erit egressio eius ad percutiendum diabolum, qui habitat in corde peccatoris; et tunc necessaria est ei patientiae lorica. "Lorica vocata, eo quod loris careat, solis enim circulis ferreis contexta est". Sic vera patientia non loris humani favoris et timoris circumligatur, sed solis vinculis inflexibilis caritatis contexitur. Ficta vero patientia, plus mundi verecundia vel timore, quam Dei amore, timet illatam iniuriam vindicare. Sequitur: Et succinxit se arma bellica, de quibus dicit Apostolus: State succincti lumbos vestros in veritate, calceati pedes in praeparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; et galeam salutis assumite. Et protegebat castra gladio suo, 'idest verbo Dei', sibi credito; quo animas fidelium a tribus debet protegere, scilicet ardore solis, idest tentatione carnis, tempestate fulguris, idest mundanae adversitatis, incursu hostis, idest daemonis. Similis factus est leoni, de quo dicitur in Apocalypsi: Vicit leo de tribu Iuda; et in Genesi: Catulus leonis Iuda. Ad praedam ascendisti, fili mi. Requiescens accubuisti ut leo. Praedicator debet 'spolia detrahere, animas scilicet captivas de manu diaboli', in venatione suae praedicationis, rapere, sicut fecit Christus, leo de tribu Iuda, qui ascendit in crucem ad praedam, idest ad praedandum diabolum, 'in cuius domum intravit et vasa eius diripuit'. Unde dicitur in hodierno evangelio: Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur, scilicet in domum principis ingressio, hydropici curatio, ad humilitatem in omnibus tenendam Iesu Christi admonitio. Primum ibi: Cum intraret Iesus. Secundum ibi: Et ecce homo quidam hydropicus. Tertium ibi: Cum invitatus fueris ad nuptias etc. In introitu hodiernae missae cantatur: Da pacem, Domine, sustinentibus te. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios: Obsecro vos ego vinctus in Domino, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima: Obsecro vos. Secunda: Solliciti servare. Tertia: Unus

Dominus etc. Et attende quod ideo haec epistola legitur cum hoc evangelio, quia Dominus in evangelio de humilitate specialiter loquitur, qua unitas Ecclesiae conservatur, ad quam sollicite conservandam invitat Apostolus in hodierna epistola.

I – De Iesu Christi in domum principis ingressione

3 – Dicamus ergo: Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. Quid domus, quid princeps, quid pharisaei, quid sabbatum et quid panis allegorice significent videamus. 'Princeps dictus, quod primus capiat sibi locum vel honorem', diabolum significat, qui primum hominem pomo, quasi piscem hamo, primus cepit. Nota quod, qui vult piscem hamo capere, tria ad minus sunt ei necessaria, scilicet funiculus, esca et ferrum. In pomo sunt tria: odor, color et sapor. Odor, quasi funiculus, ad se trahit; color, quasi esca, allicit; sapor, quasi hamus, capit. Tali hamo captus fuit primus homo a principe diabolo. Unde super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi dicitur quod Antiochus intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum tuminis, et mensam propositionis, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat. 'Antiochus interpretatur pauperis silentium', et significat diabolum, qui primo homini, quem tanta gloria depauperavit, mortem siluit, et esse sicut Deum promisit. Hic cum superbia, ob quam de caelo ceciderat, in sanctificationem, idest paradisum, intravit, et accepit altare aureum, idest puritatem cordis, qua offertur thymiama devotionis. De quo Ioannes in Apocalypsi: Audivi, inquit, vocem unam ex quattuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei. 'Altare aureum est cor purum, quod habet quattuor cornua, idest quattuor virtutes principales, ex quibus procedit vox contritionis et confessionis'. Tale altare semper est ante oculos Dei, quia in ipsum misericorditer respicit. Unde dicit in Isaia: 'Ad quem respiciam, nisi ad humilem et quietum etc.' Et accepit candelabrum luminis, idest extinxit lumen rationis, de quo dicit Dominus in Matthaeo: Si lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? Et mensam propositionis, idest dulcedinem contemplationis, de qua in Psalmo: Parasti in conspectu meo mensam etc. Et ornamentum aureum, idest caritatem, quae ornat faciem templi, idest opera cuiuslibet christiani, 'qui, ut dicit Apostolus, templum Dei sanctum est'. Haec omnia diabolus semel abstulit primo parenti, et quotidie nititur auferre cuilibet homini. Hic dicitur esse princeps pharisaeorum, "qui interpretantur divisi", et significant illos, qui se a iustis dividunt, conventicula faciunt. De quibus habes concordantiam in primo libro Machabaeorum: In diebus illis exierunt ex Israel viri iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quae circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Domus huius principis erat mundus, quem ob primi parentis reatum tamquam domum suam possidebat, in quam Dominus intravit, cum carnem nostram accepit. Bene ergo dicitur: Cum intraret Iesus domum cuiusdam principis. Et ad quid intravit? Sabbato, inquit, manducare panem. Nota ista tria verba: sabbato, manducare, panem. "Sabbatum interpretatur requies". Manducare est dictum, quasi manum ducere ad os. "Panis dictus, quod cum omni cibo ponatur, vel quod omne animal eum petat". Dominus intravit in mundum sabbato, idest, ut requiescere nos faceret a servitute diaboli.

4 – Unde, de eo dicit Isaias: Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Dominus a labore

tuo et a concussione tua, et a servitute dura qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, caedentem populos in indignatione plaga insanabili, subicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit. In die illa, cum exortum est lumen in tenebris, Dei Filius, Iesus Christus, dedit nobis requiem a labore, concussione, servitute. Dicit Ioannes in sua canonica: Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, ecce labor; et concupiscentia oculorum, idest avaritia, ecce concussio; et superbia vitae, ecce servitus diaboli dura. De his tribus dicit Pater ad Filium, in Isaia: Labor Aegypti et negotiatio Aethiopiae, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt et tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent et te adorabunt, teque deprecabuntur. "Aegyptus interpretatur tribulatio coangustans", ecce concupiscentia carnis, quae tribulat et coangustat animam; "Aethiopia, tenebrae vel caligo", ecce concupiscentia avaritiae, quae obtenebrat oculos sapientium; "Sabaim, captivi", ecce servitus dura diaboli, scilicet sublimitas superbiae. Contra haec tria Dominus tria opposuit, scilicet vitae innocentiam contra carnis laborem, spiritus paupertatem contra avaritiae concussionem vel negotiationem, sui sanguinis Passionem contra superbiae sublimitatem. Haec Dominus, cum in se tibi ad imitandum ostendit, requiem a labore Aegypti, a negotiatione vel concussione Aethiopiae, a servitute diaboli et sublimitate superbiae, per suae Passionis humilitatem tibi dedit, requiem plenius daturus cum 'mortale hoc induet immortalitatem'. Et tunc sumes parabolam contra regem Babylonis, idest carnis stimulum vel mundum vel diabolum, et dices: Quomodo cessavit exactor, idest carnis tyrannus, qui quotidie exigebat denarium voluptatis; quievit tributum avaritiae et cupiditatis? Contrivit Dominus baculum, idest dignitatem, impiorum, et virgam, idest superbiam, dominantium, quae caedebat populos, subiciebat gentes, persequebatur crudeliter. Tunc terra, idest caro nostra, conquiescet, idest simul cum spiritu quiescet, a labore tentationis, silebit a concussione cupiditatis mundanae, gaudebit et exultabit a servitute diabolicae elationis. Bene ergo dicitur: Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato etc.

5 – Sequitur: Manducare. Christus manducavit, quia manum operationis duxit ad os praedicationis, unde audi qualiter manducavit. Coepit, inquit, Iesus facere et docere. Et iterum: Erat potens in opere et sermone. Unde dictum est Petro: 'Macta et manduca'. Ac si praedicatori diceretur: Macta gladio praedicationis, et manduca, idest manum duc ad os, ut quod aliis praedicas tu prior facias. Unde, super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquaverit Iudas et exercitus eius ad torrentem aquae, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversus nos; si vero timuerit transire et posuerit castra trans flumen, transfretemus ad eos, et poterimus adversus illum. "Timotheus interpretatur beneficus", et significat diabolum, qui suis dilectoribus beneficia, quae sunt potius veneficia, praestare videtur, 'unde potius veneficus quam beneficus debet appellari'. Hic valde timet ne Iudas, idest praedicator, flumen praedicationis transeat, ut scilicet de ripa verborum transeat ad ripam operum. Quod si fecerit, ipsum Timotheum cum suo exercitu effugabit. Sed, heu! hodie omnes veniunt usque ad flumen, in ripa stant verborum, ad ripam nolunt transire operum, et ideo diabolus eos non timet, et verba eorum minoris sunt efficaciae. 'Non enim, ut in eodem dicitur libro, sunt de semine vi rorum illorum per quos salus facta est in Israel'. Viri illi fuerunt apostoli, qui, flumen transeuntes, magnam

salutem fecerunt in populo Dei. Sequitur: Panem. Panis est voluntas Dei, quae prae omni et cum omni cibo ponenda est. Unde dixit Iudas Machabaeus: Sicut fuerit voluntas in caelo, sic fiat! Omne opus est sterile, cui non apponitur panis voluntatis divinae. 'Voluntas Domini est, ut peccator convertatur et vivat'. Unde ipse dicit in Isaia: Terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te. Cum peccator convertitur, terra, idest mens eius, a gratia inhabitatur, et sic voluntas Domini, quae est vita, in ea invenitur. Intravit ergo Iesus in domum sabbato manducare panem, idest ad hoc venit in mundum, ut faceret voluntatem Patris. Unde inquit: Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me. Unde Ezechiel: Ipse sedebit in porta, ut comedat panem coram Domino, idest humiliabit se in Virgine, ad hoc ut faciat voluntatem Patris. 'Hic est panis vivus, quem qui manducaverit non morietur in aeternum'. Caro, idest carnis voluntas, non prodest quidquam. Panis vero, idest Domini voluntas, confirmat cor hominis. Unde dicit Dominus in Exodo: Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus, scietisque quia ego sum Dominus Deus vester. Vespere culpae, cum occidit sol gratiae, peccatores comedunt carnes, idest adimplent carnis voluntates, sed 'gladius meus, inquit Dominus, devorabit carnes'. 'Carnes eorum ut carnes asinorum, et fluxus eorum ut fluxus equorum'. Confige, inquit, timore tuo carnes meas. Vespere ergo comedetis carnes, et mane, idest in ortu gratiae, in cordis contritione, in peccati abrenuntiatione, saturabimini panibus, idest Domini voluntate, quae super omnia reficit et satiat animam poenitentis, et tunc scietis quia ego sum Dominus Deus vester. Cum de vespere culpae in mane convertimur gratiae, tunc vere scimus quia ipse est Dominus Deus noster. Hunc panem omne animal petit. Unde: Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra, quasi diceret: " Sicut fit in iustis et sic in peccatoribus fiet". Visita ergo terram et inebria eam ut non spinas et tribulos, sed granum plenum in spica, idest confessionem in contritione, quae pungit, germinet, ut ex ipso fiat panis tuae voluntatis, confirmans cor hominis. Sequitur: Et ipsi observabant eum, idest insidias intendebant, vel callide advertebant "si sabbatum solveret". Observabit, inquit, peccator iustum. Observabant, ut eum reprehenderent, non ut mandata eius custodirent. Deum, inquit Salomon, time, et mandata eius observa, ad hoc faciendum factus est omnis homo. Dicitur in NATURALIBUS, quia est quoddam animal parvum, quod "vadit ad locum per quem intrant apes, et insufflat fortiter in eo et expectat quousque exeant, et cum aliqua illarum voluerit volare, deprehendit eam et comedit". Sic superbus et callidus vadit ad locum per quem intrant apes, idest considerat vitam et mores, verba et opera iustorum, per quae intrant ad regnum, et insufflat, idest laudat vel vituperat. Credit enim eos laude extollere vel vituperio eicere. Et observat si quis eorum exeat, idest extra se eat, per exultationem mentis, quia laudavit, vel in verba irae, quia vituperavit. Et tunc statim reprehendit et vitam eius corrodit. 'Sicut aurum in fornace sic homo probatur laudatoris ore'. Ignis laudis plumbum et paleam consumit, aurum vel argentum splendidius facit. Illata iniuria demonstrat qualis quisque apud se lateat.

6 – Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem cum caritate. Nota quod in hac prima particula quinque ponit Apostolus, scilicet digne ambulare, humilitatem, mansuetudinem, patientiam et caritatem. Digne ambulemus, ne princeps tenebrarum nos

capiat; cum omni humilitate, contra superbiam pharisaeorum; cum mansuetudine, ut devote celebremus sabbatum; cum patientia, ut panem voluntatis divinae possimus manducare, supportantes in caritate eos qui nos observant, qui nobis detrahunt et nos opprimunt. Huic particulae epistolae concordat introitus hodiernae missae: "Da pacem, Domine, sustinentibus te, ut prophetae tui fideles inveniantur; exaudi preces servi tui et plebis tuae Israel". Hoc idem cantatur in historia praesentis dominicae, quod in secundo libro Machabaeorum ponitur: Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in praeceptis suis, et faciat pacem. Cum cor per compunctionem aperitur, lex gratiae Dei digito in ipso scribitur et praecepta conservantur et pax redditur, ut sabbatum mentis celebretur, panis divinae voluntatis in saturitate manducetur, et observatio detrahens in caritate supportetur. Et sic prophetae, idest viri iusti vel praedicatores sancti, fideles invenientur, et preces fidelis populi exaudientur. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut in domum conscientiae nostrae intres, principem pharisaeorum, idest motum malarum cogitationum, quae se ad invicem dividunt et dividentes cor dispergunt, eicias, sabbatum quietis et pacis menti nostrae restituas, panem tuae voluntatis manducare nos facias, quatenus ad te, panem angelorum, mereamur pervenire. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De hydropici curatione

7 – Sequitur secundum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos et pharisaeos: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse autem apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Ibi dicit GLOSSA: "Hydor graece, aqua latine, inde hydropisis morbus aquosus. Proprium est hydropici, quanto plus bibit tanto plus sitit et ideo comparatur ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. Comparatur etiam diviti avaro". Aquae carnalis voluptatis et mundanae cupiditatis generant hydropisim in anima, quae satiari non potest. Hae sunt 'aquae, in quibus congesta sunt maledicta, quas qui biberit, computrescet venter et femur eius'. Hae sunt aquae Aegypti, 'quae versae sunt in sanguinem', de quibus dicit Isaias: Aquae Nemrim desertae erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Secundum magnitudinem operis et visitator eorum, ad torrentem salicum deducent eos. "Nemrim interpretatur pardi". 'Pardus, bestia ferocissima, quae citata praeceps fertur ad sanguinem et saltu in mortem ruit. Dicitur in NATURALIBUS, quod 'pardus quando comedit venenum, quaerit stercus humanum et comedit ipsum. Et propter hoc ponunt venatores illud stercus in vase super arbores, et cum venit pardus ad arbores et saltat ad accipiendum stercus, interficiunt ipsum'. Pardus huius mundi superbum, variis peccatorum maculis respersum, significat. Hic, veneno diabolicae suggestionis inflammatus, stercus temporalium quaerit, ut ipsum comedat, sibi incorporet. 'Omnia, inquit Apostolus, reputavi tamquam stercora, ut Christum lucrifacerem'. Et Ezechieli dicit Dominus: 'Stercore, quod egredietur de homine, panem tuum operies'. Panis, idest cogitatio et actio peccatoris, quae cooperta est stercore gulae et luxuriae, superbiae et avaritiae; quem venator, idest diabolus, ut facilius capere possit, stercus in arbore ponit. Arbor, 'a robore dicta', est temporalis dignitas, quae, dum firma radice stare creditur, a vento mortis divellitur et in mare inferni proicitur. Unde Iob: Vidi stultum firma radice fundatum, et maledixi pulchritudini eius statim. In hac arbore ponit diabolus stercus, quasi escam, ad quod capiendum, cum superbus saltat, ut stercus gulae et luxuriae,

vanaegloriae et pecuniae comedat, a diabolo interficitur. Aquae ergo Nemrim desertae erunt. Unde, super hoc habes concordantiam in secundo libro Machabaeorum, ubi dicitur, quod Antiochus superbia repletus, ignem spirans animo, et praecipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur fluctibus maris etiam imperare, supra modum humanum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur. Et qui paulo ante sidera caeli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetoris portare. Ecce qualiter aquae Nemrim desertae sunt. Tunc herba gloriae temporalis arescet, germen filiorum, nepotum et parentum deficiet, et omnis viror carnalis delectationis, gulae scilicet et luxuriae, interibit. Secundum magnitudinem operis et iniquitatis superborum erit et visitatio eorum, quia poena respondebit culpae et in poculo quo miscuerunt miscebitur eis et daemones, quos incentores habuerunt, deducent eos nudos et miseros, ligatis a tergo manibus, ad torrentem salicum, idest poenarum aeternarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hae sunt aquae quae mentem inflant, hydropisim generant, sitim potatae magis augmentant.

8 – Dicatur ergo: Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Hydropicus est avarus. “Avarus dictus, quod sit avidus auri, et numquam opibus expleatur”. Sicut corpus aura, sic avarus auro impletur. Est enim tamquam abyssus carens fundo sufficientiae. Unde in Psalmo: ‘Abyssus gulae invocat abyssum luxuriae; abyssus epularum invocat abyssum expensarum; abyssus pecuniae invocat abyssum gehennae’. Unde iste hydropicus bene potest dicere in Iona propheta: Circumdederunt me aquae usque ad animam meam; abyssus vallavit me, et pelagus cooperuit caput meum. In aquis, voluptas carnis, quae animam, tamquam hostem in castro obsessam, detinet; in abysso, profundum cupiditatis, quae ipsam animam vallat, ne in libertatem egredi valeat; in pelago superbia designatur, quae operit caput, idest mentem, ne possit cernere veritatem. Haec tria ponuntur in Psalmo: Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam, ecce primum. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia, ecce secundum. Dum infelix substantiam congregat transitoriam, amittit perpetuam. Bona est, inquit Ecclesiasticus, substantia cui non est peccatum in conscientia. Nota ista tria verba: infixus, in limo, profundi. “Limus dictus, quod lenis sit”. Avarus infixus est cupiditate, in limo delectatione, profundi desperatione. ‘Peccator, inquit Salomon, cum venerit in profundum vitiorum, contemnit’. Unde ‘desperatio dicitur, quod desit sibi spes progrediendi’, quia dum quisque peccatum amat, futuram gloriam non sperat. Item, Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me, ecce tertium. Altitudo maris, altitudo superbiae, in qua est tempestas demergens hominem in abyssum gehennae. O Domine Iesu, extende manum tuam et apprehende istum hydropicum, aquis circumdatum, abysso vallatum, pelago sepultum.

9 – Unde sequitur: Iesus autem apprehensum sanavit eum ac dimisit. Nota ista tria: apprehendit, sanavit ac dimisit. Dominus peccatorem apprehendit, cum, iniecta manu suae misericordiae, eum de profundo vitiorum eruit. Unde dicitur in libro Tobiae, quod ‘Tobias apprehendit piscem immanem, et traxit eum in siccum, et exenteravit eum, et accepit eius iecur, fel et cor’. Piscis immanis est peccator, magnis irretitus peccatis, quem Tobias, idest Iesus Christus, manu suae miserationis apprehendit et extrahit de profundo

desperationis in siccum poenitudinis. “Siccus dictus, quod sit sine succo”. “Succus dictus, quod sacco exprimitur”. Poenitentia est locus siccus, quia sine succo. Succus enim gulae et luxuriae exprimitur sacco poenitentiae, de qua dicitur in Psalmo: In terra deserta, invia et inaquosa etc. Quaere in evangelio: Cum immundus spitus exierit ab homine. Hunc piscem exenterat Dominus, cum peccatorem gladio sui timoris percutit, et tunc extrahit ab eo iecur, ‘idest amorem luxuriae’, fel, idest amaritudinem pecuniae, in qua labor et dolor, quia “cum labore acquiritur, cum timore custoditur, cum dolore amittitur”; et aufert ei cor, idest tumorem superbiae. De iecore dicit Ieremias in Threnis: Effusum est in terra iecur meum. Quod fit, cum in terrenorum amore effunditur aliquis luxuriae delectatione. De felle dicit Petrus, in Actibus, Simoni mago: In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. Qui simonia vel avaritia laborat in amaritudine est mentis et obligatione operis. De corde dicit Iob: Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiusmodi sermones? Sequitur secundum: Et sanavit eum. Sanat Dominus peccatorem, cum ab omni infirmitate peccatorum curat eius animam. Unde: Sana animam meam, quia peccavi tibi. “Sanus a sanguine dicitur, quia sine pallore est”. Ubi sanguis lacrimarum, ibi sanitas animarum. “Lacrimae sunt dictae a laceratione, scilicet mentis”, quam cum dolore laceras, sanguis lacrimarum effluit et genas tuas inungit, et tunc ‘genae tuae sunt roseae, sicut fragmen mali punici absque eo, scilicet cordis contritione, quae intrinsecus latet’. ‘Sanus ergo effectus es, vide ne deterius tibi contingat’. De hoc Dominus Ezechiae: ‘Audivi, inquit, orationem tuam, et vidi lacrimam tuam, et ecce sanavi te’. Ex oratione et lacrimis fit quasi quoddam emplastrum, quod expellit animae morbum. Item, tertio dicitur: Ac dimisit eum. Dominus peccatorem conversum tunc dimittit, cum eum ab omni vinculo culpae, poenae et tentationis diabolicae liberum in gaudium conscientiae abire sinit. Solvite, inquit, eum, et sinite abire’. Dimitte, inquiunt, eam, quia clamat post nos. De hoc simile quid habes in Exodo, ubi dicitur quod tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit praeputium filii sui; tetigitque pedes eius, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum, ob circumcisionem. AD LITTERAM “intelligendum, ut ait AUGUSTINUS, quod sanguis tetigit pedes pueri. Unde irata ait Moysi viro suo: Esne mihi vir sanguinum? An ex coniugio tuo tantum scelus teneor agere, ut fundam sanguinem filii mei? Vel Sephora tetigit pedes eius, idest Moysi, indignans enim praeputium iecit ad pedes Moysi, et ait, ut Hebraeus habet: Gener sanguinum tu mihi es, idest tu gener patris mei ideo factus es, ut esses mihi, idest carni meae in filio, ad sanguinem, idest ad mortem”. MORALITER. ‘Sephora interpretatur avis’, et significat poenitentem, qui debet esse tamquam avis, scilicet pennatus virtutibus. Hic petra acutissima, idest cordis contritione, debet circumcidere praeputium filii sui, idest superfluitatem operis sui. Praeputium dictum, quasi ante pudorem; prae, ponitur pro ante. Solet enim superfluitas nos impedire, ne nostrae iniquitatis turpitudinem videamus. Circumcidatur ergo, ut profluat sanguis lacrimarum, tangens et abluens pedes filii, idest operis nostri. Si enim mundus fuerit affectus, idest voluntas, sanctificatus erit effectus, idest opus. Post talem circumcisionem dimittit Dominus hominem liberum redire ad fratres suos et ad propriam domum clarae conscientiae.

10 – Sequitur: Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit, et non extrahet continuo illum die sabbati? Et non poterant ad haec respondere illi. Ibi

dicit GLOSSA: “Congrue animali, quod decidit in puteum, hydropicum comparat, qui a noxio humore peribat”. Quid ista tria: asinus, bos et puteus significent, videamus. Asinus dictus, alta sinens, in posterioribus est fortior, in anterioribus vilis, ibi crucem gerit. Asinus est luxuriosus, qui alta sanctae conversationis sinit, et per plana voluptatis incedit; iste in operibus crucis et labore spirituali est debilis, sed in renibus, ubi luxuria, est fortis. Quaere de asino in evangelio: Ductus est Iesus, et in evangelio: Cum appropinquasset Iesus Ierusalem. Item, in bove superbus designatur, unde et bos cornupeta dicitur, quia cornu superbiae impetit. De cornibus quaere in evangelio: Cum fortis armatus. Asinus ergo et bos, idest luxuriosus et dives superbus, qui per hydropicum figurantur, in puteum cadunt vitiorum, ad quos inde extrahendos necessarii sunt veteres panni, de quibus dicitur in Ieremia, quod ‘Abdemelech tulit veteres pannos et antiqua vestimenta, quae computruerant, et submisit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos, et extraxit eum de lacu’. Veteres panni sunt paupertas et humilitas Iesu Christi, qui pannis fuit involutus, qui bene dicuntur veteres. Solemus enim pannos veteres aliis dare, paupertatem et humilitatem Iesu Christi non nobis retinere, non nos induere, sed aliis libentius volumus dare, aliis praedicare. Hodie quilibet praedicator nititur alium vestire paupertate et humilitate, et utinam ipse nudus non remaneret; alium vult informare, sed videat ne ipse deformatus existat. Vestimenta putrida sunt sanctorum exempla, quae bene dicuntur putrida, quia in faecibus nostri temporis tamquam res putrida sunt abiecta et despecta. Vetera aliis damus, putrida proicimus. O peccator, de lacu miseriae et de luto faecis numquam poteris extrahi, nisi panniculis paupertatis et humilitatis Iesu Christi. His enim extrahitur bos et asinus de puteo abyssi.

11 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Ibi dicit GLOSSA: “Debetis servare unitatem, ita quod sitis unum corpus subserviendo proximo et unus spiritus cum Deo, idem volendo, vel unus spiritus cum fratribus, cum quibus idem velle et idem nolle”. Hanc unitatem non conservat hydropicus, idest luxuriosus et avarus, qui corpus coinquinat et spiritum spinis avaritiae suffocat. Si enim vinculo pacis, funiculo unitatis alligatus fuisset, numquam in puteum cecidisset; quia vero utroque caret, ideo in puteo desperationis iacet. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut iniecta manu tuae misericordiae nos apprehendas, tuae paupertatis et humilitatis panniculis de puteo nos extrahas, ab hydropisi luxuriae et avaritiae nos sanes, qua unitatem spiritus conservare et ad te, qui [Deus] trinus et unus es cum Patre et cum Spiritu Sancto, valeamus pervenire. Te praestante, qui es benedictus in saecula. Amen.

12 – Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Nota ista tria, scilicet solliciti, unitatem et in vinculo pacis, quae nobis, fratres mei, sunt valde necessaria. Diabolus dissensionis zizaniam in caelo voluit seminare, et hoc idem in poenitentium congregatione nititur facere. Unde dicitur in Iob: Quadam die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos Satan. Nota verba singula. Quadam dicit, ut excludatur diversitas; die, ut excludatur noctis successio; cum filii, gratiae adoptione; Dei, spiritus paupertate; venissent, devotione; ut assisterent, corporis mortificatione; coram Domino, non coram mundo; affuit inter eos Satan, ut discordiae zizaniam seminaret. Nos vero, fratres, simus solliciti non pigri, servare non rumpere unitatem

spiritus. Servemus, fratres carissimi, unitatem spiritus cum magna sollicitudine, sicut conchae marinae nimis sollicitae servant suas margaritas. Dicitur in NATURALIBUS quod "in conchis marinis nascuntur lapides pretiosi, scilicet margaritae, quae certo anni tempore sitiunt rorem velut maritum, huius desiderio hiant, et cum maxime descendit lunaris imber, oscitatione quadam hauriunt humorem cupitum. Sic concipiunt gravidaeque fiunt. Nam si purum fuerit quod acceperint, candidi sunt orbiculi; si turbidum, aut pallore languent, aut rufo innubilantur colore. Ita magis de caelo quam de mari partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aeris semen, fit clarior margarita, quoties vespere, fit obscurior; quanto magis hauserint, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur. Conchis ipsis inest sensus, partus suos maculari timent; cumque flagrantioribus radiis excanduerit dies, ne fuscentur lapides solis calore, succidunt in profundum, et se gurgitibus ab aestu abscondunt. Margarita in aqua mollis est, vino durescit; numquam duae simul reperiuntur, unde unio dicitur. Piscantium insidias timent, unde est ut inter scopulos delitescant. Gregatim natant, earum agmini dux est certus". Quid ista moraliter significent videamus. 'Conchae, dictae a concavitate', sunt poenitentes, humiles, spiritu pauperes, qui in concavitate, idest cordis humilitate, consistunt. Hi "sitiunt rorem velut maritum", unde dicunt: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Ros caelestis gratiae tamquam maritus impregnat animam; proposito boni operis. Huius roris desiderio hiant, idest se aperiunt; unde dicit Iob: Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Quaere in evangelio: Dum iret Iesus in Ierusalem. "Et cum maxime descendit lunaris imber etc." In lunari imbre tria designantur, scilicet prosperitas, adversitas et gratiae infusio. In splendore lunae, prosperitas; in nocte, adversitas; in imbre figuratur gratiae infusio, quam iusti ardenter cupiunt et aperto cordis ore hauriunt in splendore prosperitatis et in nocte adversitatis, ne scilicet prosperitas elevet et adversitas elidat. Unde Isaias: Anima mea desiderabit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. "Nam si purum fuerit quod acceperint etc." Nota quod gratiae infusio duo facit, aut clarificat aut conturbat. Clarificat mentem ad contemplandum, et tunc candidae fiunt margaritae, idest mentis affcctiones vel cogitationes. Unde Dominus in Osee: Ero quasi ros, et Israel quasi lilium germinabit. Cum ros contemplationis mentem indulcat, Israel, idest anima humilis, quasi lilium candidas cogitationes germinat. Item, conturbat ad dolendum de peccatis, et tunc color pallidus vel rufus efficitur in margaritis: pallidus in corporis afflictione, rufus in cordis contritione. Unde in Canticis: 'Nuntiate dilecto, quia amore langueo'; unde: "Palleat omnis amans"; Posteriora, inquit, dorsi eius in pallore auri. "Ita magis de caelo quam de mari partus habent". Qui de mari, idest mundo amaro, impregnantur, viperas parturiunt; qui vero de caelo, margaritas emittunt. De illis dicitur: Genimina viperarum, quis vobis demonstrat fugere a ventura ira? De istis in Canticis: Vineae florentes odorem dederunt; et iterum: Emissiones tuae paradisus. Sequitur: "Quoties excipiunt matutini aeris semen, fit clarior margarita; quoties vespere, fit obscurior etc." Hoc est quod dicitur in Psalmo: Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia. Nota quod triplex est vespera et triplex matutinum, in quorum quolibet est fletus et laetitia. 'Prima vespera fuit Adae culpa', in qua fuit fletus, cum de paradiso eiectus, audire meruit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Primum matutinum fuit Nativitas Iesu Christi, in qua fuit laetitia. Unde Angelus: Evangelizo vobis gaudium magnum etc. 'Secunda vespera fuit mors Christi', in qua fuit fletus. Unde in Luca: Filiae, inquit, Ierusalem, nolite flere super me etc. 'Secundum matutinum fuit

ipsius Resurrectio', in qua fuit laetitia. Unde: Gavisi sunt discipuli, viso Domino. Tertia vespera est in morte cuiuslibet hominis, in qua est fletus. Unde in Genesi: Mortua est Sara in civitate Arbee; venitque Abraham ut plangeret et fleret eam. Tertium matutinum erit sanctis in generali resurrectione, in qua erit 'laetitia sempiterna, ut dicit Isaias, super capita eorum'. Sequitur: "Si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur". Coruscatio diaboli est tentatio, quam iusti valde metuentes, cum ipsam senserint, statim se comprimunt et portas sensuum claudunt. Unde in Ioanne: Cum esset sero die illa etc. Quaere in eodem evangelio. "Conchis inest sensus: partus suos maculari timent etc." Sensus est per corpus ad animam commeans mentis stimulatio. Iusti viri partus, idest opera sua, timent maculari, et ideo, cum dies mundanae prosperitatis excanduerit, idest eis arriserit, statim descendunt in profundum, idest considerant suae fragilitatis et iniquitatis miseriam, et gurgitibus lacrimarum se abscondunt, ne, si aliter fecerint, eorum margaritae fuscentur et obnubilentur solis calore, idest dignitatis vel humani favoris ardore. "Margarita in aqua mollis est etc." In aqua voluptatis mollis efficitur mens viri iusti, sed vino, idest austeritate, durescit; per austeritatem enim vultus corrigitur animus delinquentis. Unde Ecclesiasticus: Filiae, idest animae commissae, tibi sunt? Conserva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. "Numquam in una concha duae simul reperiuntur margaritae", quia 'in mente viri iusti non est sic et non'; non sunt duae partes. Non est enim ibi dissensio, "sed unio dicitur", quia 'sollicitus servat unitatem spiritus in vinculo pacis'. "Piscantium insidias timent conchae", quia iusti daemonum, qui in hoc mari magno mittunt hamum, suggestionis insidias timent, et ideo inter scopulos latitant. "Scopulus, saxum eminens, a speculando dictus", mentis humilitatem significat, in qua qui se abscondit daemonum insidias non metuit. "Gregatim natant", in quo spiritus unitas egregie designatur. "Earum agmini dux est certus", in quo obedientia figuratur. Praelatus est dux, quem sequi, cui obedire ex animo omnes tenemur, ut unitatem spiritus in vinculo pacis conservare valeamus. Quod nobis praestare dignetur Iesus Christus, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

III – De Iesu Christi admonitione ad humilitatem in omnibus tenendam

13 – Sequitur tertium. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo; et tunc veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum; et tunc incipies cum rubore novissimum locum tenere. Ibi dicit GLOSSA: "Cum per gratiam fidei, vocatus a praedicatore, membris Ecclesiae te iunxeris, non te, de meritis gloriando quasi ceteris sis sublimior, extollas". Nota quod in hac tertia particula Dominus tangit duo, scilicet superbiam, cum praemittit: In primo loco; humilitatem, cum subiungit: Recumbe in novissimo loco. Magna superbia est in nuptiis, 'idest Iesu Christi Ecclesia', in primo loco, idest dignitatis excellentia, velle discumbere. Unde dicit Dominus: 'Amant primas cathedras in synagogis, qui carebunt secundis. O infelix ambitio, quae magna nescis ambire!' "Circuit, inquit BERNARDUS, sedulus explorator, repens manibus et pedibus, si quomodo se ingerat in patrimonium Crucifixi, et nescit miser, quia sanguinis pretium est". Carnem, inquit in Genesi, cum sanguine non comedetis. Carnem cum sanguine comedit qui carnaliter vivendo patrimonium Crucifixi in suis abusibus expendit. Et ideo 'peribit anima eius de populo Dei'. Noli ergo discumbere in primo loco, quia, ut dicit Dominus in Amos, Ego detestor superbiam Iacob, et domos eius odi. 'In excelsis idolis immolatur'; Dominus in Nazareth loco humili

concipitur; in Ierusalem vero loco eminentiori crucifigitur. Non ergo discumbas in primo loco. Dicit GREGORIUS: "Nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in minimis positus non desinit superbire". Tu qui dignitatis culmen affectas, tuae animae exitium, tuae famae dispendium, tui corporis periculum inquiris, quia quanto gradus altior, tanto casus gravior. Summae est dementiae tantis se periculis obicere. Non ergo discumbas in primo loco, quia postea incipies novissimum locum inferni cum rubore tenere.

14 – Unde, super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi dicitur quod Alcimus, 'qui data pecunia primum honoris principatum emerat', percussus est, et occlusum est os eius, et dissolutus est paralysi, nec ultra loqui potuit verbum, et mandare de domo sua. Et mortuus est in tempore illo cum tormento magno. Alcimus interpretatur fermentum mali consilii, et significat simoniacum, qui fermento pecuniae – 'in cuius consilium non veniat anima mea', quia consilium eius consilium impiorum – corrumpit animas columbas vendentium. Hic, quia in ecclesiasticae dignitatis loco, non vocatus a Deo tamquam Aaron, vult discumbere, ideo cum Alcimo paralytico, paralysi percussus, inconfessus et intestatus et magno tormento mortuus, novissimum et vilissimum inferni locum, qui primus et gloriosus voluit hic apparere, cum rubore incipiet tenere. Recumbe ergo, frater, in novissimo loco, ut audire merearis: Amice, ascende superius. Dicit PHILOSOPHUS: 'Redige te ad parva, ne cadas'; quia, ut dicit Salomon in Proverbiis, qui altam facit domum suam quaerit ruinam. Et ideo, ut dicit Apostolus, 'Abraham in casulis cum Isaac habitavit'. Recumbe ergo in novissimo loco. Novissimus locus, mortis memoria, in qua qui recumbit in primo loco discumbere non appetit. Unde HIERONYMUS: "Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum". In hoc novissimo loco, o frater, fac tibi locum; ibi discumbe, 'a longe aspiciens et salutans', 'caelestem Ierusalem, cuius artifex et conditor Deus', 'et confitens quia peregrinus et hospes es super terram'. Et sic recumbe in novissimo loco; nulli te praeferens, indigniorem ceteris te reputa, et tunc audies: Amice, ascende superius. "Ex humilitate amicum te recognoscit, qui ex praesumptione te postponit". "Amicus dicitur animi custos". "Humilitas est custos virtutum", quam qui habet animum suum custodit, ne sibi fugiat, quo nihil fugacius. Omni, inquit, custodia serva cor tuum. Vis ergo esse amicus Dei? Custodi cor vel animum tuum, qui si fugerit erit anima tua pro eo.

15 – Unde dicitur in tertio libro Regum, quod unus de prophetis clamavit ad regem et ait: Servus tuus egressus est ad proeliandum. Cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. Dum autem turbatus ego huc atque illuc me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est iudicium tuum quod ipse decrevisti. Quicumque ad religionem venimus, ad proeliandum contra malignos spiritus egressi sumus. In quo proelio vir unus, idest animus noster, fugit nos; sed gratia Dei adducit animum nostrum ad nos, cum nos redire facit ad ipsum, et unicuique nostrum dicit: Custodi virum istum etc. Custos a cura dicitur; 'cura dicta, quod cor agitat'. Custodi ergo virum istum; curam illius age, ne vir vertatur in feminam et tamquam meretrix te fugiat et sequatur amatores suos. Qui si lapsus fuerit a te, erit anima tua pro anima eius etc. Ecce quid minatur Dominus. Notabile verbum dixit: Si lapsus fuerit. "Labitur exiguo quod longo tempore partum est". Vidi, inquit Saul in primo libro Regum, quod dilaberetur

populus a me. Lapsa est, inquit Ieremias, in lacum vita mea. Heu! quoties animus meus, ex quo vita procedit, labitur 'in lacum miseriae et lutum faecis'! Erit ergo anima mea pro anima, idest vita, eius, aut talentum argenti appendam? Heu! Domine Deus, animam habeo, talentum argenti, idest vitae puritatem, in statera tui examinis appendere non valeo. Ergo, ne animam meam appendas pro isto dilapso. Vere, Domine, iudicia tua iusta, quia dignus sum suspendi, qui tuum depositum, cor meum, vitam meam, non custodivi, et ideo dignus vita privari. Sequitur: Cumque turbatus huc atque illuc me verterem, subito non comparuit. Ecce qualiter animus dilabitur. Nota ista duo: turbatus et me verterem. Turbatus dictus, quasi terrae mixtus. Nec mirum si animus tuus dilabitur, cum tu es turbatus, idest terrenis immixtus. Vis ergo animum custodire? Esto in tranquillitate conscientiae. Et attende quam proprie dixit: Cumque huc atque illuc me verterem: cum huc, idest ad carnem, vel illuc, idest ad mundum, te vertis, animum perdis. Non ergo ad dexteram vel ad sinistram est vertendum, sed via regia gradiendum, ut semper te habeas ante te. Nec huc, idest istius, vel illuc, idest illius, vitam vel mores diiudices. Nemini detrahas. Subito, inquit, non comparuit. Quocumque te, praeterquam ad Deum vel ad te, vertis, subito animus tuus non comparet. Noli ergo te vertere, sed habe faciem euntis in Hierusalem, ut ipsa ascendat super cor tuum; quod cum custodieris, amicus Dei efficieris. Dicat ergo Dominus: Ascende superius. Qui in novissimo loco discumbit ascendit superius, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. Et tunc erit illi gloria coram simul discumbentibus. Unde in Luca: Faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Vere magna gloria, cum Dominus servo ministrat.

16 – Unde, huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Si in novissimo loco humilitatis discumbis, Dominum metuis, fidem tenes, baptismalem innocentiam conservas. Nota quod in hac particula quinque ponuntur, scilicet Dominus, Deus, Pater, fides, Baptisma. Quicumque ergo vult audire: Amice, ascende superius, attendat Domini potentiam, Dei sapientiam, Patris misericordiam, fidei excellentiam, Baptismatis virtutem. Attendat potentiam, ut timeat; sapientiam, ut sapiat; misericordiam, ut confidat; fidei excellentiam, ut temporalia despiciat; Baptismatis virtutem, ut fortis in bello consistat. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut in novissimo loco discumbere, animum nostrum custodire, et ad se, qui est gloria, in regno discumbentium faciat nos ascendere. Ipso praestante, qui est super omnes et per omnia, in omnibus benedictus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis humilis anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decima octava dominica post Pentecosten: Congregatis pharisaeis, interrogavit eos Iesus etc., quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis in Nativitate Domini, et de quattuor temporibus anni, et de tribus quae sunt in sole, et de tribus quae sunt in terra et in igne, et eorum significationibus, ibi: Tempus affuit, quo sol

refulsit. Item sermo moralis ad religiosos de ornamento virtutum, et de natura et proprietate balsami et unde oritur et qualiter habetur, et de melle qualiter per araneam corrumpitur, et quid haec omnia et alia adiuncta significent.

Exordium. De quattuor temporibus anni et de proprietatibus terrae et ignis

1 – In illo tempore: Congregatis pharisaeis, interrogavit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David. Dicitur in secundo libro Machabaeorum: Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ut omnes mirarentur. Nota quod, in anno sunt quattuor tempora, scilicet hiems, ver, aestas et autumnus. Hiems consumit, ver plantat et inserit, aestas metit et triturat, autumnus vindemiat. Hiems fuit ab Adam usque ad Moysen, quo tempore omnia fuerunt consumpta. Unde Apostolus ad Romanos: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen. Ver fuit a Moyse usque ad Christum, quo tempore lex quasi inserta et plantata fuit, in qua tantum flores, fructum promittentes, apparuerunt. Aestas fuit Incarnatio Christi, quo tempore ipse sol, qui prius erat in nubilo, idest in sinu Patris, nobis refulsit. In hoc tempore fuit messio et trituratio. Ecce, inquit in Ioanne, dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem. Et qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam. Et tunc erit autumnus, in quo, acinis proiectis in sterquilinio inferni, vinum defaecatum reponetur in cellario caelestis regni. Sed necesse est, ut prius praecedat tribulationis trituratio, quia per calicem pervenitur ad maiestatem. Ubi ergo venit plenitudo temporis, quo sol, qui prius erat in nubilo, nobis absconditus, refulsit in regione et umbra mortis sedentibus, ignis accensus est magnus. De quo ipse dicit: Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat? Et attende, quod in terram, et non alibi, dicit se ignem mittere. Et bene. 'Venerat enim contraria contrariis curare'. Nota quod, in igne sunt tria, scilicet calor, splendor et levitas. In terra sunt tria istis opposita, scilicet frigiditas, obscuritas et ponderositas. Ignis est amor Dei, in quo sunt tria: calor humilitatis, splendor castitatis, levitas paupertatis. In terra, idest terrenis, sunt tria: frigiditas superbiae, obscuritas luxuriae, ponderositas avaritiae. Venit ergo ignem mittere in terram, quia opposuit calorem humilitatis frigiditati vel gelicidio superbiae – unde in Psalmo: Emittet verbum suum, scilicet: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et liquefaciet ea, scilicet corda superborum –, splendorem castitatis obscuritati luxuriae, unde in Actibus: Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter, quia ceciderunt catenae de manibus tuis. In angelo, qui natura est virgo, gratia castitatis designatur, cuius lumen habitaculum carceris, cor peccatoris, tenebris luxuriae excaecati, illuminat. 'Carcer dictus, undecumque arcens'. Luxuriosus enim a se arcet quidquid luxuriam extinguere potest. Sed cum angelus eius percutit latus lancea timoris, ut ab ipso educat humorem libidinis, tunc excitat a sommo mortis et admonet, ut surgat per contritionem, velociter per confessionem, et tunc catenae malae consuetudinis cadunt de manibus, idest operibus. Item, opposuit levitatem paupertatis ponderositati avaritiae. Unde: Si vis perfectus esse, vade, et vende etc. Et Ieremias: Cursor levis explicans vias suas. Pauper spiritu est cursor levis, currens cum gigante geminae substantiae. Quanto pondere se alleviat, qui nihil habere amat, et ideo vias suas explicat! Unde in Proverbiis loquitur Sapientia: Viam sapientiae monstrabo tibi; ducam te per semitas aequitatis, idest paupertatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus, idest affectus, tui, et currens non habebis

offendiculum. Bene ergo dicitur: Ignem veni mittere in terram. Quod cum Dominus facit, ‘vere mirabile in oculis nostris’. Dicamus ergo: Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo. Accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. De hoc sole, scilicet Iesu Christo, dicitur in hodierno evangelio: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est?

2 – Nota quod in hodierno evangelio sunt duae clausulae. Prima agit de dilectione Dei et proximi, quam in hoc evangelio nolumus ponere, quia in evangelio: Beati oculi qui vident quae vos videtis, iam est posita et exposita. Secunda agit de Christo, super qua volumus aliquid praelibare. In introitu hodiernae missae cantatur: Salus populi ego sum; et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Corinthios: Gratias ago Deo meo semper pro vobis, quae ideo cum hoc evangelio legitur, quia in utroque specialior et principalior fit mentio de Christo.

I – Sermo de Christi divinitate, humanitate et gloria

3 – Dicamus ergo: Congregatis pharisaeis, interrogavit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus etc. In hac clausula nostrae fidei excellentia concluditur, ut scilicet Dominum Iesum Christum, verum Deum et verum hominem, ad dexteram Patris sedere credamus, confitentes ipsum Dominum et filium David: Dominum, in eo quod omnia et ipsum David fecit; filium, in eo quod factus est ex semine David, “secundum carnem”. “Non reprehenduntur Iudaei quod David filium dicunt, sed quia filium Dei non credunt”. Quibus dicit ipse Filius: Quomodo David, “in Spiritu Sancto, non corde suo”, vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus, “idest Pater”, Domino meo, “idest Filio”. “Istud dicere est, ut ibi dicit GLOSSA, aequalem sibi filium generare. Domino, non secundum quod de eo natus est, sed secundum quod de Patre semper fuit”. “Sede a dextris meis, idest in potioribus bonis”, donec, finitum pro infinito ponitur, ponam inimicos tuos, “idest inobedientes”, scabellum pedum tuorum, “idest subiciam tibi volentes et nolentes”. Quod a Patre inimici subiciuntur non infirmitatem Filii sed naturae unitatem significat, quia in altero alter operatur; nam ‘et Filius subicit inimicos Patri’, ‘qui Patrem clarificat super terram’. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? “Quasi dicat: Vos putatis Christum futurum purum hominem: ergo quando erat David nondum erat Christus, nec ergo erat Dominus David. Mentitus est ergo David? Potius enim patres sunt et dicuntur domini filiorum, quam filii domini parentum”. Iudaicae ergo pravitatis perfidiam execrantes, confiteamur cum Petro, dicentes: Tu es Christus, Filius Dei vivi, qui, ut dicit Habacuc, ‘egressus est in salutem populi sui, cum Christo suo.

4 – Unde ipse Christus dicit in introitu hodiernae missae ‘Salus populi ego sum’. ‘De quacumque tribulatione clamaverint ad me exaudiam eos’, ‘et ero illorum Dominus in perpetuum’. Vide quam bene concordat introitus missae cum historia Machabaeorum, in qua aperte habes, quomodo Dominus salus fuerit populi illius et exaudierit et adiuverit eos in omni tribulatione eorum. Nota ista tria salus populi, exaudiam eos et ero illorum Dominus. In epistola hodierna sunt tria istis concordantia. Primum, cum dicit Apostolus: Gratias ago Deo meo in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu, qui dicit: Salus

populi ego sum, sola enim gratia ‘salvum fecit populum suum a peccatis eorum’. Secundum, cum adiungit: Quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, hoc est: de quacumque tribulatione clamaverint ad me exaudiam eos. Nota ista tria: tribulatione, clamaverint, exaudiam. Si de tribulatione, idest tribulato vel contrito corde, clamaveris in confessione, exaudiet te dando remissionem. In omni ergo verbo omnimodae confessionis et in omni scientia plenariae satisfactionis divites facti estis in illo, quia pauperes et humiles in vobis. Animae divitiae, peccatorum remissio, gratiae collatio. Tertium, cum subinfert: Expectantibus vobis revelationem Domini nostri Iesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem, hoc est: et ero illorum Dominus in perpetuum. Rogemus ergo, fratres carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum, ‘in cuius manu, in cruce clavis perforata, est, ut dicitur in Genesi, salus nostra’, ut nos ab hostium incursu salvet, remissionem peccatorum infundendo exaudiat, usque in finem nos confirmet, qua ad ipsum Dominum, qui ad dexteram Dei Patris sedet, pervenire mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus. Amen.

II – Sermo moralis de ornamento virtutum

5 – Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David. Dicitur in libro Machabaeorum: Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino. Quid templum, quid eius facies, quid coronae aureae, quid altare et eius dedicatio significent, videamus. “Templum a contemplatione, vel quasi tectum amplum, est dictum”. Apostolus dicit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Nos templum Dei et sancti sumus si illa tria, scilicet contemplantes, tectum et amplum sumus. Contemplantes quoad Deum, per temporalium renuntiationem. Unde Apostolus: Contemplantibus nobis non quae videntur, sed quae non videntur. Tectum quoad nos, per carnis mortificationem. Unde in Matthaeo: Qui, inquit, in tecto est non descendat tollere aliquid de domo sua. Ibi dicit GLOSSA: “Qui excedit carnem, animo non redeat ad aliquos actus pristinae conversationis”, hoc est: nullo affectu inclinetur ad carnem. Amplum quoad proximum, per ipsius compassionem. Amplus dictus, quasi in utraque parte plus. Plus utrique parti, idest contemplationi Dei et compassioni proximi, debes impendere, quam carni propriae. Si tale templum fuerimus, vere sancti erimus. Ornaverunt ergo faciem templi. ‘Facies dicta, quod faciat homini notitiam’, opera nostra significat, de quibus Dominus: A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Corona aurea in templi facie est intentio pura in nostro opere. Ornemus ergo opera nostra coronis aureis purae intentionis cum veris Machabaeis, non stibio cum meretrice Iezabel, de qua dicitur in quarto libro Regum, quod depinxit oculos suos stibio et ornavit caput suum; et respexit per fenestram. Nota ista tria. “Iezabel interpretatur sterquilinium”. Sterquilinium est locus stercore plenus; dictum, quod stercore liniatur, idest inficiatur; et significat hypocritam, qui stercore vanaegloriae linitur, et ideo ad ipsum muscae morientes, quae perdunt suavitatem unguenti, concurrunt. ‘Stibium est cerussa vel caeruleus color, quo mulieres supercilia ornant’, et significat laudem populi, qua hypocrita oculos suos depingit. Cum enim a populo laudatur, oculi rident, facies hilarescit. Caput ornat, cum sua bona laudat, et sic respicit per fenestram, ut videat et videatur. ‘Spectatum venit, venit spectetur ut ipse’. Non ornamento stibii, sed coronis aureis ornemus, obsecro, faciem templi. Sequitur: Et dedicaverunt altare Domino. Dedicare dicitur Deo dare. “Altare dictum, alta ara”, est cor nostrum, quod debet esse altum per amorem, ara per contritionem, et sic ipsum

dedicabimus, idest Deo dabimus, qui dicit in Proverbiis: ‘Fili, da mihi cor tuum’. Qui ergo Deo dat cor suum, vere est Christus, idest gratia inunctus, et David filius. Unde dicitur in hodierno evangelio: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David. Super his duobus verbis, scilicet Christo et David, aliqua moraliter volumus praelibare.

6 – “Christus dicitur a chrismate”. ‘Chrisma de balsamo fit et oleo’. “Balsamum est arbor viti similis, ut vitis sustentatur. Duobus cubitis eminet, perpetua coma est insignis. Vitro aut cultellulis osseis inciditur, quia ferri tactus noxius est, sine mora moritur. Eximii odoris stillas emittit. Praecipua gratia debetur lacrimae, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Iuventutem conservat, putredinem arcet. Eius gutta cum melle admixta adulteratur, sed probatur esse sine melle si cum lacte coagulatur. Sole pure ardente manu sustentari non potest”. In singulis immoremur et de singulis praelibemus. Arbor balsami est vita viri iusti, quae est et debet esse similis viti et ut vitis sustentari. Vitis enim circumfoditur, putatur et paxillis sustentatur. Sic iustus vitam suam circumfodit sarculo compunctionis, putat falce confessionis, sustentat paxillis satisfactionis. De primo habes in Luca: ‘Dimitte etiam hoc anno, et fodiam circa eam, et mittam stercora’. De secundo in Canticis: Tempus, inquit, putationis advenit; vox turturis, idest confessio poenitentis, audita est in terra nostra. Paxillus dicitur modicus palus, in quo humilitas satisfactionis designatur, qua vita iusti sustentatur, de quo Dominus in Isaia: Figam illum paxillum in loco fidelium. Paxillus in loco fidelium figitur, cum in sancta Ecclesia vita iusti humilitate conservatur. “Duobus cubitis eminet”. Duo cubiti duo sunt praecepta caritatis, quibus vita iusti elevatur a terrenis. De primo cubito, Dei scilicet caritate, dicit Dominus in Genesi ad Noe: Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem eius. “Arca, dicta quod arceat furem vel visum”, est vita iusti, qui a se arcet omne vitium. Fenestra dicta, quasi ferens extra, est mentis devotio, per quam egreditur et ingreditur columba, idest anima. Egreditur, inquam, ad contemplandum Deum, ingreditur ad considerandum seipsum. Fenestra ergo in arca est devotio in iusti vita, quae in cubito, idest Dei caritate consummatur. Beati, inquit Ioannes in Apocalypsi, qui in Domino moriuntur; et Stephanus obdormivit in Domino. Item, de secundo cubito, idest proximi caritate, praeceptum fuit Moysi, ‘ut fossa unius cubiti fieret in altari’. Fossa unius cubiti in altari, est compassio proximi in mente iusti. “Perpetua coma est insignis”, in quo iusti perseverantia designatur, de quo dicit Iob: Lignum ad odorem aquae germinabit et faciet comam. “Odor dictus est ab aere”. Quid enim est odor, nisi aer attractus? Odor est infusio gratiae, quam cum attrahis, boni operis germen emittis, et sic comam perseverantiae facis. “Vitro aut cultellulis osseis inciditur, quia ferri tactus noxius est, sine mora moritur”. In vitro aeternae beatitudinis perspicuitas designatur. Unde Ioannes in Apocalypsi: ‘Civitas Ierusalem erat ex auro mundo simili vitro mundo’. In vitro quilibet liquor qualis continetur talis exterius demonstratur. In auro ergo et vitro accipimus in superna patria sanctorum societatem, qui beatitudinis claritate fulgebunt et uniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet. Qui enim Dei claritatem vident, nihil in creatura Dei agitur quod videre non possint. In ossibus sanctorum exempla designantur, quae nostram sustentant fragilitatem, sicut ossa carnem. Arbor ergo balsami, vitro aut cultellulis osseis inciditur, cum vita vel mens iusti, aeternae claritatis desiderio vel sanctorum exemplo, ad compunctionem aperitur. Sed si contactu ferri, idest mortalis peccati, percutitur, statim moritur, quia anima quae peccaverit, ipsa morietur. “Eximii

odoris stillas emittit". "Eximius dictus, quod sit valde eminens", in quo sanctae vitae odor circumfusus designatur. Unde Apostolus: 'Christi bonus odor Deo sumus in omni loco'. Et in Ecclesiastico: Quasi balsamum non mistum odor meus. Odor vitae hypocritae est balsamum mistum, idest corruptum, quia sanctitas apparet exterius, sed iniquitas latet interius. Odor vero iusti est balsamum non mistum, quia puritas conscientiae concordat odori bonae famae. Sequitur: "Praecipua gratia debetur lacrimae, secunda semini, tertia cortici, minima ligno". Nota ista quattuor: in balsami lacrima, suavitas contemplationis; 'in semine, verbum praedicationis'; 'in cortice, asperitas poenitentiae'; 'in ligno designatur hoc corpus mortale'. De primo dicitur in libro Iudicum, quod 'Axa, sedens super asinam, flevit pro irriguo superiori'. Quod fit quando anima, carnem reprimens, suavitati contemplationis intendit cum desiderio devotae mentis. De secundo in Luca: Exiit qui seminat, seminare semen suum. De tertio sic: 'Cortex est dictus, quasi corium tegens'; et poenitentiae asperitas tegit peccata. Unde: Beati quorum tecta sunt peccata. De quarto Iob: Lignum habet spem. Si praecisum fuerit, rursum virescit. Sic homo habet et debet habere spem quod lignum, idest corpus eius, postquam mortis securi fuerit praecisum, rursum in generali resurrectione virescit. Huic ligno minima gratia et quasi nulla cura, tamquam servo inutili, debetur. Cortici vero poenitentiae, magna gratia, quia magna operatur. Semini vero praedicationis, maior, quia per ipsam venitur ad corticem. Lacrimae vero contemplationis maxima et praecipua debetur gratia, quia maxima et praecipua habetur suavitas in ipsa. "Iuventutem conservat". Suavitas vitae contemplativae conservat animam in iuventute gratiae. Unde: Renovabitur ut aquilae iuventus tua. "Putredinem arcet". Mens enim, quae illa suavitate inungitur, imputribilis a peccati consensu conservatur. Unde e contrario dicit Dominus per Ieremiam: Putrescere faciam superbiam Iuda et superbiam Ierusalem, idest clericorum et laicorum. "Eius gutta cum melle admixta adulteratur, sed probatur esse sine melle si cum lacte coagulatur". Quodam quasi adulterio contemplationis suavitas corrumpitur, si ei mel temporalium admiscetur.

7 – Dicitur in NATURALIBUS quod 'generatur aranea in favis mellis et corrumpitur illud quod est in favis. Et in alvearibus apum nascuntur vermes parvi, et efficiuntur eis alae parvae et volant'. 'Aranea dicta, quod in aera fila gerat'. In dulcedine temporali generatur aranea, idest venenosa superbia, quae in aera fila extendit, quia 'ambulat in mirabilibus super se'; et nascuntur vermes, idest gula et luxuria, quae faciunt hominem volare ad concupiscendum aliena. Non ergo mirum si talium commixtione adulteratur balsamum vitae contemplativae vel purae conscientiae. Ex convictu formantur mores; "uvaque conspecta livorem ducit ab uva". In hoc probabis te esse sine melle transitoriae dulcedinis, si, admixto lacte dominicae Incarnationis, coagulatus, idest constrictus, fueris spiritu paupertatis. 'Panis angelorum, inquit AUGUSTINUS, factus est lac parvulorum', ut ipso nutrirentur parvuli. "Sole pure ardente manu sustentari non potest". Balsamum in manu est puritas conscientiae in opere. Cum sol fervens divini amoris illuminat et accendit mentem iusti et qualis sit sibi ostendit, omnis operatio, omnis virtus deficit. Unde dicit Daniel: Vidi visionem grandem, et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quicquam virium. Cum sol gratiae coniungitur cum balsamo purae conscientiae, nulla remanet confidentia de proprio opere. Istud est balsamum super aurum et topazion pretiosius. Utinam veniret regina Saba, et daret nobis saltem unam parvulam radicem balsami, ex qua plantaremus nobis vineam balsamitam! "Refert Iosephus, quod regina Saba, cum venit audire sapientiam Salomonis,

dedit ei radicem balsami, unde propagatae sunt vineae in Engaddi balsamitae".

8 – Ex tali ergo balsamo, cum misericordiae oleo adiuncto, efficitur chrisma, qua inungitur iustus et efficitur christus et David filius, de quo dicitur: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: David. Vere iustus, chrismate, ex balsamo et oleo confecto, inunctus, est David filius. "David interpretatur manu fortis", vel 'decorus aspectu'. Pugil cum adversario pugnaturus capite solet inungi, sic iustus balsamo et oleo supradicto inungitur, ut fortis manu, idest opere, efficiatur, et sic deiciat inimicum diabolum, et ita erit in praesenti filius David, idest fortitudinis, et postmodum in futuro erit filius gloriae, in qua erit decorus aspectu, quia aspiciet facie ad faciem 'in quem angeli desiderant prospicere'. Ad cuius decoris gloriam ipse Iesus Christus, David filius, nos perducere dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decima nona dominica post Pentecosten: Ascendens Iesus in naviculam, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de praerogativa gratiae spiritualis, quam Dominus confert praedicatori, et de ipsius sancta conversatione, ibi: Antiochus adolescens. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de cruce Christi, ibi: Ascendens Iesus in naviculam. Item de descensu, ibi: Descende. Item de ascensu et animae renovatione, ibi: Ascendamus nunc mundare sancta. Item de quattuor quae sunt necessaria ad regimen navis et eorum significatione, ibi: "Nota quod ad regimen". [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema de quinque modis quibus infirmitates contingunt, ibi: Offerebant ei paralyticum. Item thema sermonis contra carnis delicias, ibi: Intexui funibus lectum meum. Item de quattuor qui paralyticum portant et eorum significatione, et de quadruplici tecto, ibi: Et ecce offerebant ei. Item de fide, ibi: Videns Iesus fidem. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema sermonis de quinque filiis Mathathiae et eorum significatione, ibi: Surge, tolle grabatum tuum. Item thema sermonis de carnis afflictione et sensuum repressione, ibi: David percussit Philisthiim.

Exordium. De praedicatoris gratia spirituali et de eiusdem sancta conversatione

1 – In illo tempore: Ascendens Iesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. Dicitur in libro Machabaeorum quod Antiochus adolescens dedit Ionathae potestatem bibendi in auro, et esse in purpura, et habere fibulam auream. Quid Antiochus, quid Ionathas, quid aurum, quid purpura et quid fibula aurea significent, videamus. 'Antiochus interpretatur pauper silens', et significat in hoc loco Iesum Christum, qui fuit pauper silens. Nota ista duo verba. Pauper fuit, quia 'non habuit ubi caput reclinaret', nisi ubi inclinato capite tradidit spiritum; silens, quia 'tamquam ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur non aperuit os suum'. Unde Ieremias: Ex ore Altissimi non

egredientur nec bona nec mala. “Ionathas interpretatur columbae donum”, ‘et significat praedicatorem, qui columbae, idest Spiritus Sancti, donum accepit, ut ad gemitum poenitentiae columbinum peccatores invitaret’. Unde Ionathas dicit, in primo libro Regum, ad David: Si dixero puero: Ecce sagittae intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est et nihil est mali; vivit Dominus! Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittae ultra te sunt; vade in pace, quia dimisit te Dominus. Nota quod triplex est sagitta, scilicet timor separationis, quo anima timet separari a Deo; dolor confessionis; fervor dilectionis. Hae sagittae, ab arcu praedicationis emissae, vulnerant animam, ut producat gemitum et planctum. Sed si istae sagittae sunt ultra puerum, idest puerilem rationem, non est salus David. Si autem ante puerum, ut videat sagittas, salus est David et nihil mali: Vivit Dominus! Huic ergo Ionathae dat Christus potestatem bibere in auro, esse in purpura et habere fibulam auream. “In auro claritas sapientiae”, ‘in purpura sanguis Passionis dominicae’, in fibula aurea refrenatio propriae voluntatis designatur. Beatus ille praedicator, cui tradita est potestas bibere in auro! Multis hodie data est potestas habere aurum, sed non bibere in auro. Ille in auro bibit, qui ex claritate sapientiae, quam accepit, prius ipse haurit et postea aliis tribuit. Unde in Genesi dixit Rebecca servo Abrahae: Bibe, Domine, quin et camelis tuis potum tribuam. Hoc est quod dicit sapientia praedicatori: Bibe, Domine. Dominum vocat, quia ipsius potestati a Iesu Christo est tradita. Unde in Genesi: Sub potestate, inquit, viri eris et ipse dominabitur tui. Felix qui sapientiae sibi datae dominatur. Ille sapientiae dominatur, qui non sibi sed Deo ipsam attribuit, qui secundum quod praedicat vivit. Bibe ergo, Domine, et postea camelis, idest auditoribus, tuis potum tribuam. Hoc est quod dicit Dominus in Ioanne: Haurite nunc et ferte architriclino. Architriclinus dicitur ab archos, quod est princeps, et clinos, quod est lectus, inde architriclinus, ‘idest princeps trium lectorum’. In lectis enim soliti erant comedere. ‘In Ecclesia tres sunt lecti, idest ordines, in quibus quasi in lecto quiescit Dominus, scilicet coniugati, continentes et virgines. Istorum est princeps praelatus vel praedicator, et ideo prior debet bibere et postea discumbentibus propinare’. Dedit ergo Antiochus potestatem Ionathae bibendi in auro. Sequitur: Et esse in purpura. Ille praedicator est in purpura qui cum Paulo, egregio praedicatore, ‘stigmata Iesu Christi portat in suo corpore’. Unde in Canticis: Purpura regis coniuncta canalibus. “Canalis dictus, quod cavus sit”, et “significat humilitatem cordis”. Canalibus ergo idest humilibus praedicatoribus, per quos defluit aqua doctrinae, ad irrigandum areolas aromatum, idest animas fidelium, purpura regis, “idest Passio Iesu Christi”, est coniuncta, idest simul iuncta. Nihil enim medium debet esse inter praedicatoris vitam et Christi Passionem, ut dicat cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo! Sequitur: Et habere fibulam auream. “Fibula dicta, quod liget”, propriae voluntatis significat refrenationem, quae bene dicitur aurea, quia ex ipsa animae et corporis procedit puritas. Hac fibula praedicator debet ligari, ut dicere possit cum Apostolo in epistola secunda ad Timotheum: In evangelio laboro usque ad vincula, sed tamen verbum Dei non est alligatum. Cum propria voluntas praedicatoris ligatur, tunc verbum Domini in ore eius solvitur, ut libere discurrat ad corda audientium. Si ergo praelatus vel praedicator Ecclesiae in auro sapientiae biberit et in purpura Passionis dominicae fuerit et fibula aurea voluntatem propriam ligaverit, vere cum Iesu in naviculam poterit ascendere, transfretare et in civitatem suam pervenire. Unde dicitur in hodierno evangelio. Ascendens Iesus in naviculam etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum: Iesu Christi in naviculam ascensio, cum praemittitur: Ascendens Iesus. Secundum: paralytici oblatio, cum adiungitur: Et ecce offerebant ei. Tertium: ipsius paralytici curatio, cum subinfertur: Surge, tolle grabatum tuum etc. In introitu hodiernae missae cantatur: Omnia quae fecisti nobis, Domine. Et legitur epistola beati Pauli ad Ephesios: Renovamini spiritu mentis vestrae. Quam in tribus particulis volumus dividere, et cum tribus clausulis evangelii concordare. Prima est: Renovamini. Secunda: Deponentes mendacium. Tertia: Qui furabatur etc. Nota quod paralytici curatio et mentis renovatio et mendacii depositio idem significant, et ideo haec epistola cum isto evangelio legitur.

I – De Iesu Christi in naviculam ascensione

3 – Dicamus ergo: Ascendens Iesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. ALLEGORICE. Navicula est crux, in quam Iesus ascendit. Unde et dixit: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, scilicet uncino crucis. De quo dicitur in Amos propheta: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Uncinum pomorum ego video. Et ait Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel; non adiiciam ultra ut pertranseam eum. Nota quod in pomis sunt tria, scilicet sapor, color et odor. Poma sunt viri iusti, in quibus est sapor contemplationis, color sanctitatis, odor bonae opinionis. Haec poma Dominus ad se trahit quotidie uncino suae crucis; quam cum ascendit, finis venit super nos, quia finita est miseria nostra; qui nos non pertransiit, sed potius cum ipso transivimus in gloriam. Et hoc est: Transfretavit, et venit in civitatem suam. Unde Ioannes: Sciens, inquit, Iesus quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Hoc est quod dicitur in Psalmo: De torrente in via bibit etc. 'De torrente Passionis bibit, in via suae peregrinationis, et ideo caput exaltavit, quod prius in cruce inclinavit, cum spiritum tradidit'.

4 – MORALITER. Nota. Quid ista quattuor verba: ascendens, navicula, transfretavit et civitas significent, videamus. Qui vult ascendere, necesse est prius ipsum descendere. Unde Apostolus de Christo dicit: Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qualiter autem debeas descendere ostendit tibi Isaias: Descende, inquit, sede in pulvere, virgo filia Babylon. Nota verba singula. 'O anima peccatrix, quae diceris virgo propter boni operis sterilitatem, filia propter effeminationem, Babylon propter peccati confusionem, descende a tui cordis elatione, sede per humilitatem, in pulvere per tuae vilitatis considerationem'. Hae sunt inferiores partes terrae, ad quas considerandas si prius descenderis, post ascendere poteris. Unde dicitur in Genesi, quod 'ascendit Abraham de Aegypto, cum omnibus quae habebat, ad australem partem'. Hoc idem habes in eodem: Iacob, convocata omni domo sua, ait: Surgite, et ascendamus in Bethel. Abraham et Iacob poenitentem significant, qui de Aegypto, idest miseriae suae tenebris, ascendit cum omni domo sua, idest mentis cogitatione et affectione, ex quibus, nihil debet remanere in Aegypto. Totus enim debes ascendere ad australem partem, idest mentis contritionem, quae est Bethel, "idest domus Dei", idest in qua habitat Deus. Unde Isaias: Excelsus et Sublimis, habitans aeternitatem, habitat cum contrito et humili spiritu. De hoc quaere in evangelio: Ductus est Iesus in desertum.

5 – Super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi dicit Iudas

Machabaeus: Ascendamus nunc mundare sancta et renovare. Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion. Et viderunt sanctificationem desertam, et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata, sicut in saltu et in montibus, et pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno, et imposuerunt cinerem super caput suum; et ceciderunt in faciem suam super terram. In hac auctoritate comprehenditur qualiter anima destruitur et qualiter reaedificatur. Iudas, idest poenitens, congregato omni exercitu, scilicet cogitationum et affectionum, debet ascendere in montem Sion, "quae interpretatur specula, idest mentem suam", ex qua potest speculari orientem suae nativitatis, occidentem suae mortis, aquilonem suae adversitatis, meridiem mundanae prosperitatis. Primum, ut se humiliet; secundum, ut se plangat; tertium, ut fortis existat; quartum, ne se elevet. Et quia amissa bona homo tunc cognoscit, cum mala commissa recte prius aspicit, ideo sequitur: Et viderunt sanctificationem desertam etc. Sanctificatio tunc est deserta, cum anima, aqua Baptismatis sanctificata, peccat mortaliter, et sic a Sancti Spiritus gratia efficitur deserta. Altare profanatur, cum fides destruitur. Portae exuruntur, cum sensus corporis igne concupiscentiae dissipantur. "In atriis virgulta nascuntur, cum in corde superfluarum cogitationum multitudo generatur. Pastophoria graece dicuntur thalami vel cubicula, in quibus levitae excubabant in atriis domus Domini, quorum commemoratio fit in ultima visione Ezechielis. Pastophoria ergo diruuntur, cum secreta mentis per desideria illicita dilaniantur". Ecce qualiter anima destruitur, sed videamus qualiter reaedificatur Sciderunt vestimenta sua etc. Nota ista quattuor: sciderunt, planxerunt, imposuerunt, ceciderunt. In scissione vestimentorum, cordis contritio; in planctu, lacrimosa confessio; in impositione cineris super caput, humilis satisfactio; in casu in faciem super terram, ultimae resolutionis recordatio. Unde dictum est primo homini: 'Terra es et in terram ibis'. Qui sic cum Iuda, mundare et renovare sancta, in montem Sion ascendit, vere cum Iesu in naviculam ascendit.

6 – Et nota quod, ad regimen naviculae quattuor sunt ad minus necessaria, scilicet arbor, velum, remi et ancora. In arbore, cordis contritio; in velo, oris confessio: sicut velum arbori, sic confessio contritioni debet alligari; in remis, satisfactionis opera, scilicet ieiunium, oratio et eleemosyna; in ancora mortis designatur recordatio. Sicut enim ancora navem retinet, ne in saxis se immergat, sic mortis memoria vitam nostram retinet, ne in peccata ruat. Unde Salomon: Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. Quicumque ergo a ripa huius mortalitatis usque ad ripam immortalitatis transfretare, idest in civitatem caelestem Ierusalem pervenire, desiderat, ascendat in talem naviculam poenitentiae. Unde huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Ecce hic habes qualiter mons Sion mundatur et renovatur. Ascendit, inquit, Iudas mundare et renovare sancta. Et Apostolus dicit: Renovamini spiritu mentis vestrae, in cordis contritione, et induite novum hominem, in oris confessione, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis, idest in operis satisfactione, et sic in naviculam ascendere et in civitatem gloriae caelestis poteris pervenire. Ad quam ipse nos perducat, qui in naviculam crucis ascendit, et die tertia quasi novus homo resurrexit, cui est honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

II – De paralytici Iesu Christo oblatione

7 – Sequitur secundum. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Videns autem Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. "Nota infirmitates, ut ibi dicit GLOSSA, aliquando contingere propter peccata, et ideo prius dimittuntur, ut salus restituatur. Quinque modis infirmitates contingunt: vel ut iustis merita per patientiam augeantur, ut Iob; vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo; vel ad corrigenda peccata, sicut Mariae sorori Moysi lepra, et sicut huic paralytico; vel ad gloriam Dei, ut de caeco nato et Lazaro; vel ad initium poenae aeternae, ut Herodi, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur. Unde Ieremias: Duplici contritione contere eos, Domine". Quid paralyticus, quid lectus, quid illi qui offerunt moraliter significent, videamus. Paralysis ab eo quod mediam partem teneat nomen accepit; si enim omnes partes teneat, apoplexionem indicabit. Vel melius, est 'dicta a corporis impactione, facta ex multa infrigidatione, aut in toto corpore aut in parte'. Paralysis est dissolutio membrorum, et 'significat carnis voluptatem, quae est quasi lectus, in quo paralyticus, idest anima, iacet dissoluta'. Unde Ieremias: Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? Cum caro per delicias dissolvitur, anima tamquam paralyticus iacet dissoluta in carnis mollitie.

8 – De hoc lecto dicit meretrix in Proverbiis Salomonis: Intexui funibus lectum meum, stravi tapetibus pictis ex Aegypto; aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo. Veni, inebriemur uberibus, fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies. Lectus, idest carnalis voluptas, funibus peccatorum intexitur; tapetibus pictis, idest delectationibus variis, quae veniunt ex Aegypto, idest conscientiae tenebris, sternitur. Et quia risus dolore, delectatio amaritudine miscetur, ideo adiungitur: aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo. In myrrha et aloe, quae sunt species amarae, amaritudo poenae; in cinnamomo, quod odoriferum est, carnis delectatio figuratur. Dicit ergo meretrix, idest caro, iuveni, idest spiritui: Veni, per mentis consensum, inebriemur uberibus, idest gula et luxuria, per operis assensum, fruamur cupitis amplexibus, per consuetudinis vinculum, donec illucescat dies. Et hoc convenienter, quia neminem potest caro circumvenire nisi in nocte ignorantiae; unde nihil adeo timet sicut diem intellectus. Ecce qualiter paralyticus iacet dissolutus in lecto. Unde dicitur in libro Iudith, quod Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. Holofernes interpretatur infirmans vitulum saginatum, et significat peccatoris spiritum, qui, cum infirmatur per mentis consensum, infirmat vitulum saginatum, idest carnem, temporalium abundantia saginatam, in cuius voluptate quasi in lecto iacet nimia ebrietate sopitus. Unde dicitur in Proverbiis: Eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo, et dices: Verberaverunt me et non dolui, traxerunt me et non sensi. In medio mari dormit qui in fluctibus cogitationum, in amaritudine peccatorum torpescit, et est quasi sopitus gubernator, qui, amisso clavo, idest gubernaculo rationis, vitae suae navem fert in Carybdim aeternae mortis. Et sic non dolet, cum 'a daemonibus verberatur, nec sentit, cum per diversa vitia', quasi bos ductus ad victimam, ab ipsis trahitur. Iacet ergo paralyticus in lecto, de quo Salomon in Proverbiis: Dicit piger: Leo est in via, et leaena in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine. 'Leo est diabolus, leaena carnis concupiscentia'. "Piger dictus, quasi pedibus aeger", est gulosus et luxuriosus, qui pedibus, idest bonae voluntatis affectibus, aegrotat, et ideo in lecto miserae voluptatis iacet paralyticus, aegrotans: diaboli tentationem sustinere non praevalens et carnis

concupiscentiam reprimere metuens, foras non vult exire, scilicet ad opera poenitentiae, et sic vertitur in carnis voluptate, sicut ostium in cardine.

9 – Dicamus ergo: Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Marcus sic dicit: Et venerunt ferentes ad eum paralyticum, qui a quattuor portabatur; et cum non possent offerre eum illi prae turba, nudaverunt tectum ubi erat, et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat. Humilitas et paupertas, patientia et obedientia sunt illi quattuor qui offerunt Iesu animam iacentem, in carnis voluptate dissolutam. Et quia prae turba, idest turbatione carnalium desideriorum, offerre non possunt, tectum nudant et patefaciunt, et grabatum cum paralytico ante Iesum submittunt. Nota quod quadruplex est tectum, scilicet superbiae, avaritiae, contumaciae et irae. Haec sunt, ut dicit Ecclesiasticus, 'tecta perstillantia', idest oculum rationis excaecantia. Et Isaias: Quid nam tibi quoque est, quia et tu ascendisti in tecta? Et David: Fiant sicut foenum tectorum etc. Hoc tectum, tegens et obscurans faciem animae, ne videat lumen iustitiae, quattuor supradictae virtutes nudant in cordis contritione, patefaciunt in oris confessione, et sic submittunt ante Iesum, de misericordia Iesu confidentes, animam et corpus in poenitentiae satisfactione. Nemo enim potest venire ad Iesum, nisi his quattuor virtutibus asportetur. "Velut, ibi dicit GLOSSA, a quattuor portatur, qui quattuor virtutibus ad Deum fiducia mentis erigitur. De quibus in libro Sapientiae: 'Sobrietatem et sapientiam docet et iustitiam et virtutem'. Quas alii prudentiam, fortitudinem, temperantiam et iustitiam nuncupant".

10 – Sequitur: Videns autem Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Ibi dicit GLOSSA: "Multum valet apud Deum fides propria, ubi tantum valuit aliena, ut homo, interius et exterius sanatus, repente exsurgeret, aliorumque meritis sua ei relaxarentur errata. Mira humilitas! Despectum ab hominibus, dissolutum totis artubus, filium vocat. Aut certe ideo, quia dimittuntur ei peccata". Nota ista tria: videns fidem, confide, fili, remittuntur tibi peccata. "Fides sine dilectione inanis est; fides cum dilectione christiani est". Unde nota quod "aliud est credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deum. Credere Deo est credere vera esse quae loquitur, quod et mali faciunt; et nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum est credere quod ipse sit Deus, quod et daemones faciunt. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere, et eius membris incorporari. Per hanc fidem iustificatur impius". Ubi ergo talis est fides ibi confidentia de Dei misericordia, ibi remissio culpae. Sequitur: Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Quia Iesum verum Deum non credunt, ideo ipsum, eo quod peccata remitteret, blasphemare dicunt. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Cogitatio dicta, quod frequenter cogat animum reminisci. Iesus videt cogitationes. Unde ad Hebraeos: 'Cuius oculis nuda et aperta sunt omnia'. Et Ecclesiasticus: Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda, intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt cognita; sic et post perfectum respicit omnia. Ut quid ergo cogitatis mala in cordibus vestris? Unde Michaeas propheta: 'Vae qui cogitatis mala in cubilibus vestris; et in luce matutina facitis illud'. Cum in mentis delectatione et consensu malum in cubilibus, idest cordibus nostris, cogitamus, tunc illud malum in luce matutina, idest coram oculis Domini, facimus, quamvis opere non

exequamur. Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, idest hoc fine viderit, ut eam concupiscat, iam moechatus est eam in corde suo. In hoc cognoscere scribae poterant quod Deus erat, qui ipsorum cogitationes videbat. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula? Ibi GLOSSA: "Sed quoniam hoc spirituale non creditis, probetur signo visibili quod non minoris constet esse potentiae, ut in Filio hominis latentem cognoscatis potentiam maiestatis, qua potest peccata dimittere ut Deus".

11 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini et nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Paulo ante diximus, quod quattuor sunt virtutes quae portant animam paralyticam ad Iesum, scilicet humilitas et paupertas, patientia et obedientia, per quas deponimus ista quattuor, quae dicit Apostolus. Mendacium superbiae vel vanaegloriae, quae se mentitur esse aliquid, cum nihil sit, deponimus per humilitatem, unde "mendacium dicitur, quod mentem alterius fallit". Loquimini veritatem, scilicet per paupertatis amorem. Unde est hodie quod fere unusquisque loquitur falsitatem cum proximo suo, nisi ex avaritia, quae illos qui deberent esse membra Christi ab invicem dividit? Irascimini "vobis, quod est poenitere", et nolite peccare. "Iratus enim male cogitat, et sic se diabolus inserit, ut mala peragat". Et ideo patientia est necessaria, per quam expellitur ira. Vel, "Irascimini, idest indignamini vobismetipsis tanta vehementia, ut peccare desistatis". "Sol, idest Christus, non occidat, idest mentem non deserat", qui "per iram, quasi per montem interpositum, obscuratur nobis". Ecce, hic habes quod Apostolus invitat ad patientiam. Item invitat ad obedientiam, cum dicit: Nolite locum dare diabolo. Primus homo, cum in inobedientiam cecidit, locum diabolo dedit. Sed vos obedite, quia obedientia locum claudit diabolo, ne valeat ingredi ad animam. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut nostrae superbiae mendacium humilitate deponas, nostram avaritiam paupertate expellas, iram patientia frangas, inobedientiam tuae Passionis obedientia reprimas, qua tibi praesentari et remissionem peccatorum accipere, et tecum mereamur sine fine gaudere. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De paralytici curatione

12 – Sequitur tertium. Tunc ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbae etc. Nota ista tria: Surge, tolle et vade. Paralyticus surgit, cum peccator vitia, in quibus iacuit, deserit. Unde super hoc habes concordantiam in libro Machabaeorum, ubi dicitur, quod surrexit Mathathias et consedit in monte Modin. Et habebat filios quinque, 'qui sunt Iudas, Simon, Ionathas, Ioannes et Eleazarus'. "Mathathias interpretatur donum Dei", et significat poenitentem, qui Dei dono a peccato surrexit et in monte Modin, "qui interpretatur iudicium", consedit. Dicit AUGUSTINUS: 'Ascende tribunal mentis tuae, sit ratio iudicans, conscientia accusans, timor carnifex, dolor crucians, locum testium obtineant opera'. Hic est mons Modin, in quo qui consedit vere a peccato surrexit. Huic Mathathiae, idest poenitenti, sunt quinque filii, scilicet 'Iudas, qui interpretatur confitens, Simon obediens, Ionathas columba, Ioannes gratia, Eleazarus Dei auxilium'. Hi sunt filii

poenitentis, cui datur Dei donum, ex quo haec omnia procedunt. Iudas mundat, Simon aedificat, Ionathas renovat, Ioannes ornat, Eleazarus protegit et conservat. Iudas templum mundat, quia confessio mentem a vitiis purgat. Unde dicitur in libro Iudicum, quod consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananaeum, et erit dux belli? Dixitque Dominus: Iudas ascendet, ecce tradidi terram in manu eius. 'Chananaeus interpretatur zelotypus', et significat diabolum, qui animam peccatoris quasi zelotypus ardenter diligit, et ne ad Christum revertatur astute satagit. Contra hunc poenitens in confessione debet ascendere et eum de terra mentis suae extirpare et ipsam a vitiis purgare. Simon aedificat, quia ad hoc obedientia laborat, ut aedificium boni operis in altum crescat. Unde de eo dixit Mathathias: Ecce Simon, frater vester, scio quod vir boni consilii est: ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. Obedientia boni est consilii, quia propriam voluntatem, quae est via ad infernum, docet mortificare, et alterius voluntatem, quae est via ad caelum, adimplere. De cuius aedificio dicit GREGORIUS: "Obedientia sola est virtus, quae ceteras virtutes sibi inserit, insertasque custodit". Ionathas sancta renovare non desinit, quia columbina simplicitas aedificat quod calliditas antiqui hostis quotidie destruit et in primo homine destruxit. Unde dicitur in Genesi, quod 'venit columba in vespera ad Noe in arcam, portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo'. Quid columba, quid vespera, quid Noe, quid arca, quid ramus olivae et virentia folia significent videamus. Columba dicta, quasi colens lumbos, est simplicitas et puritas, quae lumbos tunc colit, cum luxuriam restringit. Haec columba ad Noe, idest poenitentem, in arcam, idest in ipsius mentem, venit, et hoc in vespera, hoc est quando iam sol mundanae prosperitatis et calor concupiscentiae carnalis in ipso tepuit; et tunc ramum portat olivae virentibus foliis. In ramo, mentis constantia; in oliva, serena hilaritas conscientiae; in virentibus foliis verba designantur salutifera. Haec omnia columba portat, cum simplicitas ad mentem poenitentis venit, et sic Ionathas renovat quod perierat. Item, Ioannes faciem templi coronis aureis ornat, quia Sancti Spiritus gratia pura intentione opera nostra decorat. Unde Isaias: Induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona. Dominus poenitentem induit vestimentis salutis in contritione, et indumento iustitiae circumdat in confessione, et quasi sponsum decoratum corona ornat in operis satisfactione, quae debet procedere ex mentis puritate. Sed, quia haec omnia supradicta nihil proficiunt nisi adsit Dei auxilium, ideo adiungitur quintus frater Eleazarus. Dei enim auxilio incepta augmentantur, augmentata conservantur, conservata poenitentem conservant, et vitae aeternae praemiis coronant. Dicat ergo Dominus paralytico: Surge.

13 – Sequitur: Tolle grabatum tuum. Ibi dicit GLOSSA: "Lectum tollere est carnem a terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere, ut quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis". Tolle ergo lectum tuum, idest carnem per continentiam, spe caelestium, a terrenis segrega. Super hoc habes quid simile in secundo libro Regum, ubi dicitur quod percussit David Philisthiim et humiliavit eos; et tulit frenum tributi de manu Philisthiim. Et percussit Moab et mensus est funiculo, coaequans terrae; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum et unum ad vivificandum; factusque est Moab David serviens sub tributo. AD LITTERAM sic intellige. Percussit David Philisthaeos, et abstulit frenum, idest potestatem, tributi, quam habebant in Israel, de manu eorum. Et percussit Moab et mensus est eos funiculo, idest cui voluit dedit hereditatem, coaequans eos terrae, idest valde humilians. Et mensus est duos funiculos

etc., ‘idest ad arbitrium suum quos voluit occidit, et quos voluit reservavit’. MORALITER. “Philisthiim interpretantur potione cadentes”, et significant sensus corporis, qui potione mundanae vanitatis inebriati, cadunt in foveam peccati. Dicuntur etiam ‘duplex ruina’, quia se et animam ruere faciunt. Unde de hac ruina dicit Dominus: Qui audit verba mea et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam, idest conversationem suam, super arenam, idest amorem temporalium; et descendit pluvia diabolicae suggestionis, et venerunt flumina concupiscentiae carnalis, et flaverunt venti mundanae adversitatis vel prosperitatis, et irruerunt in domum illam, et cecidit, quia fundamentum eius erat arena; unde ‘arena dicitur, quasi arida’; temporalia enim ab humore gratiae sunt arida; et fuit ruina eius magna. David Philisthaeos percutit et humiliat, cum poenitens sensus corporis percutit in carnis mortificatione et humiliat in suae vilitatis recordatione; et tunc aufert frenum tributi, idest gulae et luxuriae concupiscentiam, qua prius sensus carnis ipsum solebant infrenare, ne foenum dominicae Incarnationis, in praesepio positum, posset manducare, sed tantum aquam terrenae voluptatis bibere. Equus infrenatus non comedere sed bibere potest. Unde de hoc tributo deplorat Ieremias in Threnis: Princeps provinciarum facta est sub tributo. Anima quondam princeps provinciarum, idest quinque sensuum, facta est sub tributo carnalis concupiscentiae, sed David de manu, idest potestate, eorum aufert frenum tributi, cum tollit grabatum suum, ‘carnem suam crucifigens cum vitiis et concupiscentiis’. Unde sequitur: Et percussit Moab etc. “Moab interpretatur ex patre”, et significat motum carnis, quem a patribus nostris contrahimus. Iste Moab quotiescumque consurgit statim debemus percutere, idest reprimere, et funiculo, idest asperitate poenitentiae, sub mensura tamen discretionis, debemus terrae coaequare, idest humiliare, vel ut aequaliter poena respondeat culpae. Metiri etiam debemus duos funiculos, duo genera compunctionis, unum quod est pro peccatis, et hoc ad occidendum, idest motum carnis mortificandum, et unum quod est pro desiderio gloriae, et hoc est ad vivificandum spiritum nostrum. Unde sequitur in evangelio: Et vade in domum tuam. “In domum ire est in paradisum, quae prima domus hominis fuit, redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet”. Et surrexit inde et abiit in domum suam. Ibi GLOSSA: “Magna virtus, ubi sine mora imperium salus comitatur. Unde merito qui aderant, relictis blasphemiis, stupentes ad laudem convertuntur tantae maiestatis”. Unde sequitur: Videntes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Nota ista duo verba: timuerunt et glorificaverunt. Unde dicunt in introitu hodiernae missae: “Omnia quae fecisti nobis, Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccavimus tibi et mandatis tuis non obedivimus”. Ecce ‘hic aperte habes quod paralyticus propter peccata sua tali infirmitate fuit percussus, de qua curari non potuit nisi prius dimissa fuissent’. Omnia ergo quae facit Dominus credere debemus, quod iusto iudicio faciat, et peccatis nostris imputare, et ipsum cum turbis glorificare, dicentes: “Sed da gloriam nomini tuo et fac nobiscum secundum misericordiam tuam”. Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Qui furabatur iam non furetur, ecce: Surge; magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ecce: Tolle grabatum tuum, qui enim bono operi intendit, lectum suae carnis tollit; ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, ecce: Vade in domum tuam. In domum suam vadit, qui animae suae necessitatem patienti opera misericordiae impendit. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut a peccato nos surgere, lectum nostrae carnis tollere, et in domum caelestis beatitudinis nos faciat redire. Ipso praestante, qui est benedictus, dulcis et amabilis per aeterna saecula.

Dicat omnis a lecto carnis surgens anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in vigesima dominica post Pentecosten: Simile est regnum caelorum homini regi, quod dividitur in tribus clausulis. In primis thema sermonis de triplici templo et candelabro aureo et sex ipsius calamis et eorum significatione, ibi: Intulerunt candelabrum. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item thema de tribus nuptiis et eorum adiunctis, ibi: Simile est regnum caelorum. Item thema in Annuntiatione Domini, ibi: Sapientia aedificavit sibi domum et cetera quae sequuntur. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de tribus tabernaculis, quae tribus concordant nuptiis, ibi: Erit ruina qua percutiet Dominus. Item contra ebrietatem, ibi: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria et cetera quae sequuntur in eodem. [DE TERTIA CLAUSULA]. Thema de tribus vestibus nuptialibus, quae tribus concordant nuptiis, ibi: Intravit autem rex. Item de quadruplici horto et eius significatione, ibi: Descendit dilectus meus in hortum. Item de triplici bello, ibi: Tertium bellum fuit in Gob; et in eodem dicitur de natura salamandrae et passeris et poenis inferni.

Exordium. De triplici templo et de ipsius candelabro

1 – In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Dicitur in libro Machabaeorum, quod intulerunt candelabrum et altare incensorum et mensam in templum. Quid ista quattuor allegorice, moraliter et anagogice significent, videamus. Nota quod triplex est templum, scilicet uterus virginalis, anima fidelis et Ierusalem caelestis, in quorum quolibet sunt candelabrum, altare incensorum et mensa. De templo uteri virginalis dicitur in tertio libro Regum, quod ‘Salomon aedificavit templum ex tribus, scilicet marmore, cedro et auro. Marmor cedro, cedrus vestiebatur auro’. In marmore, beatae Mariae virginitas; in cedro, ‘quae odore suo fugat serpentes’, humilitas; in auro ipsius designatur paupertas. Marmor virginitatis vestitur, idest conservatur et ornatur, cedro humilitatis. Superba enim virgo non est virgo, et ideo beata Maria, quasi virginitate oblita, humilitatem praetendit, dicens: Ecce ancilla Domini. Cedrus humilitatis decoratur auro paupertatis. ‘Solet enim ex divitiarum adipe procedere iniquitas superbiae’. In hoc templum fuerunt illata candelabrum, altare incensorum et mensa. Sicut in divinitate tres sunt personae et una substantia, sic in Christi humanitate tres sunt substantiae et una persona. Iesus Christus est Deus et homo, qui ex anima et carne consistit. In candelabro, divinitas; in altari incensorum, ipsius anima, quae omni fuit plena odore virtutum; in mensa ipsius designatur caro, ex qua reficimur et satiamur in altaris Sacramento. Benedictum et gloriosum istud templum, quod candelabro aeterni luminis illuminatur, altare incensi odoriferum redditur, mensa propositionis satiatur. Item, de secundo templo, quod est anima fidelis, dicit Apostolus: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. In hoc templum debemus inferre candelabrum caritatis, altare incensorum, idest devotionem mentis, et mensam propositionis, idest verbum sanctae praedicationis. De candelabro caritatis

dicitur in Exodo, ubi loquitur Dominus ad Moysen, dicens: Facies candelabrum ductile de auro mundissimo, scyphos et sphaerulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere et tres ex altero. 'Ductile dictum, quod malleo producatur'. Candelabrum caritatis percutitur malleo tribulationis, ut producta crescat, non in se sed in mente hominis. Unde dicit AUGUSTINUS super epistolam Ioannis: "Perfecta caritas est haec, ut quis paratus sit etiam pro fratribus mori. Sed numquid mox ut nascitur iam prorsus perfecta est? Immo, ut perficiatur nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicit: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Hic aperte progressus et perfectio caritatis insinuantur". Fit etiam candelabrum caritatis de auro mundissimo. Nullius enim vitii recipit admixtionem, quae, sicut aurum ceteris metallis, sic praeeminet ceteris virtutibus. Ex isto candelabro debent procedere scyphi, sphaerulae ac lilia. In scypho, qui sua concavitate infusa retinet et propinat, designatur humilitas cum compunctione mentis. Concavitas enim infusorum est receptiva, tumor vero infusa repellit. In sphaerula, quae circumvolvitur, sollicitudo circa proximi necessitatem. In liliis, munditia castitatis. Tu ergo, qui caritatem habes, habe scyphos quoad Deum, sphaerulas quoad proximum, et lilia quoad teipsum. Nota etiam, quod candelabrum caritatis habet sex brachia, tria a dextris et tria a sinistris, quibus amplectitur Deum et proximum. Tria quibus amplectitur Deum sunt peccatorum abominatio, temporalium conculcatio, caelestium contemplatio. De primo dicit Psalmista: Iniquitatem odio habui, et abominatus sum. De secundo Apostolus: 'Omnia reputavi tamquam stercora, ut Christum lucrifacerem et amplecterer'. De tertio idem: 'Contemplantibus vobis non quae videntur, sed ea quae non videntur'. Item, tria brachia quibus amplectitur proximum sunt: delinquenti parcere, errantem corrigere, esurientem reficere. De primo in evangelio: 'Dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt'. De secundo Iacobus: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum. De tertio Salomon: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Si cum tali candelabro altare devotionis et mensa sanctae praedicationis in animam nostram fuerint illata, vere tunc erit templum sanctum, in quo habitat Deus. Item, de tertio templo, quod est Ierusalem caelestis. De quo in Psalmo: Introibo in domum tuam, idest Ecclesiam militantem, adorabo ad templum sanctum tuum, idest triumphantem, et in utroque: confitebor nomini tuo. Unde dicitur in Daniele, quod ingressus est Daniel domum suam et, fenestris apertis in cenaculo suo contra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat, confitebaturque coram Deo suo. In hoc templo est candelabrum luminis. Unde in Apocalypsi: Claritas Dei illuminat eam, et lucerna eius est Agnus. Est ibi et altare incensorum. Unde in eodem: Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum et de manu angeli coram Deo. Hoc est quod dicit Raphael Tobiae: Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino. Est etiam ibi mensa. Unde in Luca: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Cum hoc triplici templo tres nuptias volumus concordare et concordando celebrare. De quibus dicitur in hodierno evangelio: Simile factum est regnum caelorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, nuptiarum praeparatio et ad ipsas convocatio, cum praemittitur: Simile factum est. Secundum, homicidarum perditio, bonorum et malorum in nuptiis congregatio, cum adiungitur: Rex autem, cum audisset, iratus est. Tertium, hominis non vestiti veste nuptiali condemnatio, cum subinfertur: Intravit autem rex. In introitu hodiernae missae cantatur: In voluntate tua, Domine; et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios: Videte itaque quomodo caute ambuletis. Quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima: Videte. Secunda: Nolite inebriari vino. Tertia: Sed implemini Spiritu Sancto etc. In hoc evangelio loquitur Dominus de nuptiis, ad quas celebrandas in psalmis, hymnis et canticis nos invitat Apostolus in hodierna epistola, qua de causa legitur cum hoc evangelio.

I – De tribus nuptiis

3 – Dicamus ergo: Simile factum est regnum caelorum homini regi. Nota quod tres sunt nuptiae, scilicet unionis, iustificationis et glorificationis. Primae celebratae fuerunt in templo beatae Virginis; secundae quotidie celebrantur in templo animae fidelis; tertiae celebrabuntur in templo gloriae caelestis. In nuptiis solent duae personae convenire, sponsus scilicet et sponsa. Solent duae partes discordes per bonum matrimonii concordia uniri, cum scilicet unus ex illa parte accipit coniugem ex ista. Inter nos et Deum magna erat discordia, ad quam expellendam et pacem reformandam necesse fuit ut Dei Filius de nostra parentela acciperet sponsam. Ad quod negotium peragendum multi internuntii et intercessores accesserunt et precibus institerunt, et vix impetrare potuerunt. Tandem consensit Pater, et misit Filium suum, qui 'in thalamo beatae Virginis' sibi nostram naturam univit, et tunc Pater nuptias Filio suo fecit. Unde super hoc dicit IOANNES DAMASCENUS: "Post concessum sanctae Virginis, Spiritus Sanctus praevenit in ipsam, secundum verbum Dei, quod dixit Angelus, purgans ipsam, et potentiam deitatis Verbi receptivam praeparans, simul autem et generativam. Et tunc obumbravit ipsam Dei altissimi per se Sapientia et Virtus existens, idest Filius Dei, Patri homousios, idest consubstantialis, sicut divinum semen; et copulavit sibi ipsi, ex sanctissimis et purissimis ipsius Virginis sanguinibus, nostrae antiquae conspersionis carnem, animatam anima rationali et intellectiva, non seminans, sed per Spiritum Sanctum creans". Item, idem dicit: "Omnia quae in nostra natura plantavit, Dei Verbum assumpsit, scilicet corpus et animam intellectualem; totum enim totus assumpsit, ut toti mihi salutem gratis faceret". 'Altius divinitas maritari voluit, sed gloriosius caro nubere non potuit'. Item, secundae nuptiae celebrantur, cum, adveniente Sancti Spiritus gratia, peccatrix convertitur anima. Unde dicit in Osee propheta: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene tunc mihi erat magis quam nunc. Et paulo post: Vocabit me Vir meus, et non vocabit me ultra Baali. Et auferam nomina Baalim de ore eius, et non recordabitur ultra nominis eorum. Et percutiam eis foedus in die illa cum bestia agri et cum volucre caeli et cum reptili terrae; et arcum et gladium et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. Vir animae est Sancti Spiritus gratia, quo, ipsam ad poenitentiam vocante interna inspiratione, totius vitii inutilis est vocatio. Unde addit: Non vocabit me ultra Baali, "qui interpretatur superior aut devorator", et significat vitium superbiae, quae superior esse appetit, et vitium gulae et luxuriae, quae omnia devorant, quorum nomina aufert de ore poenitentis. Recedant, inquit, vetera de ore vestro, ut non tantum peccatum sed etiam

circumstantias et imaginationes de corde et ore deponat. Et in die illa, idest gratiae infusione, qua illuminatur anima, percutit foedus eis, idest reconciliatur peccatoribus, scilicet cum bestia agri, idest avaris et raptoribus; et volucre caeli, 'idest superbis'; et cum reptili terrae, idest gulosis et luxuriosis. Et tunc conterit de terra, 'idest mente peccatoris', arcum diabolicae suggestionis et gladium fulgentem mundanae prosperitatis et bellum carnis; et sic eos fiducialiter facit dormire et nuptias celebrare, quasi sponsus cum sponsa in thalamo purae conscientiae. Item, tertiae nuptiae celebrabuntur quando, in die iudicii, adveniente sponso Iesu Christo, de quo dicitur: Ecce sponsus venit, exite obviam ei, accipiet ad seipsum Ecclesiam sponsam suam, de qua Ioannes in Apocalypsi: Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei. Ecclesia fidelium de caelo a Deo descendit, quia a Deo accepit, ut eius conversatio esset in caelis, ubi modo fide et spe vivit, ubi paulo post cum suo sponso nuptias celebrabit, de quibus in Apocalypsi: Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt. De his tribus nuptiis dicit Dominus in Osee: Sponsabo te mihi in sempiternum, ecce nuptiae glorificationis. Unde Isaias: Laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam obtinebunt. Et sponsabo te mihi in iudicio et iustitia, et in misericordia et miserationibus, ecce nuptiae iustificationis. In iudicio enim confessionis, qua se anima coram confessore iudicat et accusat, et iustitia satisfactionis, qua in se iustitiam exercet, sponsat sibi Dominus animam in misericordia, scilicet peccata dimittendo, et miserationibus, gratiam infundendo et finaliter conservando. Et sponsabo te mihi in fide, ecce nuptiae unionis. In fide enim beatae Virginis, quae Angelo credidit, sibi nostram naturam sponsavit. Dicamus ergo: Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Ibi dicit GLOSSA: "Regnum caelorum, idest praesens Ecclesia vel congregatio iustorum, est simile homini regi, idest Deo Patri, qui fecit nuptias Filio suo, idest per Incarnationis mysterium Ecclesiam Filio copulavit".

4 – Sequitur: Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa, et omnia parata sunt: venite ad nuptias. Hoc est quod dicit Salomon in Parabolis: Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et moenia civitatis. Sapientia "Dei Filius" aedificavit sibi domum "suae humanitatis" in utero beatae Virginis, quae domus fuit suffulta septem columnis, 'idest septiformis gratiae donis'. Hoc idem est: Fecit nuptias filio suo. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Hoc idem est: Ecce prandium meum paravi etc. Misit ancillas suas etc. Hoc idem est: Misit servos suos etc. Nota quod, Dominus vocat et invitat peccatores ad tres supradictas nuptias, quae in arce et moeniis civitatis designantur. In arce, humilitas Incarnationis dominicae; in moeniis, "idest muris", opera poenitentiae, per quae quis ascendit ad civitatem caelestis gloriae. 'Vocat, inquam, per praedicatores', qui dicuntur servi et ancillae. Servi propter humilitatem: Servi, inquiunt in Luca, inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus. Ancillae propter curam sollicitam, quam gerunt circa animas, sicut ancillae circa dominam. Unde dicunt in Psalmo: Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae etc. Ad istas tres nuptias referuntur illa tria, quae ponuntur in evangelio et Salomone, scilicet: Ecce prandium meum paravi, in nuptiis unionis. Unde ibi dicit GLOSSA: "Prandium dicitur paratum, idest mysterium

Incarnationis impletum", ad quod ut invitati avidius convenirent immolavit victimas. "Victima apud veteres dicitur sacrificium post victoriam, vel quia vincta ad aras ducebatur". 'Victimae fuerunt apostoli' et eorum sequaces, qui corpora sua tradiderunt ad supplicia, ut ad dominicae Incarnationis nuptias populos convocarent. Unde de eis dicit Moyses in fine Deuteronomii: Populos ad montem vocabunt, ibi immolabunt victimas iustitiae. Ad montem, idest fidem dominicae Incarnationis, apostoli populos vocarunt, et ibi, idest pro ipsa fide dilatanda, seipsos victimas iustitiae, ut de iniustis iustos facerent, immolarunt. Iustus, inquit, ex fide vivit. Item: Tauri mei occisi sunt, in nuptiis iustificationis, idest poenitentiae. Tauri occiduntur, cum superbi peccatores, in poenitentia mortificati, humiliantur; qui tunc sunt Domini, cum non sunt sui. Suus est 'qui sua et non quae Iesu Christi sunt quaerit'. Unde in Ioanne: Sui eum non receperunt. Dum taurina cervix est erecta, dum oculi sunt torvi ira, suus est homo. Sed cum cervix in lutum redigitur, idest superbia in sui vilitatis recordatione humiliatur et poenitentiae mortificatione occiditur, tunc non suus, sed eius est qui eum emit. In his nuptiis Sapientia miscet vinum, cum carnis et mundi gaudium temperat amaritudine lacrimarum. Unde Isaias: Amara est potio bibentibus illam. Potio mundani gaudii, cum lacrimis poenitentiae miscetur, amara est bibentibus, idest poenitentibus. Item: Altilia mea occisa et omnia parata in nuptiis gloriae caelestis. "Altilia dicuntur ab alendo, et significant viros perfectos, interna caritate pingues, qui penna contemplationis superna petunt. Hi dicuntur occisi, quia per mortem carnis iam in requie sunt positi". In his nuptiis Sapientia mensam proposuit. Unde dictum est superius: Ut edatis et bibatis super mensam meam. Ad harum trium nuptiarum convivium pauci aut nulli sunt qui conveniant. Paupertatem enim et humilitatem dominicae Incarnationis abhorrent, asperitatem poenitentiae formidant, caelestis mensae convivium non desiderant, temporalibus ardenter inhiant. Unde sequitur: Illi autem neglexerunt; et abierunt, alius in villam suam, alius in negotiationem suam. Ibi dicit GLOSSA: "In villam ire est terreno labori immoderate incumbere; negotiari vero, terrenis lucris inhiare". De hoc quaere in secunda clausula evangelii: Homo quidam fecit cenam magnam. Sequitur: Reliqui vero tenuerunt servos eius, et contumeliis affectos occiderunt. Unde, super hoc habes concordantiam in secundo libro Machabaeorum, ubi fit mentio 'de septem fratribus, una cum matre ab Antiocho morte horribili occisis', et de Eleazaro, qui, ut ibi dicitur, gloriosam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie praeibat ad supplicium.

5 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes. Nota quod in hac prima particula epistolae tres versiculi ponuntur, qui tribus supradictis nuptiis concordant, scilicet: Videte quomodo, redimentes tempus, nolite fieri imprudentes. Qui ad nuptias dominicae Incarnationis tendit, caute vadit, quia in luce ambulat, in qua qui ambulat non offendit. Unde Isaias: Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Qui Sapientiae incarnatae nuptiis intersunt, non insipientes sed vere sapientes efficiuntur, unde ipsa dicit in Proverbiis: Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Haec sunt quae faciunt hominem sapientem: consilium, ut mundum fugiat; aequitas, ut unicuique quod suum est tribuat; prudentia, ut pericula praecaveat; fortitudo, ut in adversitate constans existat. Item, ad nuptias poenitentiae venit qui tempus male expensum redimit: Redimentes, inquit, tempus, quoniam dies mali sunt. Ibi dicit GLOSSA AUGUSTINI: "Pro malitia et miseria hominum dicuntur dies mali. Redimit qui

perdit, idest dat de suo, ut vacet Deo, quasi det nummum pro vino. Unde in evangelio: Si quis vult tecum in iudicio contendere et tunicam tollere, dimitte ei et pallium Ut habeas cor quietum, ne perdas tempus". Item, qui caelestis gloriae nuptias desiderat, non imprudens est sed prudens. Unde "prudens dicitur, quasi porro videns". 'Gustat enim et videt quam suavis sit Dominus', et in hac suavitate intelligit quae sit Dei voluntas. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut ad tuae Incarnationis nuptias fide et humilitate facias nos venire, poenitentiae nuptias celebrare, qua caelestis gloriae nuptiis valeamus interesse. Te praestante, qui es benedictus in saecula. Amen.

II – De triplici tabernaculo

6 – Sequitur secundum. Rex autem cum audisset, iratus est; et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Ibi dicit GLOSSA: "Supra homo, dum invitabat et opera clementiae, agebat; nunc, in ultione, rex tantum dicitur". Unde in Psalmo: Misericordia et veritas praecedent faciem tuam. In primo adventu fuit misericordia, in secundo erit iudicii veritas. Unde 'Christus dicitur apis, habens mel misericordiae et aculeum iustitiae'. Unde, de eo dicit Malachias propheta: Ipse erit quasi ignis conflans et quasi herba fullonum. 'Borith est herba fullonis'; de hac panes faciunt, quos herbaticos vocant, et siccant illos habentque pro sapone, qui vestes dealbant. Iesus Christus est in praesenti quasi herba fullonis, quia sua misericordia dealbat animas a peccatis, sed in futuro erit impiis quasi ignis conflans et involvens in fornace inferni. Unde sequitur: Missis exercitibus suis etc. Ibi dicit GLOSSA: "Missis exercitibus, idest angelis, per quos exercebit iudicium, peccatores et civitatem perdet, idest carnem, in qua habitaverunt, cum anima in gehenna cremabit", ut qui in utroque peccaverunt, in utroque iuste puniantur. Sequitur: Tunc ait rex servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati fuerant non erant digni. Gratia Dei praesto est; qua se indignum facit qui oblatam renuit, vel habitam non custodit. Nuptiae quidem paratae sunt, quare ergo non venitis? quare non intratis? quare vos indignos facitis? Audite quid comminatur Dominus per Zachariam prophetam: Erit, inquit, ruina qua percutiet Dominus omnes gentes quae non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. Nota quod, tria sunt tabernacula, quae tribus nuptiis concordant. Primum tabernaculum est dominicae Incarnationis, de quo Isaias: Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Dei Filius, cum accepit ex beata Virgine corpus, in quo quasi in tabernaculo peregrinus et hospes fuit, tunc quasi umbraculum contra aestum diei, idest mundanae prosperitatis, nobis fecit. Unde in Psalmo: Obumbrasti, inquit, super caput meum in die belli, idest mundanae prosperitatis, quae valde impugnat Christi pauperes. Qui dominicae paupertatis obumbraculo caret, sol aestuat super caput eius et moritur. Unde dicitur in libro Iudith, quod vir eius Manasses mortuus est in diebus messis hordeaceae. Instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit aestus super caput eius, et mortuus est. Hoc idem habes in quarto libro Regum, ubi dicitur quod puer filius Sunamitis egressus ad patrem suum, ad messores, ait patri suo: Caput meum doleo. Et mortuus est. "Manasses interpretatur oblitus", et significat cupidum et avarum, qui dominicae paupertatis oblitus, dum manipulos divitiarum et honorum in campo, idest latitudine temporalium, ligare nititur, aestus mundanae prosperitatis super caput, idest mentem, eius venit, et sic moritur. Hoc idem intellige de puero, idest carnali et luxurioso, de quo Isaias: Puer centum annorum

morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Et PHILOSOPHUS: “Malitia est quae te non sinit esse senem”. Est etiam humanitas Iesu Christi nobis in securitatem, unde in Psalmo: Dominus mihi adiutor; non timebo quid faciat mihi homo; et in absconsionem, unde: Sub umbra alarum tuarum protege me’, ‘a turbine diabolicae suggestionis, et a pluvia concupiscentiae carnalis’. Item, secundum tabernaculum est poenitentiae. Unde in Canticis: Nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar. De hoc quaere in evangelio: Cum immundus spiritus. Item, tertium tabernaculum est caelestis gloriae. Unde: Quam dilecta tabernacula tua etc. Quicumque ergo ad istorum tabernaculorum festivitatem celebrandam non ascenderit, ruina mortis aeternae percutiet eum Dominus. Primi tabernaculi festivitas celebratur in fide et humilitate; secundi in cordis contritione; tertii in contemplationis dulcedine. Nuptiae ergo paratae sunt, sed qui invitantur non sunt digni, et ideo: vae illis, qui se indignos faciunt, indignia et vilia et transitoria, idest temporalium stercora, amplectentes. Ite ergo, o praedicatores, ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias. Ibi dicit GLOSSA: “Viae actiones sunt, exitus defectus actionum, quia plerumque facile convertuntur, quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur”. De hoc quaere in tertia clausula evangelii: Homo quidam fecit cenam magnam. Et egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos et malos; et impletae sunt nuptiae discumbentium. Ibi dicit GLOSSA: “Sicut Ecclesia inter caelum et infernum est, ita indiscrete bonos et malos colligit”, scilicet Petrum et Iudam, oleum et amurcam, ‘quae est faex olei, a mergendo dicta’, granum et paleam, quae dicitur a pala, eo “quod pala ventiletur, ut frumenta purgentur”. Pala diabolicae suggestionis paleae, idest peccatores, ventilantur. Contra quod dicit Ecclesiasticus: Ne ventiles te in omnem ventum, et ne eas in omnem viam, quae est superbia, a qua omnes viae diaboli procedunt. Unde Iob: Omne sublime videt: ipse est rex super omnes filios superbiae.

7 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Super hoc versiculo plenius volumus disserere, et quantum periculum in vino lateat demonstrare. Dicitur in Genesi: Coepit Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam; bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo. Ecce ad litteram quanta est miseria immoderate vino uti. MORALITER. Noe est praelatus, qui per praedicationem terram, idest mentem subditorum, colit; vineam plantat, dum subditos in bonis operibus aedificat; bibit vinum, dum in eis delectatur, iuxta illud Apostoli: Quis plantavit vineam et de fructu eius non comedit? Sed quandoque inebriatur dum ex hoc inaniter gloriatur, vel alio modo in peccatum labitur. Post haec sequitur nudatio, idest occulti peccati manifestatio. Haec est ventris Saulis purgatio, de qua dicitur in primo libro Regum, quod ‘Saul intravit speluncam, ut purgaret ventrem’. Ibi GREGORIUS: “Ventrem, inquit, purgare est intus in corde conceptam malitiam ad operam miseri odoris extendere”. ‘Cham, idest malus subditus, peccatum praelati sui divulgat, sed Sem et Iaphet, idest boni subditi, versa facie pallio operiunt’. Unde GREGORIUS: “Aversari dicimus quod reprobamus. Operimentum ergo aversi deferunt, quia, diiudicantes factum et venerantes magistrum, nolunt videre quod tegunt”. Nolite ergo inebriari vino, in quo est luxuria. Dicit Ieremias: Posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices, et dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab, filius Rechab, pater noster, praecepit nobis, dicens: Non bibetis vinum, vos et filii vestri, usque in sempiternum, et domum non aedificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.

Et paulo post: Domui Rechabitarum dixit Ieremias: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Pro eo quod obedistis praecepto Ionadab patris vestri, non deficiet vir de stirpe Ionadab, stans in conspectu meo cunctis diebus. Nolite ergo inebriari vino, in quo est luxuria. Quicumque vino inebriatur non est dignus ad nuptiarum convivium venire; sed potius est dignus, tamquam homicida, cum sua civitate igne succendi. Unde super hoc habes concordantiam in libro Machabaeorum, in fine primi libri, ubi dicitur quod Ptolemaeus, filius Abobi, fecit Simoni magnum convivium. Et cum inebriatus esset Simon et filii eius, surrexit Ptolemaeus cum suis; et sumpserunt arma sua, et intraverunt convivium, et occiderunt eum, et duos filios eius et quosdam pueros eius. Et fecit deceptionem magnam in Israel. Ecce quanta mala ex vino proveniunt, quo diabolus interficit non tantum carnales, sed aliquando poenitentes, qui in Simone designantur, et filios, idest opera, et pueros, idest puritatem eorum. Nolite ergo inebriari vino, in quo est luxuria. Unde Osee: Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. Unde dicitur in Genesi, quod 'erant duae filiae Lot. Dixitque maior ad minorem: Veni, inebriemus patrem nostrum vino, dormiamusque cum eo, ut reservare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaque bibere vinum ei, dormieruntque cum eo'. Ecce quomodo aufert cor. MORALITER. Lot significat virum iustum, duae filiae sunt prava suggestio et prava delectatio', quae quandoque inebriant animum viri iusti, ita ut eum faciant vere vocari Lot, "idest declinantem". Super hoc habes concordantiam in Isaia: De radice, inquit, colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem. Radix colubri est sensualitas in homine, de qua egreditur regulus, idest suggestio, et semen, idest delectatio, absorbens volucrem, idest rationem, quae poterat in altum volare. Nolite ergo inebriari vino, in quo est luxuria. De hoc dicit Salomon in Proverbiis: Cui vae? Cuius patri vae? Cui rixae? Cui foveae? Cui sine causa vulnera? Cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Non intuearis vinum cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Quod de luxuria maxime intelligitur. Nolite ergo inebriari vino, in quo est luxuria. Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut nos et civitatem nostram a perditione et incendio gehennae custodias, ad tabernaculorum festivitatem ascendere facias, a vini ebrietate et ipsius luxuria nos liberes, quatenus super mensam tuam in regno caelorum bibere et edere mereamur. Te praestante, qui es benedictus in saecula. Amen.

III – De triplici veste nuptiali

8 – Sequitur tertium. Intravit autem rex ut videret discumbentes; et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Nota quod, sicut tres sunt nuptiae, sic sunt tres vestes nuptiales, scilicet byssina, polymita, et coccinea. In primis nuptiis necessaria est byssina, in secundis polymita, in tertiis coccinea. Qui ergo ad nuptias dominicae Incarnationis vult intrare, vestem byssinam, idest castitatis munditiam, necesse est ipsum habere. Unde dicitur in Apocalypsi: Venerunt nuptiae Agni. Et uxor eius praeparavit se, et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. "Agnus dictus, quod prae ceteris animalibus matrem agnoscat", et ideo significat Iesum Christum, qui, cum in cruce penderet, Matrem suam inter millia Iudaeorum agnovit, et 'Virginem virgini commendavit'. Agni ergo nuptiae, idest Iesu Christi Incarnatio venit, et ideo uxor eius, "idest sancta Ecclesia", vel quaelibet fidelis anima, debet se praeparare fide et cooperire

byssino, idest castitate, splendenti quoad conscientiam, candido quoad corpus. Quomodo Dei Filii et beatae Virginis nuptiis interesse poterit, qui bysso castitatis indutus non fuerit? Quomodo ecclesiam intrare, fidelium coetui se coniungere, confectioni dominici corporis praesumit interesse, qui se novit byssino candenti et splendido, idest castitate interiori et exteriori, carere? Cui rex ironice dicit: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Beatae Virginis Filius valde delectatur in munditia castitatis. Unde de eo dicit sponsa in Canticis: Descendit dilectus meus in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 'Hortus dilecti est anima iusti', in qua sunt duo: areola aromatum, idest humilitas, procreatrix ceterarum virtutum, et lilia, idest duplex continentia; et ideo in tali horto descendit et pascitur dilectus. Nota quod quadruplex est hortus, 'scilicet nucum, pomorum, vinearum et aromatum'. Septem sunt Sancti Spiritus dona, 'spiritus timoris, scientiae et pietatis, consilii et fortitudinis, intellectus et sapientiae'. Anima iusti per spiritum timoris fit hortus nucum, quae in se habent tria, 'scilicet amaritudinem in corio, duritiam in testa, suavitatem in nucleo'. Hortus nucum est poenitentia, quae habet amaritudinem in carne, duritiam tribulationis in mentis longanimitate, suavitatem spiritualis laetitiae. Item, per spiritum scientiae et pietatis anima fit hortus pomorum, quae habent dulcedinem misericordiae; item, per spiritum consilii et fortitudinis fit hortus vinearum, habens fervorem caritatis; per spiritum sapientiae et intellectus fit hortus aromatum, 'emittens odorem in portis'.

9 – Item, quicumque ad nuptias poenitentiae vult intrare, tunicam polymitam, idest cordis humilitatem, necesse est ipsum habere. De qua dicitur in Genesi: Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum; fecitque ei tunicam polymitam. Israel, "idest Deus Pater", dilexit Ioseph, "idest Iesum Christum", proprium Filium, super omnes filios adoptivos, quem in senectute, "idest mundo senescente, genuit de Maria Virgine"; fecitque ei tunicam polymitam, idest vestivit eum humilitate. Unde ipse: Discite, inquit, a me, quia mitis sum etc. Super hoc habes quiddam simile in secundo libro Regum circa finem, ubi dicitur: Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthaeos; in quo percussit Adeodatus, filius saltus, polymitarius, Bethlehemites, Goliath Gethaeum. Nota quod tria sunt bella: diaboli, mundi et carnis. Hoc est Gob, "quod interpretatur lacus", caro enim nostra est 'lacus miseriae et lutum faecis'. In hoc lacu est bellum contra Philisthaeos, idest quinque corporis sensus, qui, temporalium potione inebriati, corruunt in peccatis. In hoc bello et in hoc lacu poenitens, qui est Adeodatus, quia Dei gratia illuminatus, filius saltus, idest solitudinis, idest poenitentiae et moeroris, polymitarius, quia humilis et benignus, Bethlehemites, quia contemplativus, caelestis panis dulcedine satiatus. Iste talis ac tantus, dum se affligit, Goliath Gethaeum, "idest diabolum", percutit. Unde dicit Isaias: Suscitabit super eum, idest Assur, idest diabolum, Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb. Dicitur in libro Iudicum, quod 'Gedeon devicit castra Madian cum lampadibus, bucinis et confractis lagenis'. Gedeon est poenitens, qui in lampade contritionis, bucina confessionis, confractione lagenae, idest mortificatione carnis propriae, devincit diabolum, et hoc in petra Oreb, "quod interpretatur siccitas sive corvus", idest firmo et immobili proposito ipsius poenitentiae, quae humorem luxuriae exsiccat, et luctum et despectum, quae in corvo designantur, superinducit. Tali ergo veste polymita debet se induere, qui ad nuptias poenitentiae vult intrare, qua si caruerit audire poterit: Amice habitu, inimice cordis fastu,

quomodo huc, idest in religionem, intrasti non habens vestem humilitatis nuptialem? Quid detestabilius, quid abominabilius Deo et hominibus quam superbia in religioso? Si enim superbis angelis caelum non profuit, quomodo superbo religioso monasterium prodesse poterit? Saeculares quidam se humiliant, et peccatores confitentur. Religiosus vero 'de penna herodii et accipitris gloriatur', et ideo in superbiam elevatur. Unde de eo dicit Abdias propheta: Superbia cordis tui extulit te etc. Quaere in evangelio: Exiit qui seminat seminare.

10 – Item, quicumque ad nuptias gloriae caelestis vult intrare, necesse est ipsum vestem coccineam, idest Dei et proximi caritatem, habere. 'Coccini et purpurae una est materia, coloris tamen diversitas magna est: purpura magis nigra ex primo colore conchiliorum, coccus vel coccinum magis rubeum ex secundo'. De hoc praecepit Dominus Moysi, 'ut in ornamento sacerdotali et cortinis tabernaculi poneret coccum bis tinctum', 'in quo Dei et proximi caritas designatur'. Item, de hoc coccino dicit David, in principio secundi libri Regum: Filiae Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis; qui praebebat ornamenta aurea cultui vestro. O filiae Israel, idest fideles animae, flete super mortem Saul, 'idest Iesu Christi', quem Pater inunxit in regem, 'ut liberaret filios Israel de manu Philisthinorum, idest daemonum'. Hic vestit vos coccino caritatis geminae in deliciis purae conscientiae, et ornamenta aurea ceterarum virtutum praebet ad decorem vestrae conversationis. Quicumque sine tali veste in ultimo iudicio repertus fuerit, suae damnationis sententiam suscipiet a rege, de quo praemittitur: Intravit autem rex, quia "ad iudicium veniens illuminabit conscientias omnium", ut videret, "idest ut videri faciat iudicandorum merita et discernat" discumbentes, idest "in fide quiescentes"; et vidit ibi hominem, in quo signantur "omnes qui in malo sunt unum", non vestitum veste nuptiali, "idest fidem habentem et non opera caritatis"; et ait illi: Amice, "per fidem", quomodo huc etc.? At ille obmutuit, "quia ibi non est locus negandi". Tunc dixit rex ministris: Ligatis eius pedibus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. De hoc rege dicit Ieremias: Non est similis tui, Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Cui cantatur in introitu hodiernae missae: 'In voluntate tua, Domine, universa sunt posita etc.' Hic Rex regum et Dominus universorum dicit ministris: Ligatis pedibus etc. "Ligantur poena qui hic a malo noluerunt ligari, idest cohiberi; ibi singula membra poenis subicientur, quae hic singulis vitiis servierunt"; per quae enim quis peccat, per haec et torquetur. Mittite, inquit, eum in tenebras exteriores "inferni", quae extra nos sunt, "quia hic interiores cordis habuit tenebras". De hoc dicitur in libro Sapientiae: Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen praebere, nec siderum limpidae flammae illuminare poterant illam noctem horrendam. "Tenebrae dictae, quod teneant umbras". 'Umbra est oblivio mortis', quae dicitur exterior, quia extra terram viventium, quem semel receperit, aeternaliter facit. Ibi erit fletus "oculorum in vanitate vagantium", et stridor dentium, "qui de edacitate gavisi sunt", et bona pauperum devoraverunt. In his duobus duae poenae maiores inferni, scilicet ignis et frigus. Ex igne procedit fumus, qui fletum provocat; ex frigore provenit stridor dentium, de quibus Iob: 'Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium'. Nota quod, sicut in hoc mundo duo peccata magis abundant, luxuria scilicet et avaritia, sic in inferno duae poenae magis cruciant, scilicet ignis et frigus. Luxuria est ignis, unde Iob: Ignis est usque ad consumptionem devorans, et omnia eradicans genimina, 'scilicet virtutum'. Dicitur in NATURALIBUS, quod 'salamandra vivit in igne'; sic luxuriosus in

luxuria. Ignis enim luxuriae parit ignem gehennae. Avaritia etiam dicitur frigus, quia restringit manus, ad misericordiam ne extendantur. Dicitur in NATURALIBUS, quod 'passer patitur morbum caducum et ad terram cadit, sed non ex morbo; sed comedit herbam, quae dicitur iusquiamus, quam cum comedit, resolutis fumositatibus frigidis, congelatur cerebrum, ita quod passer cadit ad terram'. "Passer, a parvitate vocatus", avarum significat, qui in eo parvus et minimus est, quia obolo indiget, et universis divitiis, quas habet, minor est, quia divitiae ipsi, non ipse divitiis, dominatur. Istius cerebrum, idest mens, constringitur gelicidio cupiditatis, et ideo cadit in terram inferni, ubi est fletus et stridor dentium. Sequitur: Multi autem sunt vocati, "fide ad nuptias", pauci vero electi, "caritate ad regnum".

11 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Sed impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Nota ista tria: psalmis, hymnis et canticis, quae tribus supradictis nuptiis concordant. In nuptiis dominicae Incarnationis necessarius est psalmus rectae operationis, ut quod credis opereris, et sic eris bonus psalmista in psalterio decem chordarum, 'idest observantia decem praeceptorum', psallens Domino. In nuptiis poenitentiae necessarius est hymnus confessionis et humilitatis, de quo in Psalmo: Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israel, idest religiosis et poenitentibus, populo appropinquanti sibi. In nuptiis gloriae erit canticum laetitiae. Impii enim flebunt et stridebunt dentibus suis in inferno, sancti vero cantabunt canticum laetitiae in caelo. Unde in Apocalypsi: Cantabant canticum Moysi, servi Dei. Sicut enim Moyses, submerso Pharaone et Aegyptiis in mari Rubro, sic sancti, submersis impiis in inferno, cantabunt canticum laetitiae in caelo. Unde super hoc habes concordantiam in secundo libro Machabaeorum, ubi dicitur quod, hostibus interfectis et eorum civitatibus succensis, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum qui magna fecit in Israel et victoriam dedit illis. Eia ergo, fratres carissimi, supplici ac lacrimabili mente et voce rogemus Dominum Iesum Christum, ut, cum venerit ad iudicium, non cum homine carente veste nuptiali in tenebras exteriores mitti praecipiat, sed cum suis sanctis in nuptiis gloriae caelestis canticum laetitiae cantare faciat. Ipso praestante, qui est laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis anima, Christi sponsa: Amen. Alleluia.

PROLOGUS Divinae maiestati gratiarum preconia, laudum munia referimus, cuius gratia usque ad primam dominicam noni mensis pervenimus. Unde notandum quod a kalendis istius mensis novembris usque ad kalendas decembris leguntur in Ecclesia Ezechiel, Daniel et duodecim prophetae, quos sic volumus dividere. Prima dominica ponitur Ezechiel, secunda Daniel, tertia et quarta libri duodecim prophetarum. In isto mense sunt quattuor dominicae, in quibus quattuor leguntur evangelia; cum quorum clausulis, prout Dominus dederit, quasdam auctoritates ex supradictis libris volumus concordare.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in vigesimaprima dominica post Pentecosten: Erat quidam regulus, quod

dividitur in duabus clausulis. In primis thema sermonis de carnalium desideriorum mortificatione et peccatorum confessione, quae sapphiro, propter ipsius quattuor proprietates, comparatur, ibi: Super firmamentum. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item thema de novem ordinibus angelorum et eorum significationibus, ibi: Erat quidam regulus. Item ad religiosos, ibi: Vidi angelum descendentem. Item de triplici caritate, ibi: Extendit Cherub manum. Item de quattuor abominationibus, primo contra praelatos et sacerdotes, ibi: Fili hominis, leva oculos tuos. Item contra praelatos et religiosos, qui patrimonium Crucifixi dant parentibus, ibi: Fili hominis, fode parietem. Item contra mundi prosperitatem, ibi: Adhuc conversus. Item contra illos, qui propter temporalia Domini obliviscuntur, ibi: Et ecce in ostio templi. Item sermo in Nativitate Domini, ibi: Qui sedebat in porta super thronum dixit ad. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de fide et contemplatione, ibi: Haec erat visio discurrens. Item de descensu humilitatis, ibi: Iam eo descendente. Item de obedientia, ibi: De medio quasi species electri; et ibi: Pennae columbae deargentatae. Item de vita animae et odore pomorum, quo tantum vivunt homines ibi: Nuntiaverunt ei quod filius eius viveret. Item de febri luxuriae, ibi: Hora septima.

Exordium. De carnalium desideriorum mortificatione et peccatorum confessione

1 – In illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Dixit Ezechiel: Super firmamentum, quod erat imminens capiti animalium, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni; et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. Nota quod in hac auctoritate quattuor ponuntur: primo animalia, secundo firmamentum, tertio thronus sapphirinus, quarto hominis aspectus. Animalia sunt carnalia desideria, quae, tamquam bruta animalia, polluunt terram mentis nostrae, et ideo dicit Dominus in Ezechiele: Proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae. Vidi te conculcari in sanguine tuo, idest immunditia carnalis desiderii. Caput animalium est principium carnalium desideriorum, de quo dicitur in Genesi: Ipsa conteret caput tuum. Quod tunc fit, cum firmamentum imminet capiti animalium. Firmamentum est cordis contritio, unde dicitur in Genesi: Fiat firmamentum in medio aquarum, dividens aquas ab aquis. Mens poenitentis, pro peccatis contriti, habet ‘aquas superiores, idest fluenta gratiae, et inferiores, idest fluenta concupiscentiae’, quae sub ipso debent esse, quia semper tendunt ad occasum. Vel, ‘aquae superiores significant rationem, quae est vis animae superior, quae semper hominem ad bonum provocat; aquae inferiores, sensualitatem’. Simile quid habes in Ezechiele: Vidi, inquit, quasi speciem electri, a lumbis eius et desuper; et a lumbis eius usque deorsum, quasi speciem ignis. Ibi dicit GLOSSA: “Quae supra lumbos sunt, ubi sensus et ratio versatur, non indigent cremari igne vel flammis, sed indigent pretiosissimo metallo et purissimo; quae a lumbis deorsum, ubi coitus et generatio, ubi incentiva sunt vitiorum, indigent purgatione flammarum”. Capiti ergo animalium superemineat firmamentum, idest, cordis contritio conterat principium carnalium desideriorum, et tunc super firmamentum erit, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni. In throno designatur peccatorum confessio, et bene. ‘Sicut enim in throno sedens se humiliat, sic poenitens in confessione debet se humiliare’, se iudicans, se condemnans, et omne malum quod fecit dissipans. Unde in Proverbiis: Rex qui sedet in solio dissipat omne malum intuitu suo. Et nota quod, confessio debet esse quasi aspectus lapidis sapphiri, qui quattuor habet proprietates:

sereno caelo est similis, stellam in se ostendit, sanguinem restringit, anthracem perimit. Sic peccatorum confessio debet esse caelo similis per spem veniae, ut dicat cum latrone: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Stellam etiam in se debet ostendere. "Stella, a stando dicta", firmum propositum non relabendi significat. Sicut enim "stellae immobiles sunt, et cum caelo fixae perpetuo motu feruntur", sic poenitens immobilis et fixus debet esse in poenitentia, et ubicumque vadit et quocumque movetur firmum debet habere propositum non relabendi in peccatum. Hanc stellam si confessio non ostenderit, poenitentia omnino non debet iniungi. Vade, inquit Dominus, et amplius noli peccare. Non dixit: Non pecces, sed: Noli. Item, debet sanguinem restringere. "Sanguis dictus, quod suavis sit", et significat peccati delectationem, quam confessio debet restringere, ne fluat a corde et a sensibus corporis. Si haec tria confessio habuerit, quartum faciet, quia anthracem, idest diaboli suggestionem, perimet. In tali throno sapphirino requiescit Deus et homo similis electro, Iesus Christus, animam confitentis ab omni peccati infirmitate liberans, sicut liberavit ab infirmitate corporali filium reguli, de quo dicitur in lectione hodierni evangelii: Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.

2 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur: filii reguli infirmitas et ipsius reguli credulitas. Primum ibi: Erat quidam regulus. Secundum ibi: Credidit homo sermoni etc. In introitu hodiernae missae cantatur: Si iniquitatem observaveris, Domine. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios: Confortamini in Domino, quam in duabus particulis volumus dividere et cum supradictis evangelii clausulis concordare. Prima particula: Confortamini. Secunda: State succincti lumbos vestros etc. Et attende, quod in hodierno evangelio dicit Ioannes de infirmitate et sanitate filii reguli, et Apostolus in epistola dicit de tentatione diaboli, quae animam infirmat, et armatura Dei, quae ipsum diabolum fortiter impugnat. Et ideo haec epistola legitur cum isto evangelio.

I – De filii reguli infirmitate

3 – Dicamus ergo: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Quid ista quattuor, regulus, ipsius filius et eius infirmitas et Capharnaum significent, videamus et de quolibet pertractemus. A rege regum totius creaturae, Domino Iesu Christo, qui angelis in caelo et hominibus praeest in hoc mundo, quilibet fidelis nominatur regulus, pro eo quod, quasi quandam repraesentationem caelestium ordinum in se habeat, et ex quattuor elementis, ex quibus est omnis creatura, consistat. Novem sunt ordines, quos tamen in tribus ordinibus ternario numero volumus ordinare. In primo ordine sunt Angeli, Archangeli, et Virtutes. In Angelis praeceptorum obedientia, in Archangelis consiliorum custodia, in Virtutibus sanctae vitae designantur miracula. Es ergo de ordine angelico, cum obedis praecepto dominico. Unde Malachias propheta: Labia sacerdotis custodiunt scientiam etc. De hoc quaere in evangelio: Caecus sedebat secus viam. Item, ad Archangelorum pertines ordinem, cum non tantum praecepta, sed etiam Iesu Christi consilia satagis adimplere. Unde Isaias tibi consulit: Ini consilium, coge concilium. Item, ad Virtutum pertines chorum, cum sanctae vitae miraculis resplendes. Unde dicit in Ioanne: Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet; et maiora horum faciet. Ibi dicit GLOSSA: "Quod Dominus facit in nobis non sine nobis, maius est omnibus quae sine nobis facit, ut quod ex impio fit iustus maius est omnibus caelo et terra et ceteris,

quia illa transibunt hoc manebit, et in illis tantum est opus Dei, in istis etiam imago Dei. Sed et si angelos fecit, maius videtur impios iustificare quam iustos creare, quia et si utrumque est aequalis potentiae, hoc est maioris misericordiae".

4 – In secundo ordine sunt Principatus, Potestates, Dominationes. Nota quod, tria sunt in nobis, quibus, etsi non tamquam reges, saltem sicut reguli dominari debemus, scilicet cogitationes, oculi et lingua. Principatus coercent malignos spiritus, et nos debemus coercere malignas, idest male ignitas, cogitationes. Unde Ioannes in Apocalypsi: Vidi, inquit, angelum descendentem de caelo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua; et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille. MORALITER. Angelus est vir iustus, qui tunc de caelo descendit, cum vitae suae statum in terra vivens secundum caeli puritatem informare satagit. Hic habet clavem et catenam. Clavis est discretio, qua vir iustus claudit et aperit abyssum cogitationum. Claudit cum restringit, aperit cum discernit. Catena in manu est poenitentia in opere. Unde "catena dicta, quod capiendo teneat; vel quod se capiendo pluribus nodis teneat". Dum enim contritio confessioni, confessio satisfactioni, satisfactio dilectioni proximi concatenatur, fit magna catena, qua vir iustus ligat draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas. In dracone spiritus superbiae, in serpente cogitatio venenosae luxuriae, in diabolo, qui hebraice dicitur 'deorsum ruens', avaritia, in Satana, 'qui contrarius dicitur', malitia discordiae designatur. Haec omnia vir iustus catena ligat per annos mille, cum draconem superbiae coercet cordis contritione; serpentem luxuriae, confessione; diabolum avaritiae, satisfactione et eleemosynarum largitione; Satanam discordiae, proximi dilectione. Et hoc per mille annos, qui perfectus est numerus, idest finali perseverantia. Item, super oculos, qui sunt quasi quidam 'latrunculi, qui furantur puellam, ut dicitur in quarto libro Regum, de terra Israel', idest pudicitiam de mente viri iusti, debemus habere potestatem, dicentes cum Iob: Pepigi foedus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine. Et in Genesi dicit Dominus ad Cain: Si bene egeris, recipies; sin autem male, in foribus statim peccatum aderit; sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius. Peccatum in foribus est concupiscentia carnis in oculis, super quos si potestatem exercemus, carnis appetitus sub nobis erit, quia iugo rationis reprimetur. Item, linguae, quae est quasi meretrix garrula et vaga, ut dicitur in Proverbiis, quietis impatiens, nec valens in domo consistere, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, debemus dominari, ne, ut dicit Iacobus, 'maculet totum corpus et inflammet rotam nativitatis nostrae, et incendat magnam silvam'. Si sic in hoc triplici ordine, scilicet Principatuum, Potestatum et Dominationum fuerimus, vere reguli erimus.

5 – In tertio ordine sunt Throni, Cherubim et Seraphim. Throni sumus, cum nos in nobis humiliamus et nosmetipsos iudicamus. Unde in Psalmo: Deus, iudicium tuum regi da. Regi, idest viro iusto, Deus dat suum iudicium, ut ipse se iudicet, ne Deus inveniat in eo quod condemnet. Si nos, inquit Apostolus, iudicaremus, non utique iudicaremur. Deus, da mihi iudicium tuum, ut de tuo faciam meum, et, faciendo meum, evadam tuum. Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis. Item, "Cherubim interpretatur plenitudo scientiae, haec est caritas", quam qui habet plenus est et scit quomodo oporteat eum ambulare. Cherubim ergo sumus, quando bona cum caritate facimus. Unde dicitur in Ezechiele: Extendit cherub manum suam de medio cherubim, ad ignem qui erat inter

cherubim, et sumpsit, et dedit in manus eius qui indutus erat lineis. Nota quod, in hac auctoritate semel ponitur cherub, et bis cherubim, quia triplex est caritas: tui, Dei et proximi. Tu ergo, qui es cherub quoad te, extende manum sanctae operationis de medio cherubim, idest Dei caritate, ad ignem sanctae vitae, qui est inter cherubim, idest sanctos et caritativos viros, et de illo igne, idest vitae sanctae exemplo, da viro qui est indutus lineis, idest cuilibet christiano, fide dominicae Incarnationis induto. Quotquot in Christo, inquit Apostolus, baptizati estis, Christum induistis. Nisi tu prius fueris cherub in te, manum non poteris extendere de medio cherubim ad ignem, qui est inter cherubim; et ideo a caritate tua prius incipe, et postmodum aliis caritativus poteris esse. Item, "Seraphim interpretatur ardens". Seraphim sumus, cum igne compunctionis succensi 'pro irriguo inferiori et superiori in lacrimis effluimus'. Ignem, inquit, veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat et glacies liquefiat? Unde in Canticis: Anima mea, inquit sponsa, liquefacta est ut dilectus locutus est. Quicumque ergo istos novem ordines, prout diximus, in se repraesentat, et ex ipsis vitam sui corporis, quod constat ex quattuor elementis, ordinate disponit et informat, vere regulus dici potest, de quo dicitur: Erat quidam regulus.

6 – Sequitur: cuius filius infirmabatur Capharnaum. Filius reguli est anima cuiuslibet fidelis Iesu Christi, quae, dum in ordine supradicto vivit, incolumis existit. Sed, cum in Capharnaum moratur, ad mortem infirmatur. "Capharnaum interpretatur ager pinguedinis, vel villa consolationis". In his quattuor verbis, scilicet agro, pinguedine, villa et consolatione, quadruplex hominum status designatur, scilicet clericorum, religiosorum, pauperum et divitum. Clerici in agro Ecclesiae de Christi patrimonio superbiunt. Religiosi in quiete et otio, quasi pomum pingue, verme concupiscentiae corrumpuntur. Saeculares pauperes quasi in villa laborant, et de sua paupertate dolent. Divites in consolatione gaudent divitiarum, et ideo Domini obliviscuntur. Omnes isti infirmantur in Capharnaum. Istis quattuor concordant quattuor abominationes, quas Dominus ostendit Ezechieli, in quo habes concordantiam, ubi dicit Dominus: Fili hominis, leva oculos tuos. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis, et ecce ab aquilone portae altaris, idolum zeli in ipso introitu, ad provocandum aemulationem. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? Ecce superbia clericorum. Idolum zeli est clericorum superbia, quae 'ad aemulationem et zelum, idest indignationem et vindictam, provocat Dominum. Unde in Deuteronomio: Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus etc.' Praelatus Ecclesiae vel minister altaris superbus, quid est nisi idolum zeli in ipso introitu portae altaris? Heu, quantas abominationes isti faciunt in domo Domini! Unde ipse Dominus de eis, in eodem Propheta, dicit: Violabunt arcanum meum; et introibunt in illud emissarii, et contaminabunt illud. 'Emissarius proprie dicitur equus ad concubitum equarum deputatus'. Emissarii sunt clerici superbi et luxuriosi, qui arcanum Domini, idest corpus Iesu Christi, violant, et quantum in seipsis est conculcant, et sanctam Ecclesiam contaminant. Et ideo subdit Dominus: Procul recedam a sanctuario meo. Unde dicitur in primo libro Regum, quod 'propter peccata sacerdotum Ophni et Phinees, qui dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium tabernaculi, capta fuit arca Domini exercituum, sedentis super cherubim'.

7 – Sequitur de secunda abominatione. Et adhuc, inquit, conversus videbis abominationes

maiores. Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem; et cum perfodissem parietem apparuit ostium unum. Et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et abominatio animalium. Et universa idola domus Israel depicta in circuitu erant in pariete per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, et Iechonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas. Et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulae de thure consurgebat. Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui; dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Ab isto loco: Fode parietem, usque: depicta erant in pariete per totum, quaere in sermone: Sume tibi aromata et stacten, qui dicitur In capite ieiunii. Sequitur: Et septuaginta viri de senioribus etc. Ibi dicit GLOSSA HIERONYMI: "Orandum nobis est, ne seniores domus Israel faciant in tenebris septenarium numerum, qui sanctus est, [per] septem decades multiplicantes, stent in erroribus suis et adorent picturas idolorum, idest vitiorum suorum, vaporque sacrilegii ascendat resistens Deo". Nostri temporis religiosi dicuntur septuaginta viri, pro eo quod septiformem gratiam Spiritus Sancti in operum perfectione debent habere. Sed, infatuati, quid faciunt? Stant ante picturas, et in medio eorum Iechonias, "qui, ut ibi dicit INTERLINEARIS, religione amissa, in templo Dei colebat idola". Picturae in pariete sunt phantasmata superbiae, gulae et luxuriae in mente, vel simulatio hypocrisis in religione, vel amor carnalis parentum, et forte filiorum et filiarum, in religioso. Unde in reptilibus, quae clamant: Vae! vae! filii et nepotuli designantur; in abominatione animalium, immunditia fornicationum; in idolis depictis, parentes et amici. Ecce quales picturas quidam nostri temporis religiosi adorant. Et, quod deterius est, Iechonias, idest abbas vel prior, filius Saphan, "quod interpretatur iudicii", idest mortis aeternae, qui prohibere debet, in medio eorum stat et easdem picturas adorat. Et unusquisque, inquit, habebat thuribulum in manu. Quid est thuribulum in manu, nisi facultas monasterii, quae data fuit intuitu eleemosynae et sacrificii, quae est in potestate praepositi? Sed isti socii Iudae, loculos proditoris habentes, cum thuribulo eleemosynae et thure sacrificii pro defunctis oblati, subfumigant suas picturas, idest bona monasterii, quae sunt pauperum, dant suis parentibus et aliis personis. De quibus non est dicendum per singula. Certe "audisti" et vidisti, fili hominis, quae seniores, 'inveterati dierum malorum', faciunt in tenebris, et dicunt: Non videt nos Dominus: quia ipsi sunt in tenebris et non vident, ideo credunt non videri. Ibi dicit GLOSSA HIERONYMI: "Si Dominum praesentem et omnia videntem et iudicantem cogitaremus, aut vix aut numquam peccaremus".

8 – Sequitur de tertia abominatione. Et dixit Dominus ad me: Adhuc conversus videbis abominationes. Et introduxit me per ostium portae Domini quod respiciebat ad aquilonem. Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Ibi dicit GLOSSA HIERONYMI, 'quod Hebraei et Syri Adonidem vocant Thammuz, quod interpretatur pulcherrimum'. Per Thammuz vel Adonidem intelligitur prosperitas mundi, quae est amica Veneris et luxuriae. Mulieres plangentes sunt omnes illi qui de amissa prosperitate dolent. Heu, quanti hodie effeminati de amissa prosperitate et non voluntaria paupertate plangunt, et multoties fidem perdunt! Vere isti a villa dicuntur villani, servi diaboli, non de nobili sanguine Iesu Christi, qui non tantum habita relinquere, sed etiam de amissis et in paupertate praecipit gaudere.

9 – Sequitur de quarta abominatione. Adhuc conversus videbis abominationes maiores his. Et ecce in ostio templi quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis. Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Dorsum contra templum Domini habere est "Creatorem contemnere", mortis Iesu Christi oblivisci, vitam aeternam postponere. Faciem ad orientem habere et adorare ad ortum solis, est in claritate dignitatis exultare, gloriam quaerere, et pro ipsa adipiscenda hominem adorare. Contra quod dicit Mardochaeus, in libro Esther: Domine, qui cuncta nosti, scis quia non pro superbia et contumelia fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem; sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. Quod infelices huius mundi divites non observant. Quibus dicit Dominus in Luca: Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Omnes qui has supradictas abominationes committunt cum filio reguli in Capharnaum infirmitate animae, quae est ad mortem, infirmantur. Insistat ergo regulus precibus, ut eius filius ab infirmitate liberetur et sanitati restituatur. Quod ei ipse praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

Sequitur: Hic cum audisset quod Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum. Et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium eius: incipiebat enim mori. "Iudaea confessio", "Galilaea rota vel volubilitas" interpretatur. Iesus Christus ergo a Iudaea in Galilaeam venit cum de vita aeterna, in qua est confessio angelicae laudis, ad rotam nostrae volubilitatis descendit.

10 – Unde super hoc habes concordantiam in Ezechiele, ubi dicitur, quod ille qui sedebat super thronum dixit ad virum qui indutus erat lineis, et ait: Ingredere in medium rotarum quae sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis quae sunt inter cherubim, et effunde super civitatem. 'In lineis corpus gloriosissimum Iesu Christi designatur', quod de terra virgine accipiens, ut nuditatem nostram tegeret, se induit. Cui dixit Pater: Ingredere in medio rotarum. Rota ab eo puncto quo incipit in eundem revertitur, et ideo significat naturam humanam, cui dictum est: 'Terra es et in terram ibis'. Ingressus est ergo Dei Filius in medio rotarum, cum a Iudaea descendit in Galilaeam, humanam naturam accipiens, 'in terris visus, cum hominibus conversatus', 'et habitu ut homo inventus'. Quae sunt subtus cherubim, quia 'minoratus est paulo minus ab angelis'; et sic implevit manum suam prunis ignis, idest sententiis ignitis, quae sunt inter cherubim, idest duo Testamenta, et effudit super civitatem, idest sanctam Ecclesiam. Vel, prunas ignitas effundit super civitatem, cum sui timoris et amoris carbones, gaudium mundi et carnis desolantes, immittit super animam, ut accensa et illuminata convalescat de infirmitate. Et ideo ad eum regulus, qui scit filium, idest animam suam, infirmari Capharnaum, debet ire cordis contritione et rogare oris confessione, ut sanet filium suum, de quo subditur: Incipiebat enim mori. Et attende quam bene dixit: Incipiebat mori; in carnis enim pinguedine et mundi consolatione incipit mors animae, et consummatur, numquam consummanda, in gehennae perditione. Sequitur: Dixit ergo ei Iesus: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. "Prodigia dicta, quod porro dicant, idest futura de longe praedicant". Simile quid dicit Dominus Ezechieli: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me. Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Nolunt audire te, quia nolunt audire me. Dicit ad eum

regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. Ibi dicit GLOSSA: "Quasi aliter non posset salvare, nisi esset praesens. Unde Dominus indicans se non deesse ubi invitatur, solo iussu sanat". Unde inquit: Vade, filius tuus vivit. Unde in Ezechiele: 'Cum esses in sanguine tuo dixi tibi: Vive!' 'Nolo, inquit, mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat'. 'Numquid voluntatis meae est mors impii? dicit Dominus Deus, et ut non convertatur et vivat? Considerans enim et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet et non morietur'. Et ideo cantatur in introitu hodiernae missae: "Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, Deus Israel".

11 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Confortamini in Domino, ne in infirmitate, quae ex Capharnao provenit, deficiatis, et in potentia virtutis eius, qui dixit: Vade, filius tuus vivit, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Nota quod, quicumque vult esse miles Dei et eius armaturam indui et fortis stare adversus insidias diaboli, oportet ut habeat equum bonae voluntatis, sellam humilitatis, strepas constantiae, calcaria gemini timoris, frenum temperantiae, 'clipeum fidei, loricam iustitiae, galeam salutis', lanceam caritatis. Qui his armis se induerit, infirmitas Capharnai ipsum non occupabit. Et necessaria sunt, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, "idest vitia carnis et sanguinis tantum", sed adversus principes, "idest daemones, qui principantur aliis", et potestates, "idest eos qui super hos possunt, qui in tenebris peccatorum sunt", adversus mundi, idest mundanorum, rectores, idest ad interitum ducentes, tenebrarum harum, idest horum tenebrosorum, quos praecipitant in opera tenebrosa, idest abominationes supradictas, quas ponit Ezechiel propheta, contra spiritualia nequitiae, idest "spiritus nequam", in caelestibus, "idest pro caelestibus. Non enim pro parva re, sed pro caelesti hereditate tollenda pugnant". Et ideo rogamus te, Domine Iesu Christe, ut ab infirmitate Capharnaum et quadruplici supradicta abominatione nos liberes, quatenus contra insidias diaboli fortiter stare et in caelesti vita tecum mereamur vivere. Te praestante, qui vivis et regnas per aeterna saecula. Amen.

II – De reguli credulitate

12 – Sequitur secundum. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, et ibat. Ibi dicit GLOSSA: "Ad filium reguli non vadit etiam rogatus, ne divitias honorare videatur. Ad servum centurionis ire promittit qui naturam hominis non despicit. In quo superbiam destruit, quae in hominibus non pensat naturam sed quae extra patent", vere divitias non honorat. Unde dicit in Ezechiele: Argentum eorum foris proicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum et aurum eorum non valebit eos liberare in die furoris Domini. Istud etiam moraliter potest intelligi, quia 'argentum eloquentiae et aurum sapientiae' non liberabit Tullium et Aristotelem in die furoris Domini, qui dicit in Iob: Non parcam ei [et] verbis potentibus et ad deprecandum compositis. Nota quod, prius dicit credidit, et postea ibat, quia prius est credere corde, et postea ire opere. Unde Ezechiel: Haec erat, inquit, visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. In splendore ignis fides, quae illuminat, designatur. Unde: Fides tua te salvum fecit, hoc est: te illuminavit. 'Quid, inquit, vis tibi fieri? Rabboni, ut lumen videam'. De hoc igne egreditur fulgur boni operis, et sic animalia, 'idest sancti, eunt in

contemplationem et revertuntur ad actionem, quia ibi diu esse non valent propter aliorum fructificationem; in similitudinem fulguris coruscantis, quia per eos, ad contemplationem ascendentes et bonis operibus insistentes, caeleste lumen aliis aspergitur'. GREGORIUS: "Tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et quae benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa". Credidit ergo homo et ibat.

13 – Sequitur: Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei et nuntiaverunt dicentes, quia filius eius viveret. Nota ista tria: ipso descendente, servi occurrerunt, filius viveret. Si descendis, occurrunt tibi servi, et nuntiatur vita filii. Bonum est ergo descendere. Ubi? et quo? A monte scilicet in convallem; a superbia in humilitatem. 'In convalle enim Dominus apparuit Abrahae'. Valles, inquit, abundabunt frumento. Vide, inquit Ieremias, vias tuas in convalle. Omnis, inquit Isaias, vallis implebitur. Erunt, inquit Ezechiel, quasi columbae convallium. Iam ergo eo descendente, servi cccurrunt. Servi sunt quinque sensus corporis, qui rationi debent servire. Si descendis, servi tibi occurrunt, idest tibi obediunt. Si enim cor est humile, sensus corporis sunt obedientes. Ex humilitate oritur obedientia. Unde Ezechiel: De medio eius, 'idest de medio ignis', quasi species electri. Ignis est humilitas, quia sicut ignis alta humiliat, dura incinerat, sic humilitas superba inclinat et dura corda ad illud verbum 'Cinis es et in cinerem reverteris' revocat. O humilitas, si caput divinitatis inclinasti in gremio pauperculae Virginis, quid tam altum quod humiliare non valebis? De hoc igne procedit electrum obedientiae. "Electrum, ut dicit GREGORIUS, ex auro est et argento. Dum autem miscentur, argentum crescit in claritatem, aurum a fulgore suo pallescit". Argentum sonorum est praelati verbum; aurum est pura conscientia boni subditi, cui dum verbum praelati coniungitur, et per subditi obedientiam verbum clarescit et subditus pallescit per propriae voluntatis mortificationem. Unde in Psalmo: Pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri. Columba est bonus subditus, cuius pennae sunt verba praelati, quae ipsum faciunt volare. Ad verbum enim praelati subditus statim debet corde et corpore quasi columba volare. Et attendant praelati, quia verba eorum debent esse deargentata argento humanitatis Iesu Christi, quod immixtum fuit auro divinitatis. Unde "in specie electri Christus mediator Dei et hominis signatur. Dum enim humanitas in maiestatis gloriam excrevit, divinitas a proprii fulgoris potentia se humanis oculis temperavit". Deargentent ergo verba sua praelati humilitate humanitatis Iesu Christi, ut benigne et affabiliter, provide et misericorditer subditis praecipiant, quia 'non in spiritu, non in commotione, non in igne Dominus; sed in sibilo aurae tenuis, ibi Dominus'. Et sic posteriora dorsi eius, idest voluntas et affectus subditi, erunt in pallore auri, idest mortificatione et puritate. In posterioribus dorsi solemus onera deferre, onera enim obedientiae debemus deferre in dorso patientiae. Supra dorsum meum, inquit Propheta, fabricaverunt peccatores. Iniquus praelatus fabricat supra dorsum, idest patientiam, boni subditi. Sed ista fabrica illi in ruinam, isti fiet in gloriam. Dicamus ergo: Ipso descendente, servi occurrerunt ei. Ex humilitate enim cordis procedit electrum, in quo est argentum et aurum. In argento sonoritas confessionis, in auro munditia corporis sensuum designatur. Ecce quanta bona proveniunt ex descensu humilitatis.

14 – Tunc enim vita filii annuntiatur. Nuntiaverunt, inquit, ei, dicentes, quod filius eius viveret. "Vita dicta, propter vigorem, vel quod vim teneat". 'Vita corporis anima, vita

animae Deus', qui vigorem et vim, idest posse et nosse, dat animae, ut vivat, et utinam apponamus nos velle. Dicitur in NATURALIBUS SOLINI, quod in Indiae partibus sunt quidam populi qui "nulla esca indigent, sed tantum vivunt odore pomorum silvestrium, longiusque pergentes eadem poma in praesidio deferunt, ut eorum olfactu alantur. Quod si tetriorem vel foetidum spiritum forte traxerint exanimari eos certum est". Odor pomorum, vita animae. Poma sunt Incarnatio et Passio Iesu Christi, de quibus sponsa in Canticis: Poma, inquit, nova et vetera servavi tibi. Poma nova, ex Virgine nativitas, Filii Dei paupertas, novae stellae missio, miraculorum operatio. Poma vetera fuerunt sputa, alapae, fel et acetum, clavi et lancea, quae nos antiqua vetustate spoliaverunt, quia vetus homo noster, ut dicit Apostolus, simul crucifixus est cum eo. Qui ergo vult vivere, odore istorum pomorum vivat, et in suae peregrinationis exilio, ne in via deficiat, ista poma secum deferat, ut eorum olfactu alatur. Unde in Threnis: Spiritus, inquit, oris nostri, christus dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. Propheta dicit in Psalmo: Os meum aperui et attraxi spiritum. Cum aperis os in confessione et tui accusatione, attrahis spiritum Iesu Christi, qui est vita animae, in gratiae perceptionem. Cave ergo tibi, ne spiritum mundi teterrimum, ne spiritum Capharnaum foetidum attrahas, quia statim non tantum infirmitatem, sed etiam mortem incurres. "Capharnaum interpretatur ager pinguedinis". Pinguedo solet esse causa vel mater corruptionis, corruptio foetoris, foetor mortis. Aperi ergo os tuum et attrahe spiritum Iesu Christi, qui captus est, ligatus et crucifixus propter peccata nostra. Sub cuius arboris, idest crucis, umbra, de qua in Canticis: Sub arbore malo suscitavi te; et: Sub umbra illius quem desideravi sedi, debes requiescere ab aestu vitiorum, fallendo sub arbore solem mundanae prosperitatis. Et sic in gentibus, idest inter gentes, idest tentationes carnis et diaboli vives, odore Incarnationis et Passionis ipsius refectus.

15 – Sequitur: Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Ibi dicit GLOSSA: "Non diffidit de misericordia Domini; desiderat vero, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat". Hora, inquiunt, septima etc., "in figura Sancti Spiritus septiformis, in quo omnis salus". "Febris a fervore est dicta", et 'significat carnis luxuriam", cuius calore cor concutitur et caro corrumpitur. Unde dicitur in libro Iudith, quod cum ipsa intrasset ante faciem Holofernis, statim est captus in oculis suis; et cor eius concussum est, erat enim ardens in concupiscentia eius. Primo oculis capitur. Et ideo orabat Propheta: Averte oculos meos etc. Et in Canticis: Averte oculos tuos, quia ipsi avolare me fecerunt. Dicitur in Genesi: Iniecit domina sua oculos suos in Ioseph. 'Prima iacula luxuriae, oculi'. Secundo cor concutitur et sic febre luxuriae inflammatur. Sed ne in consensu mentis vel operis moriatur, hora septima, 'idest septiformi Sancti Spiritus gratia', illuminatur. Et tunc debet credere ipse et domus eius tota, idest cum corpore simul et anima, quia Iesus Christus est Dei Filius, qui animam a tam infelici febre et corpus a tam miserabili pollutione luxuriae liberare est dignatus.

16 – Unde huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: State succincti lumbos vestros in veritate. "Lumbi a libidine sunt dicti". "Libido dicta, quod libeat". Ecce maledicta febris, quae regnat in lumbis, et ideo dicit Apostolus: State succincti lumbos vestros in veritate, et induite loricam iustitiae. "Unicuique secundum ius suum faciendo, ut iustitia quasi lorica sitis protecti, ne pateat locus hosti". Et calceati pedes in

praeparatione evangelii pacis, “ne tangat terram qui praedicat”, idest, ne amore terrenorum praedicet. In omnibus sumentes scutum fidei: “fides est scutum sub quo tuta est iustitia”; in quo possitis omnia tela nequissimi, “idest omnes insultus diaboli”, ignea, “idest quae de vitio in vitium incendunt”, extinguere; et galeam salutis assumite. “Galea est salus aeterna, cuius memoria mentem obvolvit, ne deficiat”, et gladium, “ad feriendum hostem”, spiritus, “idest quem dat Spiritus Sanctus”, quod est verbum, idest evangelium, Dei. Quicumque in his sex, quasi in sex horis, se exercuerit et praeparaverit, a septiformi gratia, quasi in septima hora, a febre luxuriae liberabitur. Eia ergo, fratres carissimi, rogemus Dominum Iesum Christum, ut a monte superbiae descendere nos faciat, febrem luxuriae in nobis extinguat, qua succincti lumbos ad sanitatem redire et ad aeternam vitam valeamus pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis anima a febre liberata: Amen. Alleluia.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in vigesimasecunda dominica post Pentecosten: Simile est regnum caelorum, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de poenitente vel quolibet religioso, contritione et confessione, ibi: Iubente rege. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item thema de die iudicii, ibi: Aspiciebam donec positi sunt throni. Item thema sermonis allegorici et moralis de statua Nabuchodonosor, ibi: Tu, rex. Item contra praelatos Ecclesiae, ibi: Statua. Item de humilitate poenitentis et mensura satisfactionis, ibi: Procidens autem servus ille. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de ultimo iudicio, ibi: Missus est articulus manus. Item thema de fornace Babylonis et ipsius significatione. Item de natura illorum quattuor quae tantum de quattuor elementis vivunt, ibi: Testis est mihi Deus. Item ad religiosos vel poenitentes de fletu poenitentiae, ibi: Ego Daniel lugebam. Item de humilitate, ibi: Sub pedibus Domini, et ibi: Super caput Cherubim; et in eodem de unguibus avium. [DE TERTIA CLAUSULA]. De quaestione utrum peccata dimissa redeant an non, ibi: Tunc vocavit.

Exordium. De poenitente vel quolibet religioso, de contritione et confessione

1 – In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Dicitur in Daniele quod, iubente rege, indutus est purpura Daniel et circumdata est torques aurea in collo eius, et praedicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno eius. Quid ista quattuor: Daniel, purpura, torques aurea et tertius in regno significent, videamus. “Daniel interpretatur causa Dei, vel iudicium Dei”. Nota quod causa est animi impulsio ad aliquid agendum. “Causa dicta, a casu, quo venit; est enim origo et materia negotii, quae dum proponitur causa est, dum discutitur iudicium, dum finitur iustitia”. Causa etiam dicitur a chaos, quod fuit principium rerum omnium. Causa dicitur origo uniuscuiusque rei. Daniel poenitentem significat, qui timore et amore Dei causam, iudicium et iustitiam de seipso facit. Haec sunt illa tria: purpura, torques aurea et tertius in regno. Causam agit in contritione, quae est origo uniuscuiusque rei iustae et quae est animi impulsus ad bonum

agendum; iudicium in confessione, in qua se discutit et examinat; iustitiam in satisfactione, in qua unicuique quod suum est tribuit: Deo orationem, sibi ieiunium, proximo eleemosynam. In his enim consistit satisfactio. Rex ergo regum Iesus Christus iubet, ut Daniel induatur purpura. Purpura, quae sanguinei est coloris, contritionem significat cordis, ex qua procedit sanguis lacrimarum. Unde dicitur in quarto libro Regum, quod orto iam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitae econtra aquas rubras quasi sanguinem, dixeruntque: Sanguis gladii est. AD LITTERAM sic intellige. Cum Moabitae vidissent ex adverso aquas torrentis sole repercussas, suspicati sunt infectas sanguine et dixerunt: 'Mutuo caesi sunt hostes'. MORALITER. Cum sol gratiae oritur in mente, tunc aquae rubrae lacrimarum, quasi sanguis, veniunt per viam Edom, idest oculos poenitentis. Et vere aquae istae sunt sanguis gladii. Cum enim cor peccatoris vulneratur gladio contritionis, effundit lacrimas sanguinis. Bene ergo dicitur quod iubente rege, indutus est purpura Daniel. Sequitur: Et circumdata est torques aurea in collo eius. "Torques sunt circuli aurei a collo ad pectus descendentes". Torques aurea in collo est circulus purae confessionis in ore peccatoris, de qua dicit Dominus in Ezechiele: Dedi torquem circa collum tuum. Et bene confessio dicitur torques vel circulus aureus. Sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter. Et peccator conversus a primo usque ad ultimum peccatum in circulo confessionis, omnia circumgyrando debet includere, sicut faciebat Propheta, cum dicebat: Circuivi et immolavi in tabernaculo eius, "idest sancta Ecclesia", hostian vociferationis, idest confessionis. De hoc circulo dicit Dominus diabolo in Isaia: Ponam circulum in naribus tuis et reducam te in viam per quam venisti. Nota quod 'tribus modis committitur mortale peccatum, quod est via diaboli ad animam, scilicet suggestione diaboli, delectatione carnis, consensu spiritus. In primis duobus est veniale, in tertio mortale'. Cum peccator in confessione, quae opponitur suggestioni, conteritur pro consensu spiritus, et affligitur in satisfactione pro delectatione carnis, tunc Dominus ponit circulum in naribus, idest subtilitate et astutia diaboli, et reducit eum in viam per quam venit. 'Contraria enim contrariis curantur'. Sequitur: Et praedicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno eius. Regnum Christi, vita iusti. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo. Vita iusti in tribus supradictis consistit. Tertius in regno est Christi qui vitam suam poenitentiae satisfactione regit. In hoc tertio signo deficiunt magi Pharaonis, idest sapientes huius mundi, qui satisfacere nolunt pro peccatis. Sed verus poenitens, ut regni caelestis mereatur esse particeps, studet esse tertius in regno illius regis, de quo dicitur in hodierno evangelio: Simile est regnum caelorum homini regi etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur, scilicet: a rege debiti dimissio, servi nequam ingratitudo, ipsius incarceratio vel torsio. Primum, ibi: Simile est regnum caelorum. Secundum, ibi: Egressus autem servus ille. Tertium, ibi: Tunc vocavit illum etc. In introitu hodiernae missae cantatur: Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis; et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses: Confido in Domino Iesu, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus clausulis evangelii concordare. Prima: Confido. Secunda: Testis enim mihi est Deus. Tertia: Hoc oro etc. Et attende quod in hodierno evangelio Matthaeus agit de servo nequam, qui noluit conservi sui misereri; contra quod, Apostolus omnes cupit in visceribus Christi, et admonet ut caritas in eis abundet. Et ideo haec epistola cum isto evangelio legitur.

I – De debiti dimissione a rege facta

3 – Dicamus ergo: Simile est regnum caelorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis. “Iste homo rex est Iesus Christus”; homo in humanitate, rex in divinitate; homo in nativitate, rex in passione, in qua habuit illa regalia quae spectant ad regem, scilicet coronam, purpuram et sceptrum. Coronam habuit spineam, chlamydem coccineam, et arundinem in manu, quasi sceptrum, unde, genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Iudaeorum. De quo habes concordantiam in Daniele: Aspiciebam, inquit, in visione noctis, et ecce in nubibus, ‘idest praedicatoribus’, caeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Unde: “A summo caelo egressio eius etc., qui est per omnia Patri aequalis”, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Rationem ponit, “cum merita cuiusque examinat” in hoc mundo, examinaturus in futuro districtius. Unde, super hoc habes concordantiam in Daniele, ubi dicit: Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix candidum, et capilli capitis eius quasi lana munda; thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius; millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit et libri aperti sunt. Ibi dicit GLOSSA: “Angeli et omnes electi Dominum in iudicio comitabuntur, et erunt throni Dei quia in illis sedebit”. Unde dicit in Matthaeo: Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli eius cum eo, “qui, ut dicit GLOSSA, testes sunt humanorum actuum, sub quorum custodia bene vel male egerunt”. Et antiquus dierum sedit, “scilicet Pater. Licet enim, ut ibi dicit GLOSSA, persona Filii in iudicio appareat, non deerit tamen Pater et Spiritus Sanctus. Et Pater est a se, Filius a Patre, et quidquid habet imputatur ei a quo est”. Vel dicitur antiquus, “idest severus iudex et verus”. Antiquus dicitur quasi antequam. Unde in Ioanne dicit: Antequam Abraham fieret, ego sum. “Sedens autem et vetustus dierum dicitur Deus, ut aeterni iudicis habitus demonstretur; senex quoque describitur, ut maturitas sententiae comprobetur”. Vestimentum eius quasi nix candidum. “Salvator transfiguratus in monte et gloriam divinae maiestatis assumens in candidis vestimentis videtur”. In iudicio etiam erit vestimentum eius candidum, in quo “purum ostenditur sincerumque iudicium, et nullam personam in iudicando recipiens”. Unde Petrus: ‘In veritate comperi, quia non est acceptio personarum apud Deum’. Nota quod dicit: Quasi nix candidum. “Nix a nube, unde venit, vocata est”. De qua ait AMBROSIUS, quod “plerumque glacialibus flatibus rigentes aquae solidantur in nube, rupto aere nix funditur”. Nix est candida et frigida. In iudicio erit candor quoad beatos, frigus quoad damnatos. Candor erit in: Venite, benedicti, frigus in: Ite, maledicti. Et capilli capitis eius quasi lana munda. De hoc quaere in prima clausula evangelii: Ego sum pastor bonus. Thronus eius flammae ignis. “Thronus Dei, ut ibi dicit GLOSSA ORIGENIS, sunt monachi et eremitae et alii, qui in uno loco degentes Deo militare student, nec per loca discurrunt, quorum quietis cordibus insidet Deus. Qui bene flamma ignis dicuntur, quia dilectione Dei et proximi et desiderio caelestis patriae inflammantur”. “Flamma proprie fornacis est dicta, quod flatu follium excitetur”. Fornax ignis est cor viri iusti, ex quo, flatu follium, idest contritionis et confessionis, excitatur flamma geminae caritatis. Unde in Psalmo: Qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos flammam ignis. Angeli, “idest nuntii”, idest viri iusti, sunt spiritus, cum nil carneum nil terrenum sapiunt; flamma ignis, cum Deum et proximum diligunt. Rotae eius ignis accensus. In rotis designatur “velocitas iudicii”, de quo dicit

Dominus in Malachia propheta: Accedam ad vos in iudicio et ero testis velox maledicis et adulteris et periuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, et viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus Deus exercituum. Fluvius igneus rapidusque, idest cum impetu currens, egrediebatur a facie eius. In fluvio, poenae perpetuitas; in igneo, "iudicii severitas"; in rapido subita "peccatorum in gehennam attractio" designatur. Millia millium etc. "De quibus in Psalmo: Currus Dei decem millibus multiplex etc. Duplex angelorum officium est. GREGORIUS: Aliud est assistere, aliud ministrare. Assistunt qui ad nuntiandum hominibus non exeunt; ministrant vero hi qui ad explenda officia nuntiorum veniunt, sed tamen et ipsi a contemplatione non recedunt. Et quia plures sunt qui ministrant quam qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero indefinitus ostenditur". Iudicium sedit, "idest ordo iudicantium", et libri aperti sunt, "idest conscientiae et opera singulorum in utraque parte vel bona vel mala omnibus revelantur. Bonus liber est viventium; malus, qui accusatoris manu, qui est inimicus et vindex, de quo in Apocalypsi: Accusator iste fratrum nostrorum". Et iterum: Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitae: et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris secundum opera eorum. Bene ergo dicitur: Simile est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

4 – Sequitur: Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. 'In denario numero, Decalogus; 'in millenario Evangelii perfectio designatur'. Omnis homo debet Iesu Christo decem millia talenta, idest Decalogi et Evangelii observantiam. Unde Salomon: Deum time, et mandata eius observa. 'Mandata dicta, quasi manu data'. 'Digito Dei fuerunt scripta mandata Decalogi', et mandata Evangelii data fuerunt apostolis manu Iesu Christi. Digna ergo sunt observari quae data sunt manu Dei, hoc est, idest ad quorum observantiam est omnis homo creatus.

5 – Sequitur: Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum Dominus venumdari et uxorem eius et filios et omnia quae habebat, et reddi. Quid opera, quid uxor, quid filii significent, videamus. 'Uxor peccatoris est cupiditas istius mundi'. Haec est statua Nabuchodonosor, de qua dicitur in Daniele: 'Tu, rex, inquit Daniel, videbas, et ecce quasi statua magna, cuius caput ex auro erat optimo, pectus autem eius et brachia de argento, porro venter et femora ex aere, tibiae autem ferreae, pedum autem quaedam pars ferrea quaedam fictilis'. Quid aurum, argentum, aes, ferrum et lutum significent, videamus. Primo allegorice, deinde moraliter. Statua ista sanctam Ecclesiam significat, quae in apostolis caput habuit aureum. Unde in Canticis: Caput eius aurum optimum. Brachia et pectus, in quibus maior est virtus, habuit Ecclesia de argento in tempore martyrum, qui in certamine fortes perstiterunt. Unde eidem Ecclesiae dicit sponsus in Canticis: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 'Murenulae sunt catenae, quae auri et argenti texuntur virgulis'. Murenulae Ecclesiae fuerunt humilitas et paupertas, quas habuit in tempore apostolorum; quae in tempore martyrum, ut decentiores essent, ipsorum sanguine quasi argento fuerunt vermiculatae, idest rubricatae. Argentum cum auro, sanguis martyrum, in quo stolas suas dealbaverunt, cum humilitate et paupertate apostolorum, mentis nostrae oculis mirabilem exhibent pulchritudinem. Item, Ecclesia aes et ferrum habuit in confessoribus, qui sono suae praedicationis haereticam pravitatem confregerunt. Unde Moyses in Deuteronomio: Ferrum et aes calceamentum Aser. "Aser

interpretatur beatus", et significat chorum confessorum beatum, qui, 'aere praedicationis et ferro constantiae' invincibilis calceati, calcaverunt super serpentes et scorpiones, idest haereticos et schismaticos. Unde dicit Dominus per Ieremiam: Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram, regibus Iuda, et principibus eius, et sacerdotibus, et populo terrae. Et bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. Nota ista tria: civitatem, columnam et murum. In civitate munita, unitas, quae vere munit et muniendo custodit; in columna ferrea, fraterna caritas, quae sustentat; in muro aereo patientiae invincibilitas et praedicationis assiduitas designantur. Quia haec sancti confessores Hieronymus, Augustinus et Hilarius, ceterique Ecclesiae doctores habuerunt, ideo fabricatores mendacii devicerunt. Item, Ecclesia Christi paupercula, tempestate convulsa, in faecibus mundi, quasi in pedibus habet ferrum et lutum, tam in clericis quam in laicis. 'In ferro avaritia', 'in luto luxuria' designatur. Ecce qualia membra sunt in corpore Christi, quod est Ecclesia, avari scilicet et luxuriosi, qui non Christi Ecclesia sed Satanae sunt Synagoga.

6 – MORALITER. A principio mundi fuerunt duae civitates, scilicet Ecclesiae et Babyloniae. Statua ista significat mundum, civitatem Babyloniae, synagogam Satanae, quae bene dicitur statua, quia quasi imago est. Os habet et non loquitur, quia habet ranunculum avaritiae in ore; oculos habet et non videt, quia stercus luxuriae ipsam excaecavit; aures habet et non audit, quia tamquam serpens unam aurem terrae applicat, et aliam cauda obturat, 'ne audiat vocem incantantis'. Cuius caput ex auro erat etc. 'Aurum significat sapientiam mundi, argentum eloquentiam', 'aes, quia multum resonat, vanamgloriam', 'ferrum obstinationem', 'lutum amorem temporalium'. Hanc statuam contrivit lapis parvus, "scilicet Iesus Christus", qui, ut subdit Daniel, abscissus est de monte, idest "natus de beata Virgine", sine manibus, "idest opere virili", et percussit statuam in pedibus et comminuit eos. Tunc contrita pariter sunt ferrum, testa, aes, argentum et aurum; et redacta quasi in favillam, quae rapta sunt vento, nullusque locus inventus est in eis. Sic Christus in primo adventu suo percussit statuam mundi, quamvis non ex toto, sed in die iudicii ex toto destruetur. Unde in Apocalypsi: 'Cecidit, cecidit Babylon illa meretrix, quae inebriavit mundum vino fornicationis suae'.

7 – Aliter. Statua ista Ecclesiae praelatum, in temporalibus elevatum et exaltatum, significat. Haec est statua Baal, "qui interpretatur superior vel devorator". Ecce idolum in domo Domini exaltatum, qui omnia devora. Unde dicitur in Daniele, quod erat idolum apud Babylonios nomine Bel; et impendebantur in eo per dies singulos similae, idest farinae candidissimae, artabae duodecim, genus est mensurae, et oves quadraginta, vinique amphorae sex. Ecce quanta devorat a diabolo devorandus. Rex quoque colebat eum, et ibat per singulos dies adorare; porro Daniel adorabat Dominum Deum suum. Hoc quotidie in Christi Ecclesia factum cernimus. Deberet ad minus facere sicut fecit Petrus, de quo dicitur in Actibus apostolorum, quod Cornelius procidens ad pedes eius adoravit eum. Petrus vero levavit eum, dicens: Surge; et ego homo sum sicut et tu. Dixitque Rex Danieli: Quare non adoras Bel? Qui respondens ait illi: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit caelum et terram, et habet potestatem omnis carnis. Et dixit ei rex: Nonne videtur tibi esse Bel vivens deus? An non vides quanta comedat et bibat quotidie? Heu, quanta! Et pauperes vacuo et nudo ventre clamant ad ostia. Quia

multa comedit, ideo vivens. Et ait Daniel arridens: Ne erres, rex. Iste est enim intrinsecus luteus, idest gulosus et luxuriosus, et forinsecus aereus, idest superbus et avarus, neque comedit aliquando 'cibum qui non perit, sed permanet in vitam aeternam'. Istius idoli, sive statuae, caput est ex auro, in quo 'sapientia carnis insipida, quae stultitia est apud Deum', designatur; in argento eloquentia, quae est Aegypti rana. De his duobus dicit Dominus per Ezechielem: Tulisti vasa decoris tui de auro meo et argento meo, quae dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es cum eis. Ex auro sapientiae et argento eloquentiae, quae dat Dominus Ecclesiae praelato, ut sint ei vasa decoris, quibus Sancti Spiritus gratiam suscipiat et ex ipsa aliis propinet, facit sibi miser idola, "quando gratiam sensus et eloquentiae vitae pravitate corrumpit"; et fornicatur in eis, cum vanamgloriam in mundi prostibulo ex ipsis quaerit. Item, in aere notantur divitiae, quae valde sonant. Vocaverunt, inquit, nomina sua in terris suis. Unde Ezechiel: Egressum est nomen tuum inter gentes, non inter angelos. Non nomen divitis purpurati, sed mendici et ulcerosi Lazari scriptum est in evangelio. In ferro potentia, qua confringit pauperes. Sed tu, Domine, dentes peccatorum contrivisti; et molas leonum confringet Dominus. Haec est illa bestia, de qua dicit Daniel, quod erat terribilis atque mirabilis et fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans. Item, in luto ipsius notatur misera caro, quae, adveniente lapide, idest mortis duritie, percutietur et conteretur. Et tunc aurum sapientiae, argentum eloquentiae, aes divitiarum, ferrum potentiae, comminuentur et in nihilum redigentur et a vento dispergentur, quia caro vermibus, divitiae parentibus, anima tradetur daemonibus, et sic nullus inventus erit in eis locus. Bene ergo dicitur in evangelio: Iussit eum Dominus venundari et uxorem et filios, 'quia, ut ibi dicit GLOSSA, pro cupiditate mundi et carnis et operibus malis, quasi uxore et filiis, poenas aeternas exsolvet'. A quibus nos liberare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

8 – Procidens autem servus ille rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ecce quid debet facere peccator dum vivit, ne post mortem cum uxore et filiis ad mortis aeternae ducatur supplicium. Nota ista tria: procidens, rogabat et omnia reddam, in quibus contritio, confessio et satisfactio notantur, per quae omnia peccata dimittuntur. Procidere dicitur porro cadere. Porro cadit qui vere conteritur, qui se terram cognoscit. Unde, in conspectu tuo cadent omnes qui descendunt in terram. In conspectu, inquit, tuo, non statuae Nabuchodonosor, de qua dicitur in Daniele: 'Cadentes omnes populi adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor in campo Dura', quod interpretatur pulchritudo vel loquela. Statua aurea est huius mundi fallax gloria, quae in pulchritudine exteriori et loquela falsae promissionis a diabolo est constituta. Ostendit gloriae pulchritudinem, promittit ipsam, et sic omnes gentes, cadentes a vera gloria, adorant transitoriam, et in ipsa diabolum. Unde dicit in Matthaeo: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Qui ergo vult veniam impetrare, non coram statua cadat; sed coram Iesu, cum servo, procidat, de quo dicitur: Procidens autem servus ille. Sequitur: Rogabat eum. Rogare est humiliter ac devote aliquid postulare. Confessio debet esse humilis et devota: 'humilis, idest humi acclinis"', in sui deiectione et accusatione, devota in prompta satisfaciendi voluntate, et tunc poterit dicere: Patientiam habe in me. De qua Apostolus: An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Qui has divitias contemnit semper et pauper et miser erit. Et omnia reddam tibi. Omnia reddit qui pro omnibus

satisfacit, ut poena respondeat culpae. Facite, inquit, fructus dignos poenitentiae. Et in libro Iosue dicitur, quod 'sors Iudae pertransiit in Sina', "quae interpretatur mensura". "Mensura est quidquid pondere, capacitate, longitudine, animoque finitur". Vera satisfactio in se habet ista quattuor, scilicet pondus doloris, capacitatem dilectionis, qua omnes in se capit, longitudinem perseverantiae finalis, in animo humilitatem. Ubi concurrunt haec omnia, praesto est misericordia. Unde sequitur: Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. Nota quod, tria facit misericordia Domini, scilicet purificat animam a vitiis, locupletat charismatum divitiis, accumulat caelestium gaudiorum deliciis. Prima in contritione cor affligit; secunda ad amorem emollit; tertia, spe supernorum bonorum, cor quasi caelesti rore perfundit. Et hoc patet ex triplici huius nominis interpretatione. Dicitur enim misericordia, miserum cor donans, et hoc convenit primae misericordiae. Item dicitur misericordia, quasi mittens seorsum rigorem cordis, et hoc secundae. Item dicitur misericordia, quasi mira suavitas corda rigans, et hoc tertiae. Misertus ergo hac triplici misericordia servi illius, dimisit eum et debitum. Unde egregie et congrue introitus hodiernae missae hoc loco concordat, in quo dicit iste misericors Dominus: Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis, ecce: misertus Dominus servi illius; invocabitis me, ecce: procidens servus rogabat etc.; et ego exaudiam vos, ecce: dimisit eum; et reducam captivitatem vestram, ecce: et omne debitum dimisit ei.

9 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Confido in Domino Iesu, quia qui coepit in vobis opus bonum, scilicet procidere in contritione, rogare in confessione, omnia reddere in satisfactione, perficiet usque in diem Christi Iesu, idest "usque ad finem vitae, quo Deus videbitur". Sicut enim mihi iustum est hoc sentire, idest "ita velle" pro omnibus vobis, "quos precor ut hoc ipsum faciatis. Videte ne frustra confidam. Et exponit causam: eo quod habeam vos in corde", "non in solis labiis", et in vinculis meis 'per compassionem', et in defensione "contra impugnantes", et confirmatione "infirmorum [in doctrina]" evangelii, socios gaudii mei desidero vos esse, "ut in futuro sitis socii" et comparticipes aeterni gaudii. Ad quod gaudium ut pervenire mereamur, rogamus te, Domine Iesu Christe, quatenus tu, 'qui es lapis angularis', statuam confringas nostrae cupiditatis, nobis debitum dimittas nostrae iniquitatis. Te praestante, qui es benedictus per aeterna saecula. Amen.

II – De servi nequam ingratitudine

10 – Sequitur secundum. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Servus nequam a divinae misericordiae, quae sibi debitum dimiserat, recordatione egressus, conservi noluit misereri. Bene misereri debuerat conservi servus, cuius misertus fuerat Dominus. Quanta differentia est inter decem millia talenta et centum denarios, tanta differentia et longe maior inter peccatum quo offendimus Deum et peccatum quo offendit nos proximus. Si ergo Deus, totius creaturae Dominus, tantum tibi dimittit, cur tu tantillum proximo non dimittis? Qui misericordiae sibi impensae obliviscitur, nulli miseretur. Unde servi egressio ipsius oblivionem denotat. Unde in Genesi: Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum et interfecit eum. Hoc est quod dicitur: tenens suffocabat eum. "Cain interpretatur possessio": Possedi, inquit Heva, hominem per Deum; et significat avarum,

qui, cum egreditur a facie divinae misericordiae, tenens suffocat Abel, "qui interpretatur luctus", idest pauperem, paupertatis luctu afflictum. MORALITER. Cain Abel, idest, possessio divitiarum interficit luctum poenitentiae; et ipsam possessionem, quae primo nascitur sicut Cain, sequitur luctus mortis aeternae. Unde dixit Daniel ad Balthassar: 'Non humiliasti cor tuum, sed adversum Dominatorem caeli elevatus es, et Deum, qui habet flatum tuum in manu sua et omnes vias tuas, non glorificasti. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quae scripsit hoc quod exaratum est: Mane, idest numeravit, Thecel, idest appendit, Phares, idest divisit'. In iudicio erunt ista tria, scilicet peccatorum discussio, bonorum omissorum exprobratio, sententiae executio. Et tunc divisum erit regnum babylonicum, idest synagoga peccantium a regno iustorum, et dabitur Medis et Persis, idest daemonibus, qui suffocantem suffocabunt: Tenens, inquit, suffocabat eum. Suffoco ex sub et fauce componitur. "Fauces a fundendis vocibus sunt nominatae, quia per eas famur voces". Qui fauces stringit vocem et vitam auferre quaerit. 'Vita pauperis, substantia in qua vivit, sicut in sanguine anima'. Cum pauperi substantiolam aufers, sanguinem extrahis, fauces restringis, et ideo a diabolo suffocaberis.

11 – Sequitur: Et procidens conservus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. O serve nequam, eodem verborum ordine rogasti Dominum, et dimisit tibi, et de eodem rogatus a conservo noluisti dimittere ei, sed in carcerem misisti! Sed crede mihi, quia veniet tempus, quando implebitur illud salomonicum: 'Qui avertit aurem suam a clamore pauperis, ipse clamabit et non exaudietur'. Carcer est hic mundus, fornax Babylonis. Unde habes concordantiam in Daniele, quod ministri Nabuchodonosor non cessabant succendere fornacem naphtha et stuppa et pice et malleolis. "Naphtha sunt ossa olivarum". "Stuppa dicta, quia ex ea rimae navium stipentur". 'Pix a pino arbore', de qua fit. 'Malleoli sunt sarmenta vinearum". In naphtha avaritia, quae caret oleo misericordiae, in qua est amurca pecuniae. Elice oleum, remanet amurca. Tolle oleum misericordiae a pecunia, remanet ipsa, incendium mortis aeternae. In stuppa vanagloria, quae cito transit in favillam. In pice, quae tetrum emittit fumum, luxuria, quae coinquinat animam et corrumpit famam. In malleolis superbia significatur. Superbi vero a vera vite, scilicet Iesu Christo, sunt praecisi. His quattuor fomentis succenditur fornax Babylonis et ardet totus hic mundus, in qua sunt tres pueri, Sidrach, Misach et Abdenago. Sed 'angelus Domini excutit flammam ignis de fornace, et facit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tangit eos omnino ignis'. In his tribus pueris tres virtutes designantur, quas qui habuerint, a fornace mundi exibunt illaesi. In Sidrach, qui interpretatur "decorus meus", castitas. Unde in Canticis: 'Pulchra es et decora, interiori et exteriori castitate, filia Ierusalem'. Et in Genesi: Filius accrescens Ioseph et decorus aspectu. Et iterum: Rebecca puella decora nimis, virgoque pulcherrima. Et iterum: Rachel erat decora facie et venusto aspectu. In Misach, 'qui interpretatur risus', patientia, quae ridet in tribulatione. In Abdenago, 'qui interpretatur servus tacens', obedientia, quae servit ex animo et tacet a propriae voluntatis verbo. Qui has tres virtutes habent, per Angelum magni consilii et per ventum roris, 'idest gratiam Spiritus Sancti', ab igne fornacis, idest incendio vitiorum huius mundi, liberantur. Sequitur: Videntes autem conservi eius quae fiebant, contristati sunt valde; et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quae facta fuerant. "Conservi, ut ibi dicit INTERLINEARIS, sunt praedicatores evangelii, vel angeli, qui referunt Deo gesta hominum". Unde Angelus dixit ad Danielem: Ex die primo quo tu posuisti cor tuum

ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua; et ego veni propter sermones tuos. Ibi dicit GLOSSA: "Postquam coepisti lacrimis, ieiunio et orationibus invocare misericordiam Dei, ego occasionem accepi, ut pro te oraturus ingrederer in conspectu Dei".

12 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi, idest "intimo amore Christi, ut ab eo diligamini, vel eo affectu diligatis Deum et proximos, quo Christus dilexit vos, qui animam suam posuit pro vobis". Hoc servus nequam non cupiebat, qui conservum suum suffocabat. Testis dicitur, quod tueatur statutum. Bonus testis beatus Paulus, qui Iesu Christi statutum in se et in aliis tuebatur. "Viscera sunt circumfusa cordis loca, dicta quasi vivida, eo quod ibi vita et anima contineatur". Viscera Iesu Christi sunt caritas, qua nos dilexit, in qua anima nostra vivit. Ubique mors, in visceribus Iesu Christi tantum est vita. Dicitur in NATURALIBUS, quod quattuor tantum sunt quae de quattuor elementis tantum vivunt. 'Alec, qui est pisciculus, vivit de sola unda'; chamaeleon vivit de solo aere; salamandra de igne; talpa de sola terra. De chamaeleonte dicit SOLINUS, quod "neque cibum capiat neque potu alatur, nec alimento alio quam haustu aeris vivat. Animal est quadrupes, incessus piger, fere idem qui testudinum motus, corpus asperum, color varius et in momento mutabilis, ita ut cuicumque rei se coniunxerit concolor ei fiat. Colores duo sunt quos fingere non valet, scilicet rubrus et candidus, ceteros facile mentitur. Latet hieme, producitur vere. A quocumque interfectus est, victorem suum perimit interemptus. Nam, si vel modicum ex eo ales ederit, illico moritur. Sed si corax – idest corvus vel alia avis, quae nomen a sono gutturis habet – de eo comederit, habet praesidium ad medellam, natura manum porrigente. Nam cum afflictum se intelligit, sumpta fronde laurea, recuperat sanitatem". Item, "salamandra dicta, quod contra incendia valeat. Haec si arbori irrepserit omnia poma venenat, et non solum non uritur incendio, sed extinguit". Haec dicitur stellio, de quo Salomon in Proverbiis: Stellio nititur manibus et moratur in aedibus regis. "Stellio a colore est dictus, est enim corpore pictus lucentibus guttis in modum stellarum". Item, "talpa dicta, quod sit damnata perpetua caecitate. Est enim absque oculis, terram semper fodiens". Quia de caritate, quae est vita animae, tractare disposuimus, ideo si quid ad ipsius aedificationem in istorum natura invenire possimus hic ponere volumus. De veneno vero et malitia eorum ad praesens nihil pertractabimus. Nota quod, caritas maxime in quattuor consistit, scilicet cordis compunctione, gloriae contemplatione, proximi dilectione, propriae vilitatis recordatione. In alec, parvo pisciculo, humilis poenitens designatur, qui ex sola unda lacrimarum vivit. Unde cum Propheta dicit: Lavabo per singulas noctes, "idest singula peccata", quae noctem aeternam inferunt, lectum meum, "idest conscientiam" meam, lacrimis meis stratum, 'idest corpus' poenitentia afflictum, rigabo, ut 'germinet herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum'. De hoc quaere in sermone: In principio creavit Deus.

13 – Et quia humilis poenitens de sola unda lacrimarum vivit, aperte habes concordantiam, ubi dicit Daniel: Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum dies; panem desiderabem non comedebam et caro et vinum non introierunt in os meum; sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. Nota quod ex nimio fletu tria eveniunt: oculus obscuratur, caput conturbatur, facies attenuatur. Sic vere

poenitentis oculus, quia solebat depredari animam eius, obscuratur, ne 'videat mulierem ad concupiscendum eam', et clauditur, ne 'mors intret per fenestras'. Eius caput, idest mens, pro commissis conturbatur. Unde dicit in quarto libro Regum, cum filio Sunamitidis: Caput meum doleo, caput meum doleo. Verbi repetitio doloris significat vehementiam. Facies in carnis maceratione attenuatur. Unde dicit: Defecit caro, idest opulentia carnis, et cor meum, idest superbia cordis mei. Hae sunt tres hebdomadae, quibus luget poenitens. Vel, trium hebdomadarum diebus luget, quia in tribus, scilicet corde, ore et opere, sanctam Trinitatem offendit. Panem, inquit, desiderabilem non comedebam. Ibi dicit GLOSSA: "A cibis delicatis abstinuit, quod nobis multo magis faciendum tempore ieiunii. Qui enim utuntur illicitis, abstinere debent etiam a licitis". Vel, panis desiderabilis est pompa saecularis, quae hodie desideratur a multis, de qua dicit Salomon in Proverhiis: Suavis est homini panis mendacii, idest pompae saecularis, quae se mentitur esse aliquid, cum nihil sit, sed postea implebitur os eius calculo, idest poena aeterna. Unde Iob: Panis eius in utero illius, vertetur in fel aspidum. Hunc panem non comedit poenitens, immo dicit in Psalmo: Cinerem tamquam panem manducabam. Ibi dicit GLOSSA: "Cinerem, idest reliquias peccatorum, tamquam panem manducabam, idest poenitendo consumebam, quia etiam tenuia, idest levia peccata, per poenitentiam sunt consumenda. Et poculum meum, idest temporalem iucunditatem, cum fletu miscebam". Unde subdit: Caro et vinum, in quibus notatur carnis concupiscentia et mundi gloria, non introierunt in os meum. "Caro dicta, quia cara". "Vinum dictum, quod potatum venam sanguine cito repleat". Neque unguento unctus sum. Super his habes concordantiam in Amos propheta, ubi dicitur: Vae vobis qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti. Bibentes in phialis vinum et optimo unguento delibuti. Omnia supradicta facit poenitens, donec compleantur trium hebdomadarum dies, idest donec plenarie pro peccatis satisfaciat et a sancta Trinitate remissionem accipiat.

14 – In chamaeleonte vir contemplativus designatur, qui solo aere, idest contemplationis dulcedine, vivit. Unde cum Apostolo dicit: Nostra autem conversatio in caelis est. Et in Iob: Suspendium elegit anima mea. Suspendium est elevatio visionis ad Dominum. Vir iustus fune divini amoris elevatur a terrenis et pendet in aere dulcedine contemplationis, et tunc quasi totus efficitur aer, nihil habens de carne, idest carnalitate. Unde dicitur de Ioanne Baptista, quod erat vox clamantis in deserto. "Vox est aer", et Ioannes aer non caro erat, quia nil carneum, sed totum quod sapiebat caeleste erat. Unde dicitur in Exodo, quod 'sub pedibus Domini erat quasi opus lapidis sapphirini'. Pedibus, idest humanitati Iesu Christi, sunt suppositae, quasi scabellum, mentes iustorum. Unde dicitur quod 'Maria sedebat ad pedes Domini'. Et iterum: Mulieres accesserunt et tenuerunt pedes eius. Et in Deuteronomio: Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius. Sapphirus aerei est coloris. Mentes iustorum, humanitati Iesu Christi fide et humilitate subiectae, sunt quasi opus lapidis sapphirini. Nota ista tria: opus, lapidis, sapphirini. Opus propter poenitentiae laborem. De quo Salomon in Parabolis: Praepara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, idest vitam, ut postea aedifices domum tuam, idest conscientiam tuam. Lapidis propter mentis constantiam. Unde Zacharias: 'In lapide uno septem oculi sunt', 'idest viro constanti septiformis gratiae dona'. Sapphirini propter contemplationis dulcedinem. Unde dicitur in Ezechiele, quod erat super caput Cherubim quasi lapis sapphirus. Super caput, idest mentem Cherubim, idest iustorum, qui sunt pleni scientia, quae sola scit scire, sola scientes facere. Et nota quod, Ezechiel quod in principio

appellat quattuor animalia, hic appellat Cherubim, ideo autem nomine angelorum appellat animalia, quia pennata erant. Unde sciendum, quod nec pedes nec rostra avium, sed tantum alas habere describuntur. Iusti enim viri non habent, sicut aves, ungues curvos rapinae et violentiae, nec rostrum laniationis et detractionis fraternae, sed tantum alas contemplationis divinae; ad quod significandum natura non curvos, sed planos ungues dedit homini.

15 – Dicitur in NATURALIBUS, quod "aves uncorum unguium, cum viderint pullos suos posse volare, percutiunt eos et eiciunt illos a nidis suis; et quando sui pulli fuerint completi non sunt sollitici super ipsos". Sic quidam avari et immisericordes faciunt, qui, ut viderint pauperes et infirmos aliquantulum convalescere, et quod peius est in ipsa infirmitate, a domo propria eiciunt. Super caput vero Cherubim est lapis sapphirus, quia mentem iustorum decorat et illuminat contemplationis beatitudo. In salamandra vir caritativus designatur, qui de solo igne caritatis vivit. Unde Ecclesiasticus dicit: Surrexit Elias quasi ignis, et verbum eius quasi facula ardebat, quia opus et verbum viri iusti ardent caritate. Unde recte dicitur stellio, quia stellis, idest claritate boni operis, est lucidus. Unde de eo dicit Salomon, quod nititur manibus, 'idest operibus', quoad proximum, et moratur in domibus regis, 'scilicet contemplatione', quoad Deum. Item, in talpa vir despectus et solitarius designatur, qui de sola terra vivit, quia seipsum terram et peccatorem cognoscit, illius maledictionis non immemor: 'Terra es et in terram ibis'. Hic in huius exilii caecitate terra tantum est contentus, quia non aliorum carnem comedit, idest peccatores condemnat et iudicat, sed peccata sua tantum, in amaritudine animae suae, considerat, 'omnes cupiens esse in visceribus Iesu Christi'. Quem, fratres carissimi, humiliter deprecemur, ut in visceribus suae caritatis nos recolligat, unda compunctionis, aere contemplationis, igne caritatis, terra humilitatis vivere faciat, qua ad ipsum, qui est vita, mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

III – De servi nequam incarceratione, seu de quaestione ÆUtrum peccata dimissa redeantØ

16 – Sequitur tertium. Tunc vocavit illum Dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego misertus sum tui? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Ex huius sancti evangelii lectione habes aperte quod peccata dimissa redeunt. Unde super hoc quod inveni in SENTENTIIS hic volo ponere. "Quaeritur an peccata dimissa redeant. Cuius solutio quaestionis obscura est et perplexa, aliis asserentibus, aliis contra negantibus peccata semel dimissa ulterius replicari ad poenam. Qui vero dicunt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. AMBROSIUS: Donate invicem si alter in alterum peccet, alioquin Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit poenitentiam, per quam misericordiam declarat, sicut in evangelio de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est. Item RABANUS: Nequam servum tradidit Deus tortoribus quoadusque redderet universum debitum, quia non solum peccata quae post Baptismum homo egit reputantur ei ad poenam, sed etiam peccata originalia, quae in Baptismo ei sunt dimissa. Item GREGORIUS: Ex dictis evangelicis constat, quod si non ex corde dimittimus quod in nos delinquitur, et hoc rursum exigitur quod iam nobis per

poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Item AUGUSTINUS: Dicit Deus: ‘Dimitte et dimittetur tibi’. Sed ego prius dimisi. Dimitte vel postea, nam si non dimiseris revocabo te, et quidquid dimiseram replicabo tibi. Item: Qui divini beneficii oblitus suas vult vindicare iniurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam praeterita, quae iam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Item BEDA: Revertar in domum meam etc. Timendus est versiculus iste nec exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Idem: Quemcumque enim post Baptisma sive pravitas haeretica seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Item AUGUSTINUS: Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus in evangelio docet in illo servo, a quo Dominus dimissum debitum petiit, eo quod ille conservo debitum nollet dimittere. His auctoritatibus nituntur qui dicunt peccata dimissa redire, si replicantur. Quibus opponitur. Si quis pro peccato, de quo poenituit et indulgentiam accepit, iterum punitur, non videtur iustum. Si punitur pro eo quod peccavit et non emendavit, iustitia est aperta. Si vero requiritur quod fuerat condonatum, vel iniustitia est, vel iustitia est occulta. Videtur etiam Deus bis in idipsum iudicare et ‘duplex tribulatio consurgere’, quod Scriptura negat. Sed ad hoc potest dici, quod neque duplex tribulatio consurgit, neque iudicat Deus bis in idipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem et sufficientem poenam iterum puniret; sed non satisfecit digne et sufficienter, qui non perseveravit. Debet enim iugem peccati habere memoriam, non ad faciendum sed ad cavendum; non debet oblivisci omnes retributiones Dei’, quae tot sunt quot sunt peccatorum remissiones. Tot ergo debuit cogitare dona Dei quot mala sua, ac pro illis usque in finem gratias agere. Sed, quia ingratus ‘ad vomitum sicut canis rediit’, anteacta bona mortificavit, et peccatum dimissum revocavit, ut, cui humiliato Deus ante dimiserat peccatum, eidem post elato et ingrato imputet. Sed, quia absonum videtur, ut peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis iterum a Deo puniri. Sed ideo dimissa dicuntur redire et imputari, quia propter ingratitudinem ita reus et peccator constituitur ut ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat dicitur exigi, quia remissionis perceptae ingratus extitit, ita reus fit ut ante fuerat. Utrique parti quaestionis probati favent doctores; ideoque alicui parti non praeiudicans, studioso lectori iudicium relinquo, addens mihi tutum fore ac saluti propinquum ‘sub mensa dominorum micas edere’”.

17 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu. ‘Caritas abundat, idest crescit in scientiam, ut probare et discernere sciat homo non solum mala et bona, sed etiam inter bona et potiora’. Unde subdit: Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, ‘idest sine corruptione quantum ad vos, et sine offensa quantum ad alios’, in die Christi, ‘idest usque in diem mortis vel iudicii’. Haec servus nequam non observavit, quia non fuit sincerus quoad Deum, qui sibi debitum dimisit, nec sine offensa ad conservum, quem suffocavit et in carcerem misit; et ideo in diem Christi ipse a tortoribus, idest daemonibus, omnino suffocabitur. Repleti fructu iustitiae, “idest operibus, quae sunt fructus iustitiae”, per Iesum Christum, “non viribus vestris”, in gloriam et laudem Dei, “idest per hoc transituri in gloriam aeternam, unde Deum laudetis”‘, vel “ut sitis gloria et laus Dei, ut pro vobis dicatur: Mirabilis”, idest mirabiliter operans, idest operari faciens, Deus in sanctis suis. Quem, fratres carissimi, suppliciter imploremus, ut praeterita peccata nobis dimittat,

gratiam non relabendi tribuat et ut hominibus ex corde dimittamus concedat, qua ad ipsius gloriam, in qua ipse est laudabilis et gloriosus per aeterna saecula, pervenire mereamur. Amen. Alleluia.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in vigesimatertia dominica post Pentecosten: Abeuntes Pharisaei, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de praedicatore vel Ecclesiae praelato et de peccatorum divitiis et de triplici tubae convocatione, ibi: In gutture tuo sit tuba. Item ad poenitentes vel religiosos, de modo poenitentiae peragendae et perditorum restauratione, ibi: Nolite timere, animalia regionis. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item contra praelatos Ecclesiae, ibi: Abeuntes Pharisaei. Item contra avaritiam et luxuriam ipsorum, ibi: Vae, filii desertores. Item contra potentes mundi, ibi: Praeparavit Dominus hederam. Item de deo ventre, ibi: Imitatores mei estote. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis contra hypocritas et de Dei notitia, qua omnia scrutatur, ibi: Cognita Iesus nequitia. Item de triplici imagine Dei, ibi: Ostendite mihi numisma census. Item thema sermonis de puritate animae, ibi: Vidi et ecce candelabrum. Item de septem lucernis et septem infusoriis, quae sunt septem beatitudines, et septem verba Domini in cruce prolata, ibi: Septem lucernae eius. Item contra odium fraternum habentes, ibi: Super tribus sceleribus Edom. Item thema sermonis contra avaros, ibi: Leva oculos tuos et vide. Item de Dei protectione, ibi: Bonus Dominus et confortans. Item de triplici iustitia, ibi: “Qui esuriem et sitim”. Item de misericordia et tribus quae sunt in aceto, ibi: Quod misericors est. Item de spe et timore, ibi: Duae olivae. Item de peccatoris conversione, ibi: Auferte vestimenta.

Exordium. De praedicatore et de triplici tubae convocatione

1 – In illo tempore: Abeuntes Pharisaei consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone. Dicit Osee: In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini, pro eo quod transgressi sunt foedus meum, et legem meam praevaricati sunt. Quid ista quattuor: guttur, tuba, aquila et domus significent, videamus. Nota quod tuba, ut dicitur in libro Numeri, ad tria convocabat, scilicet ad bellum, epulum et festum. ‘Tuba est praedicatio’. Unde Amos propheta: ‘Si clanget tuba in civitate, quis no expavescet?’ Signum est magnae obdurationis, cum populus audit tubam praedicationis, mortem aeternam comminantis, et non expavescit. ‘Sunt enim sicut aspis surda, quia unam aurem infigunt terrenis, et aliam obturant cauda concupiscentiae carnalis, ne audiant vocem tubae mirabiliter incantantis’. Unde de talibus dicit Michaeas propheta praedicatoribus: In Geth nolite annuntiare; lacrimis ne ploretis; in domo pulveris pulvere vos conspergite. “Geth interpretatur torcular”, et significat huius mundi superbos et avaros, qui tamquam torcularia opprimunt et emungunt pauperes et inopes. Unde eis hic idem propheta dicit: Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt; et ossa eorum confregerunt. Istis nec tuba praedicationis debemus annuntiare, nec lacrimis

plorare, quia nec tuba cordis duritiam flectere, nec lacrimae ignem avaritiae valent extinguere. De quo idem propheta: Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, et mensura minor irae plena. Numquid, "non", iustificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa? In quo malitia avari denotatur, quia alia mensura vendit et alia emit. Sequitur: In domo pulveris, idest poenitentis pauperculi et spiritu contriti, qui se cognoscit pulverem, o praedicatores, pulvere vos conspergite, idest vestrae humilitatis exemplum ostendite, quia, ut dicit Dominus, pauperes evangelizantur non divites, humiles non superbi. Tumor enim infusa repellit. Tuba ergo est praedicatio, quae convocat ad bellum contra vitia, de quo dicit Ioel propheta: Ego Dominus locutus sum. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos; ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios et ligones in lanceas. Infirmus dicat quia fortis ego sum. Cum Dominus interna inspiratione loquitur in praedicatoribus, tunc ipsi clamant in gentibus, idest gentiliter viventibus: Sanctificate bellum etc. Bellum sanctificat, qui prius vitia deponit et post contra spiritualia nequitiae in, "idest pro", caelestibus, certamen assumit. Qui enim dissentit sentit. Robustos suscitat, qui firmum propositum non relabendi habet. Viri bellatores tunc ascendunt, cum quinque corporis sensus, qui prius erant quasi feminae, animam effeminantes, sed modo tamquam viri bellatores ascendunt castis et castigatis moribus, qui prius solebant descendere in profundum vitiorum. Aratra in gladios et ligones in lanceas concidit, qui linguam detractionis, quae quasi aratro vitam aliorum solebat sulcare, in gladios confessionis et propriae accusationis et ligones terrenae sollicitudinis et privati amoris vertit in lanceas caritatis; et sic qui infirmus fuerat et effeminatus potest dicere: Fortis sum, et potens ascendere ex adverso et stare in bello in die Domini.

2 – Item, tuba praedicationis convocat ad epulum poenitentiae, de quo dicit Dominus per Ioelem: Nolite timere, animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. Et, filii Sion, exultate et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum sicut in principio. Et implebuntur areae frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo; et reddam vobis annos quos comedit locusta, et bruchus, et rubigo, et eruca. Animalia regionis sunt peccatores conversi, qui 'de regione longinqua dissimilitudinis' conversi sunt ad misericordiam Dei Patris, de quibus in Psalmo: Animalia tua habitabunt in ea, "idest sancta Ecclesia", quae est regio similitudinis. Istis, ne de magnitudine peccatorum desperent, dicitur: Nolite timere, quia germinaverunt speciosa deserti. 'Desertum dicitur derelictum, vel quod non seritur', 'et significat poenitentiam', quae hodie raro et vero colitur habitatore. Speciosa ergo deserti sunt viri poenitentiae, qui germinant in contritione. Sicut enim germen est initium floris, sic ipsi semper incipiunt et de die in diem se renovant. Nolite ergo timere, animalia regionis, quia sicut illi ita et vos eritis speciosi. Unde sequitur: Quia lignum attulit fructum suum. Nota ista tria: lignum, ficum et vineam. In homine tria sunt membra, e quibus quidquid intus vel foris agitur procedit, scilicet cor, lingua et manus. Cor poenitentis est quasi lignum faciens fructum contritionis, de quo dicit Isaias: Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius. Contritio dicitur omnis fructus, pro eo quod omne peccatum auferat, ita tamen si habeat firmum propositum confitendi. Unde statim sequitur in eodem: Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci neque delubra. 'Altare dicitur alta ara; ara dicta, quod ibi ardeat victima'.

Altare, superbia, luxuria et avaritia, quae quaerunt alta, in quibus ardet infelix anima. Hoc est altare Baal, 'qui interpretatur superior aut devorator', quod bene altaris etymologiae concordat. Lapides ergo altaris sunt peccata superbiae, luxuriae et avaritiae, quae confitens debet ponere coram sacerdote, quasi lapides cineris allisos, ut omnia distincte, subtiliter, tam peccatum quam circumstantias peccati confiteatur; et sic non stabunt luci, idest imaginationes, et delubra, idest peccati delectationes. Lignum ergo attulit fructum suum. Sequitur: Ficus et vinea dederunt virtutem suam. Ficus, "a fecundidate dicta", linguam significat, quae est fecunda verbis. Circa hanc ficum debemus stercora, idest confessiones peccatorum, [ponere], ut virtutem suam, scilicet confessionem, valeat dare. Vinea est manus, quae digitos tamquam palmites extendit. "Digiti dicti, [vel] quia decem sunt, vel quia decenter iuncti existunt". Extendat ergo manum operationis poenitens ad praecepta decalogi, quae decenter sunt iuncta. In prima enim tabula praecepta quae ad dilectionem Dei pertinent erant scripta; in secunda, quae ad proximi. Quae, cum simul iunguntur, valde decentia existunt. Et ideo, o poenitentes, qui estis filii Sion, "idest Ecclesiae", exultate corde, et laetamini opere in Domino Deo vestro, "non in aliis rebus", quia dedit vobis doctorem iustitiae, idest 'spiritum gratiae, qui vos docet iustitiam facere de vobis ipsis, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum. Ibi dicit GLOSSA: "Matutinus imber est fides, serotinus perfectio operum. Vel, imber matutinus est cognitio Dei, quae post fidem datur; serotinus plenitudo eiusdem cognitionis". Et implebuntur areae frumento etc. Per areas mentes intelliguntur, ubi fit separatio paleae, idest vitiorum, et sic 'abundant frumento bonorum operum', et per pressuram quam sustinent, abundant oleo misericordiae et vino consolationis. Et reddam vobis annos etc. "Locusta dicta, quod pedibus sit longa ut hasta". Bruchus, quasi in bucca totus. "Rubigo, vitium quo pereunt segetes". "Eruca, ab erodendo dicta, frondium vermis", quae suo incessu pruriginem excitat in carnem. 'In locusta superbia, in brucho gula, in rubigine ira et invidia, in eruca luxuria designatur'. Haec sunt quae devorant bona opera nostra. Sed, cum ad poenitentiam redimus, reddit nobis Dominus annos, 'idest ubertatem bonorum operum', quia opera quae facta fuerant in caritate, sed per subsequentem culpam mortificata, reviviscunt in poenitentia, ad cuius epulum convocat nos tuba.

3 – Item, convocat ad festum gloriae. Unde Nahum propheta: Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Celebra, Iuda, festivitates tuas, et redde Domino vota tua; quia non adiiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit. Qui caelestis gloriae festivitatem evangelizat, vere pacem annuntiat; quam qui praedicat, non in valle voluptatis, ad quam faeces decurrant, sed super montes vitae excellentis, quia ibi steterunt pedes Domini. Celebra, inquit, Iuda, festivitates tuas etc. 'Iudas interpretatur confitens, et significat poenitentem', qui, hic celebrato epulo poenitentiae, transit ad celebrandam festivitatem caelestis gloriae, in qua securus Domino reddit vota, "canens cum angelis", non timens quod Belial, 'idest stimulus carnis vel tentatio daemonis', ultra affligat eum, "quia" universus interiit. Unde Ioel: Erit Ierusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. Ibi dicit GLOSSA: "Post diem iudicii Ierusalem constans ex angelis et hominibus erit absque aliqua contaminatione, quam prius contraxerat ex commixtione malorum. Et alienus, idest diabolus vel aliqua prava cogitatio, non reperiet viam in iustis, habentibus Dei pacem". Dicamus ergo: In gutture tuo sit tuba. O praedicator, tuba praedicationis sit in gutture tuo, idest mente non tantum ore, ut tu sis quasi aquila super domum Domini, idest sanctam Ecclesiam vel fidelem animam. Quaere de aquila in

evangelio: Dum iret Iesus in Ierusalem. Sequitur: Pro eo quod transgressi sunt foedus meum, et legem meam praevaricati sunt. Ideo praedicator debet in gutture tubam habere, et ut aquila super domum Domini ascendere, pro eo quod peccatores foedus, quod pepigerunt cum Domino in Baptismo, sunt transgressi, et legem litterae et gratiae praevaricati, deteriores Pharisaeis, qui legem litterae, in qua dicitur: Non tentabis Dominum Deum tuum, praevaricati sunt, cum Dominum legis, inito consilio, tentaverunt. Unde dicitur in hodierno evangelio: Abeuntes pharisaei etc.

4 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur, scilicet pharisaeorum astuta nequitia et Iesu Christi sapientia. Primum ibi: Abeuntes pharisaei. Secundum ibi: Cognita autem Iesus nequitia etc. In hac et sequenti dominica leguntur duodecim prophetae, et in introitu hodiernae missae cantatur: Omnes gentes; et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses: Imitatores mei estote, quam in duabus particulis volumus dividere et cum supradictis evangelii clausulis concordare. Prima: Imitatores. Secunda: Nostra conversatio in caelis est. Ideo haec epistola cum hoc evangelio legitur, quia in evangelio loquitur Matthaeus de pharisaeis et herodianis, 'qui interpretantur gloria pellis', nec non de denario insignito imagine Caesaris; et Apostolus loquitur in epistola de inimicis crucis Christi, quorum gloria in confusione ipsorum, et de corpore nostro, quod erit insignitum claritate summi regis.

I – De pharisaeorum astuta nequitia

5 – Dicamus ergo: Abeuntes pharisaei consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone. "Pharisaei interpretantur divisi", et significant superbos et carnales Ecclesiae praelatos, de quibus dicit Osee: Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt. Convivium sanctorum est non tantum sua sed alterius peccata plangere, ad aeterna suspirare, dulcedinem internae beatitudinis degustare. Ab isto convivio separatum est, a convivio pharisaeorum, qui fornicatione fornicati sunt. Unde de eis Dominus, iterum in Osee: In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel. Sed, et Iuda, pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei. In domo Israel, idest in Ecclesia, vidi horrendum, scilicet fornicationes Ephraim, qui interpretatur "fructificatio", idest religiosorum, qui deberent fructificare, sed per avaritiam et alia vitia idolatrant. Et Israel, idest praelatus, contaminatus est, scilicet vitiis. Unde iterum dicit Osee: Proiectus est vitulus tuus, Samaria; iratus est furor meus in eis. Usquequo non poterunt emundari? Quia ex Israel et ipse est. Samaria est Ecclesia, cuius vitulus, 'idest praelatus, lasciviens et petulans', extento collo et ventre praeambulo incedens, proiectus est a Domino. De quo iterum dicit Osee: Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. Et ideo, ut dicit Ieremias: Vitula elegans atque formosa Aegyptus; stimulator, idest avaritiae et luxuriae stimulus, ab aquilone, idest diabolo, veniet ei. Et ideo in talibus praelatis non solum irascitur Dominus, sed etiam furit. Usquequo non potuit emundari populus a petulantia et lascivia et similibus? Quasi diceret: Non potest mundari populus ab his, quia ex Israel ipse est, idest quia ista videt in suis praelatis. Contaminatus est ergo Israel. Sed, o tu Iuda, idest simplex populus laicorum, licet tales sint religiosi et praelati, para tibi messem, idest bona opera, noli respicere ad eos, et hoc cum convertero captivitatem, 'idest peccata indurata, sicut torrens in austro, idest per gratiam Sancti Spiritus'. Item, de his pharisaeis dicit Osee: Divisum est cor eorum, nunc interibunt; ipse confringet

simulacra eorum et depopulabitur aras eorum. Qui cor habet divisum vadit in interitum. Unde dicitur in tertio libro Regum, ‘quod Ieroboam, “qui interpretatur divisio”, percussus interiit ipse et domus eius tota, usque mingentem ad parietem’. Ipse Dominus omnipotens confringet pharisaeorum simulacra, idest hypocrisim et iactantiam, et depopulabitur aras, idest divitiarum opulentiam et carnis petulantiam, super quibus diabolo sacrificant. De istis ergo dicitur: Abeuntes pharisaei. Quo abeuntes? Uxor fornicaria dicit in Osee: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, et lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum. Uxor fornicaria est quaelibet anima, spiritualiter fornicans, quae post amatores suos vadit, cum carnis sensibus obedit. ‘Per panem intelligitur delectatio et prosperitas saecularis’. Unde Iob: Abominabilis fit ei panis in vita sua. ‘Per aquam, luxuria’, unde Iob: Sub umbra dormit, et in secreto calami et in locis humentibus. ‘Per lanam, innocentia in superficie’, unde dicitur in Levitico, ‘quod albor in cute lepra est’. ‘Per linum, subtilitas decipiendi’, unde Isaias: Confundentur qui operabantur linum, plectentes et texentes subtilia. Unde dicitur linum “quod sit molle et lene”. Per oleum, adulatio, unde: Oleum peccatoris non impinguet caput meum, “idest meam mentem, idest non crescat caput meum de adulatione falsa”. Ecce quo pharisaei abierunt.

6 – Abeuntes ergo pharisaei inierunt consilium. De quo Isaias: Vae, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum; qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum, et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis et habentes fiduciam in umbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam. Filii desertores sunt illi, de quibus dicit Osee: Fonicatus est Ephraim, idest laici; contaminatus est Israel, idest clerici; non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. Ut faceretis consilium, et non ex me. Unde Dominus in Osee: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et non cognovi. Et ordiremini telam. Unde Osee: In aranearum telas erit vitulus Samariae. Quia ventum seminabunt, et turbinem metent. Sicut tela aranearum vento dissipatur et dissolvitur, sic vitulus, idest clericorum petulantia, in nihilum redigetur. Sicut ventus turbinem movet, pulverem elevando, ita amor temporalium, qui est quasi ventus, movet et ducit ad turbinem damnationis aeternae. Et non per spiritum meum. De quo Isaias: Ipsi ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt spiritum Sancti eius, et conversus est eis in inimicum. Unde Michaeas: Numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? Et e contrario populus meus in adversarium consurrexit. Spiritus Domini abbreviatur, cum peccatori gratia subtrahitur; sed poenitentibus est largus, cum eis gratia infunditur. Ut adderetis peccatum. Unde Osee: Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Domini in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Quia peccatum peccato, nova veteribus addunt. Sicut ripae tenent fluvium, ne inundet, ita timor Dei et pudor saeculi, qui quasi duae ripae deberent restringere inundationem peccatorum. Quod minime factum est in clericis, quia ‘timor Dei non est ante oculos eorum’, et ‘frons meretricis facta est eis; noluerunt erubescere’. Qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum, idest mundi avaritiam, de qua Amos: Percute cardinem, et commoveantur superliminaria; avaritia enim in capite omnium. Per

cardinem, ‘in quo volvitur ostium’, intelligitur usus clavium in praelatis, vel excludendi vel admittendi in Ecclesiam. Per superliminaria intelligitur excellentia dignitatis sacerdotalis, quae per ignem cupiditatis et superbiae venit in ruinam. Et os meum non interrogastis. Unde Amos: Dominus Deus non facit verbum nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, idest sensus carnalis. Contra quem in Ieremia: Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur: scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam in terra. Hoc enim placet mihi, ait Dominus. Et habentes fiduciam in umbra Aegypti, idest mundanae potestatis, quae est quasi umbra transiens.

7 – Unde, super hoc habes concordantiam in Iona propheta, ubi dicitur quod praeparavit Dominus hederam “vel cucurbitam” – “in Hebraeo cicion legitur pro cucurbita, quae cito surgit et cito arescit” –. Et ascendit super caput Ionae, ut esset umbra super caput eius et protegeret eum; laboraverat enim. Et laetatus est Ionas super cucurbita laetitia magna. Et praeparavit Dominus vermem in ascensu diluculi in crastinum; et percussit cucurbitam et exaruit. Et cum ortus fuisset sol, praecepit Dominus vento calido et urenti, et percussit sol super caput Ionae et aestuabat; et petiit animae suae ut moreretur. Per cucurbitam intelligitur mundana potestas, cuius fructus, dum in virore est, comestibilis est, postea fit siccum lignum. Ita in peccato: primo est delectatio, quae transit, sed postea remanet reatus et macula in anima, et nisi subsecuta fuerit poenitentia subsequetur mors aeterna. Sed in ascensu diluculi, idest ortu gratiae, haec cucurbita arescit, quia tunc, dente vermis conscientiae remordentis, omnis mundi gloria percutitur, idest nihil reputatur; et hoc in crastinum, quod est post diem illam, de qua Iob: Maledicta dies in qua natus sum. Et tunc percutit sol, idest amor Dei, super caput, idest mentem, non solum irradians sed vulnerans ad poenitentiam; et sic petit animae, idest animalitati suae, ut moreretur. De hoc etiam invenies in secunda clausula: In principio creavit Deus. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam. Unde Osee: Vidit Ephraim languorem suum, et Iudas vinculum suum; et abiit Ephraim ad Assur et misit ad regem ultorem; et ipse non poterit salvare vos neque solvere poterit a vobis vinculum. Hoc est quod dicit Isaias: Frustra et vane auxiliabitur Aegyptus. Non enim Assur, idest diabolus, vel Aegyptus, idest mundus, potest removere infirmitatem aut languorem ab homine. Unde Iob: Oculi impiorum deficient, et effugium peribit ab eis Et HORATIUS: “Non domus et fundus, non aeris acervus et auri, aegroto domini deduxit corpore febres”.

8 – Sequitur: Ut caperent Iesum in sermone. Sic hodie pharisaei capere nituntur praedicantem Iesum in sermone ad populum. Faciunt enim sicut fecit Amasias, de quo dicitur in Amos propheta, quod misit Amasias, sacerdos Bethel, ad Ieroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel; non poterit terra sustinere universos sermones eius. Haec enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere; fuge in terram Iuda, et comede ibi panem, et ibi prophetabis. Hoc nostri temporis pharisaei solent dicere praedicatoribus, cum eorum malitia ab eis reprehenditur, et ad superiorem de eis mittunt quaerimoniam. Qui audit, audiat, et qui intelligit, intelligat. Sequitur: Et mittunt ei discipulos suos cum herodianis, “idest militibus Herodis”, “qui eo tempore erat Ierosolymis”. “Erat ergo seditio in populo, ut ibi dicit GLOSSA, aliis

dicentibus debere dari tributa pro securitate et quiete, cum Romani pro omnibus militent. Pharisaeis contra dicentibus non debere populum Dei, qui decimas solvit etc., quae lex dicit humanis legibus subiacere". Et bene pharisaeorum discipuli cum herodianis coniunguntur, quia discipuli divisionis, cum a vera gloria dividuntur, falsae inani gloriae et transitoriae coniunguntur. De qua habes concordantiam in Osee: Ephraim quasi avis avolavit; gloria eorum a partu et ab utero et a conceptu, "subaudis, avolavit". Hodie multi sunt, qui quamdiu sunt implumes, idest pauperes et ignobiles, stant in nido humilitatis, sed cum habent alas et plumas, idest divitias et dignitates, avolant et superbiunt; et gloria eorum in alis suis, cum deberent attendere quanta fuerit miseria eorum in conceptu et nutritione et educatione. Item, Osee: Ligavit eum spiritus in alis suis. Alae sunt intellectus et affectio. Intellectus volat per campum veritatis, illa per discretionem boni, sed utramque ligat spiritus vanaegloriae. Sequitur: Magister, scimus quia verax es. "Magister dicitur maior in statione, nam sterrïn graece, statio dicitur latine". Magistrum vocant, ut, "quasi laudatus, mysterium cordis sui simpliciter aperiat, eosque velit habere discipulos". Quia verax es, et viam Dei in veritate doces. De qua in Psalmo: Dirige me in veritate tua. Dirige me, "errores fugientem", in veritate tua, ut recte vivam et pie, sicut veritas exigit, et doce me "ipsam veritatem". Et non est tibi cura de aliquo. "Eo provocant, ut Deum magis quam Caesarem timeat et non debere solvi tributa dicat, ut inde quasi actor seditionis fiat". Non enim respicis personam hominum. Unde Habacuc: Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; et respicere ad iniquitatem non poteris. Persona dicta, quod per se una est. Dic ergo nobis quid tibi videtur. Licet censum dari Caesari, an non? De hac quaestione erit satisfactum in sequentibus.

9 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Imitatores mei estote, fratres. "Etsi me praesentem non habetis, mihi similes imitamini". Et, hoc est, observate, "idest diligenter inspicite", eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram, "idest imaginem vitae nostrae", de qua dicit Petrus: Forma facti gregis ex animo. Beatus ille praelatus, qui suae vitae forma potest deformatos informare. Multi enim ambulant, scilicet pharisaei, qui sunt inimici crucis Christi. Pro quorum perditione flebat Apostolus: Quorum finis, "idest in fine eorum erit", interitus, "idest aeterna poena", quorum Deus venter est. Per similitudinem saepe Scriptura loquitur, ut quod in re aliqua discerni non potest, in consimili discernatur. Per similitudinem Deo venter comparatur, cum dicitur: Quorum Deus venter est, et gloria in confusione. "Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coci, immolatae pecudes coctae carnes, fumus incensorum odor saporum". Haec in Ierusalem non construuntur, sed in Babylonia, quia quorum Deus venter est et gloria in confusione erit. Ipse enim, princeps cocorum, qui muros Ierusalem destruxit, qui transtulit vasa Domini in domo regis Babylonis, et fecit vasa templi vasa palatii, et, ut verius dicam, vasa mensae divinae fecit vasa coquinae. Ait enim Apostolus: Templum Dei sanctum est quod estis vos. In hoc templo vasa sunt corda, quae tunc vasa sunt templi Domini, cum plena virtutibus placent divinae voluntati; fiunt autem vasa palatii, quando placere student cuilibet humanae potestati; fiunt etiam vasa coquinae, dum quod prius sobrietati servierat, postea servit gulae. Unde Ieremias: Qui nutriebantur, inquit, in croceis amplexati sunt stercora. 'Crocus in Oriente nascitur, et colorat et saporat'. In croceis igitur nutriuntur, qui in initio conversionis suae interius sapore virtutum reficiuntur, exterius exemplo boni operis

colorantur. Sed hi qui sic in croceis nutriuntur amplexantur stercora, dum post opus pietatis et continentiae revocat eos ventris cura, et fit quandoque ut, qui in domo sua ante conversionem sobrie vixerant, postmodum in monasterio gulosi fiant. Placatur Deus venter diversorum hostiis ferculorum, inclinat aurem rumoribus, excitatur saporum generibus, demulcetur confabulatione non oratione, otio gratulatur, somnolentia delectatur. Habet itaque monachos, canonicos, et conversos, qui ei obnoxius serviunt, eos videlicet qui sub otio in Ecclesia Dei remisse vivunt, qui non quaerunt secretas orationes, sed fabulosas otiosorum confessiones, inter quos non audiuntur singultus et suspiria compunctae mentis, sed risus et cachinnationes et ructus ingurgitati ventris. Tales abeuntes ineunt consilium, 'in quod non veniat anima mea'. Unde rogemus, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut a pharisaeorum divisione nos dividat, in suae veritatis doctrina confirmet, a gulae vitio custodiat, qua ad vitae aeternae epulum pervenire mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

II – De Iesu Chriisti sapientia

10 – Sequitur secundum. Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritae? Eorum nequitiam cognovit, qui omnium habet notitiam, quem nil latere vel fugere potest. Unde dicit in Amos propheta: Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos; et si ascenderint usque ad caelum, inde detraham eos; et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans corda auferam eos. Et si celaverint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti et mordebit eos. Quid ergo me tentatis hypocritae? "Qui aliud in corde et aliud habetis in ore". Omnis, inquit Isaias, hypocrita est et nequam, et universum os locutum est mendacium. Ostendite, inquit, numisma census, idest "nummum, qui pro censu solvitur, qui et habebat imaginem Caesaris". At illi obtulerunt ei denarium, "qui pro decem nummis computabatur". Et ait illis Iesus: Cuius est imago haec et superscriptio? Dicunt ei: Caesaris. Nota ista tria: denarium, imaginem et superscriptionem. Sicut denarius imagine regis, sic anima nostra sanctae Trinitatis imagine signatur. Unde in Psalmo: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Ibi dicit GLOSSA: 'O Domine, lumen vultus tui, idest lumen gratiae, qua reformatur imago tua in nobis', qua tibi similes sumus, 'est signatum super nos, idest impressum rationi, quae est superior vis animae, qua Deo similes sumus, cui impressum est illud lumen, ut sigillum cerae'. 'Vultus ergo Dei ratio nostra accipitur, quia sicut per vultum quis cognoscitur, ita per speculum rationis cognoscitur Deus'. Haec autem ratio per peccatum hominis deformata est, per quod homo dissimilis Deo factus est, sed per gratiam Christi reparata est. Unde Apostolus: Renovamini spiritu mentis vestrae. Gratia ergo, qua renovatur imago creata, hic lumen dicitur. Et nota quod, "triplex est imago: similitudinis, creationis, in qua creatus est homo, scilicet ratio, et recreationis, per quam reformatur imago creata, scilicet Dei gratia, quae menti reparandae infunditur; imago similitudinis, ad quam factus est homo ad imaginem et similitudinem totius Trinitatis: per memoriam similis Patri, per intelligentiam Filio, per dilectionem Spiritui Sancto. Unde AUGUSTINUS: Meminerim te, intelligam te et diligam te". 'Factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei: imago in cognitione veritatis, similitudo in amore virtutis'. Lumen ergo vultus Dei est gratia iustificationis, qua imago creata insignitur. "Hoc lumen est totum et verum hominis bonum, quo signatur, ut denarius imagine regis", Unde Dominus subinfert in hoc evangelio: Reddite quae sunt Caesaris Caesari etc. Ac si

diceret: “Sicut redditis Caesari suam imaginem, sic animam reddite Deo, lumine vultus eius illustratam et signatam”.

11 – Super hoc habes concordantiam in Zacharia propheta: Vidi, inquit, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius, et septem lucernae eius super illud, et septem infusoria lucernis quae erant super caput illius. Et duae olivae super illud, una a dextris lampadis, et alia a sinistris eius. Quid ista quinque: candelabrum, lampas, lucernae, infusoria et olivae moraliter significent, videamus. Candelabrum et denarius, lampas et imago, idem significant. Candelabrum est anima, quae tota dicitur aurea, quia ad imaginem et similitudinem Dei facta. Unde Ecclesiasticus: “Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum, ut sic vivat et sapiat et memoriam habeat et intellectum et voluntatem. Unde: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc., idest ex toto intellectu, voluntate, memoria. Sicut autem ex Patre Filius, ex utroque Spiritus Sanctus, ita ex intellectu voluntas, et ex utroque memoria, nec sine his tribus potest esse anima perfecta; nec unum, quantum ad beatitudinem pertinet, sine aliis integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tres dii sed unus Deus, tres habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animae sed una anima, tres habens potestates, in quibus imaginem Dei mirabiliter gerit. Quibus quasi excellentioribus iubemur diligere Conditorem, ut quantum intelligatur et diligatur semper in memoria habeatur. Nec sufficit Deo intellectus, nisi voluntas sit in amore eius; nec ista duo, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus; Quia sicut nullum momentum est quo homo non fruatur vel utatur Dei bonitate, ita semper in memoria debet praesens esse. Ad similitudinem quoque Dei factus est homo, ut sicut Deus caritas est, bonus, iustus, mitis, misericors, ita homo caritatem habeat, sit bonus, iustus etc.” Vidi ergo candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius. Lampas est infusio gratiae, qua anima illuminatur. Unde, de viro iusto, hac lampade illuminato, dicit Iob: Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. GREGORIUS: “Iusti simplicitas et lampas dicitur et contempta. Lampas, quia interius lucet in conscientia, contempta, quia apud mentes carnalium abiecta aestimatur”, et “a duplicibus quasi fatuitas” reputatur. Quasi mortuos reputant quos non secum vivere carnaliter pensant. “Statutum contemptae lampadis tempus est extremi iudicii praedestinatus dies, quo iustus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur”.

12 – Et septem lucernae eius super illud, et septem infusoria, “quibus oleum infunditur in lucernas”. Nota quod, septem lucernae sunt septem beatitudines, et septem infusoria septem sunt verba in cruce a Christo prolata, quae omnia ad invicem concordemus. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Eli, Eli, lamma sabacthani? Hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sitio! Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Consummatum est! Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Qui paupertate spiritus ditatur, vere cum Iesu Christo pro se persequentibus potest orare, dicens: Pater, ignosce illis etc. Qui spiritu est humilis in se delinquenti ignoscit, preces fundit. E contra facit Edom, idest superbus peccator, de quo dicit Dominus in Amos propheta: Super tribus sceleribus Edom, et super quattuor, non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam eius, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem; mittam ignem in Theman et devorabit aedes Bosrae. Primum peccatum est mala cogitare, secundum consentire, tertium opere implere, quartum non poenitere. Qui in tribus prioribus peccat, si poenitet, convertit eum Deus ad vultum clementiae suae; si vero non poenitet, avertitur ab eo vultus clementiae. "Edom, ut ibi dicit GLOSSA, ipse est qui et Esau et Seir. Iste persecutus est Iacob, ut timore eius fugeret in Mesopotamiam, et non servavit in eo viscera misericordiae. Et odium, quod fuit in patre, servaverunt Idumaei, geniti ab eo, contra filios Iacob, ut egredientibus de Aegypto, ne transitum quidem in terram sanctam concederent, in hoc violantes misericordiam, ut fratres esse nescirent". Hoc totum faciunt illi, qui odiunt fratres suos, qui non sunt pauperes spiritu, et ideo mittet Dominus ignem gehennae in Theman, "quod interpretatur auster", idest in illos, qui tempore mundanae prosperitatis dissolvuntur; et devorabit aedes Bosrae, "quae interpretatur munita", idest illos, qui excusationibus se muniunt, ut remaneant in peccatis. MORALITER. "Edom interpretatur sanguineus", et significat carnem nostram, quae gulae et luxuriae sanguine delectatur; haec persequitur, in gladio concupiscentiae, fratrem suum Iacob, idest spiritum nostrum, et vult violare misericordiam ei a Deo debitam. Et ideo orat ad Dominum, dicens in Genesi: Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo; ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. Spiritus carnem timet, et iam de eius concupiscentiae manu erui exorat, quae, si ad consensum pervenerit, percutiet matrem cum filiis, idest rationem cum affectibus, vel ipsam animam cum bonis operibus.

13 – Item, ille qui mitis est, qui non afficit nec afficitur opprobriis, non scandalizat nec scandalizatur, cum bono latrone, immo confessore, audire meretur: Hodie mecum eris in paradiso, quae est terra viventium, quam possidet mitis. Hanc terram non possidebunt avari, qui, tamquam bestiae immites, mentem suam dilaniant in acquirendo, alios scandalizant in rapiendo. Et ideo numquam sibilum aurae tenuis, Hodie mecum eris in paradiso, sed tonitruum divinae maledictionis, Ite, maledicti, in ignem aeternum, audire merebuntur. Unde de talibus dicitur in Zacharia: Leva, inquit angelus, oculos tuos et vide quid est hoc quod egreditur. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Haec est amphora egrediens. Et dixit: Haec est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur; et ecce mulier una sedens in medio amphorae. Et dixit: Haec est impietas. Et proiecit eam in medio amphorae, et misit massam plumbeam in os eius. Et levavi oculos meos et vidi; et ecce duae mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi milvi; et levaverunt amphoram inter caelum et terram. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istae deferunt amphoram? Et dixit: Ut aedificetur ei domus in terra Sennaar. Per amphoram intelligitur avaritia, cuius os non clauditur, sed semper apertum est in ambitu temporalium'. 'Haec est oculus in universa terra, quia omnes scientes sunt et cognoscentes avaritiam, et ad illam habent oculos. Comes avaritiae est massa plumbi, sive globus in ore, scilicet poena aeterna, quae nec transglutiri nec eici potest'. Duae mulieres sunt rapina et furtum. Rapina attenditur in altis personis, furtum in minoribus. Hae dicuntur habere alas milvi, qui rapinae intendit. "Milvus dicitur, quasi mollis avis et

viribus et volatu, rapacissimus tamen, domesticis insidiatur avibus"; et ideo significat rapacem elatum. Ista amphora levatur inter caelum et terram, quia avarus nec in caelo cum angelis, nec in terra cum hominibus, sed in aere, cum Iuda proditore et daemonibus, eligit sibi locum. Hae mulieres non dimittunt avarum, donec constituant in campo Sennaar, idest in loco foetoris, idest in inferno. "Sennaar enim interpretatur foetor".

14 – Item, qui pro peccatis suis vel proximi, vel miseria huius exilii, vel dilatione regni luget, a Domino consolatur, qui matrem suam, de sua Passione lugentem, consolatus est, dicens: Mulier, ecce filius tuus. Unde de eo dicit Nahum propheta: Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. Unde dicit in Zacharia: Ego ero ei murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio eius. Dicitur in Exodo: Ros iacuit per circuitum castrorum. Christus est murus defensionis suis igneus, comburens adversarios, et in medio gloria refrigerans suos.

15 – Item, qui esuriem et sitim habet iustitiae, reddit unicuique quod suum est, scilicet Deo et proximo dilectionem, sibi ipsi pro commissis afflictionem. Haec triplex iustitia in illis tribus verbis notatur: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Bis dicit Deus, propter geminam dilectionem, dereliquisti, propter corporalem poenam. Unde ibi dicit GLOSSA: 'Quare me dereliquisti? idest: quare me tantae poenae exposuisti?' dicit Filius ad Patrem. De his tribus verbis dicit Habacuc: Iustus ex fide vivit, "Iustus dictus, quia iura custodit". Iustus refertur ad se, ex fide ad Deum, vivit ad proximum. Qui iustus est, in seipso iura custodiens, seipsum iudicans et condemnans, ex fide Dei vivit in amore proximi. Qui vero, ut dicit Ioannes, non diligit, manet in morte.

16 – Item, qui misericors est in alio, Deus misericors erit in illo. Hoc immisericordes iudaei non fecerunt, qui Christo in cruce sitienti non calicem aquae frigidae sed 'acetum felle mixtum obtulerunt; qui, cum gustasset, noluit bibere', quia amaritudinem, idest poenam culpae nostrae, gustavit, sed culpam non sibi incorporavit. Hoc idem faciunt hodie Iesu Christo falsi christiani, deteriores iudaeis; et ideo misericordiam non invenient in tempore tribulationis. Nota, in aceto tria sunt consideranda. Primo enim fuit acerbum; secundo vinum depuratum; tertio deterioratum fuit in acetum. Sic falsus christianus: ante Baptismum fuit uva agrestis et acerba, quia infidelis: 'Omnes, inquit Apostolus, nati sumus filii irae'; suscepto Baptismo, factus est quasi vinum odoriferum, scilicet per fidem; sed postea deterioratus est in acetum, scilicet per mortale peccatum. Unde "acetum dicitur, quod acutum sit, vel quasi aquatum. Vinum enim mixtum aqua, cito in hunc saporem vertitur. Unde acidum, quasi aquidum". Cum fidelis quisque miscetur aquae carnalis voluptatis, cito vertitur in acetum mortalis peccati, quod quantum in se est propinat Christo, non dico in cruce pendenti, sed iam in caelo regnanti. Unde ipse conqueritur per Isaiam: Expectavi ut vinea mea faceret uvas, et fecit labruscas. Quod exponens, adiungit: Expectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas; iustitiam, et ecce clamor. "Labrusca dicta, quod in labris viarum pendeat". Opera enim peccatoris, scilicet iniquitas avaritiae et clamor luxuriae, sunt quasi labruscae in via, quae ab omni diripiuntur transeunte. Unde Ezechiel: Ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae, et abominabilem fecisti decorem tuum; et divisisti pedes tuos omni transeunti.

17 – Item, qui munditiam cordis vult habere, ut Deum videat, necesse est ut omni peccato finem imponat, ut dicat cum Iesu: Consummatum est. Sed iniquitates Amorrhaeorum nondum consummatae sunt, et ideo, ut dicit Isaias, consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae. Et Ezechiel: Haec dicit Dominus Deus: Finis venit, venit finis super quattuor plagas terrae; nunc finis super te, et immittam furorem meum in te, et iudicabo te iuxta vias tuas.

18 – Item, qui pacem habet pectoris, vere meretur vocari filius Dei Patris, cui, cum ipsius Unigenito, dicit in hora suae mortis: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, quia a pace pectoris ad pacem transit aeternitatis. Unde ipse promittit in Isaia: In laetitia egrediemini, scilicet a corporibus, et in pace deducemini; montes et colles, idest maiores et minores, angelicae potestates, cantabunt coram vobis laudem, et onnia ligna regionis, idest omnes sanctorum animae, quae sunt in caelesti beatitudine, plaudent manu, exultantes de vestro adventu. Hae sunt septem lucernae et septem infusoria, quibus illuminatur candelabrum, et signatur imagine regis denarius, idest anima.

19 – Sequitur: Et duae olivae super illud, una a dextris lampadis et una a sinistris eius. Lampas est gratiae illuminatio. Duae olivae, spes et timor, quae gratiam infusam conservant: spes veniae a dextris, timor poenae a sinistris. De his duobus dicit Michaeas: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: Utique facere iudicium, ex quo timor, et diligere misericordiam, idest "opera misericordiae", ex qua spes, et sollicite ambulare cum Deo tuo. Ibi dicit GLOSSA: "In his nihil aliud praemii quaeras, nisi ut Deo placeas et cum Deo ambules, sicut Enoch, et per eum cum Enoch transferaris. Ubi timor et spes, ibi sollicita conversatio cum Deo". Et attende quod, oleum superenatat omni liquori, et in hoc significat spem, quae est de aeternis, quae supereminet omni transitorio. Unde "spes dicta, quod sit pes progrediendi" ad Dominum. "Spes est bonorum futurorum expectatio", quae exprimit humilitatis affectum et sedulum servitutis obsequium. Oleum etiam cibos condit, et nos omne opus quod agimus timore condire debemus. Unde in Psalmo: Servite Domino in timore, ut 'qui stat videat ne cadat'. Ne vero misera servitus videatur, addit: Et exultate ei. Sed, ne iterum in temeritatem eatur, subditur: cum tremore. Ecce iam habes quid significent et quomodo concordant denarius insignitus imagine et candelabrum illuminatum lampade. Dicamus ergo: Cuius est imago haec et superscriptio? Superscriptio in denario est 'nomen Christi, quod est super omne nomen', in christiano. A Christo enim non ab alio denominamur. Unde ipse dicit in Psalmo: In libro tuo omnes scribentur; dies formabuntur et nemo in eis. 'O Pater', in libro tuo, "idest in me", qui sum liber vitae, omnes fideles mei scribentur, "idest instruentur et nominabuntur". Dies, "idest maiores, ut apostoli, de quibus dicitur: Dies diei eructat verbum", formabuntur, scilicet "in me, a quo perfectionem gratiae sumunt", et nemo "meorum" formabitur in eis, "quia 'non dicuntur esse Petri vel Pauli, sed Christi', a quo christiani dicuntur".

20 – Huic secundae evangelii clausulae concordat secunda particula epistolae: Nostra conversatio in caelis est. Ut nostra conversatio sit in caelis, exorandus est Dominus, ut faciat illud nobis, quod ipse dicit de Iesu, "filio Iosedech", in Zacharia: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim super

caput eius mundam et induerunt vestibus albis. Vestimenta sordida conversationem mundanam significant, quae animam et conscientiam sordidat. Unde in Apocalypsi: Qui in sordibus est sordescat adhuc. Et Ieremias: Sordes eius in pedibus eius, idest conversationis immunditia in fine vitae. Unde Ioel: Computruerunt iumenta in stercore suo. Ecce, inquit, abstuli a te iniquitatem tuam. "Haec sunt sordida vestimenta". Prius Dominus aufert immunditiam pristinae conversationis, et postea induit mutatoriis, idest virtutibus et moribus honestis, ex quibus formatur conversatio caelestis. Ponite, inquit, cidarim super caput eius. "Cidaris est mitra", quae duo habet cornua, in quibus utriusque Testamenti scientia vel gemina dilectio designatur. Cidaris ergo in capite est scientia vel gemina dilectio in mente. Vestimenta alba sunt opera pura in carne. Unde Dominus in Apocalypsi: Ambulabunt, inquit, mecum in albis quia digni sunt, quorum conversatio in caelis est. Unde etiam salvatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis, 'idest vilitatis', nostrae, configuratum corpori claritatis suae'. Ecce qualiter denarius imagine nostri regis erit insignitus. Qui non in terrenis conversatur, sed in caelis, secure salvatorem expectare poterit. Quod contradicit Amos propheta: Vae desiderantibus diem Domini! Ad quid eam vobis? Dies ista Domini tenebrae et non lux, "idest tribulatio" et non prosperitas. In qua tunc videbunt quod ista opera, quae reputabant lucida, erunt tenebrosa. "Multi superbi, ut ibi dicit GLOSSA, ut iusti videantur, dicunt se desiderare diem iudicii, vel suae mortis, ut incipiant esse cum Christo. Sed istis dicit esse vae, quia nullus sine peccato, et in hoc quod sibi non timent, digni sunt supplicio". Illi ergo soli Dominum Iesum secure expectant, qui conversatione in caelis habitant.

21 – Et ideo sancta Ecclesia in introitu hodiernae missae invitat ad laudem Iesu Christi, dicens: Omnes gentes, 'ad fidem et poenitentiam conversae', quarum conversatio in caelis est, plaudite manibus, "idest gaudete bonis operibus", iubilate Deo in voce exultationis. Quasi diceret: "Concordent manus et lingua: illa operetur et haec confiteatur". Unde in Levitico, 'caput turturis iubetur retorqueri ad ascellas', 'idest verba ad opera'. Et "quae est causa plaudendi et iubilandi?" Haec scilicet, quia Dominus Iesus reformabit corpus vilitatis et miseriae nostrae, ut sit tamquam denarius, figuratus regis imagine, scilicet configuratum corpori claritatis suae, quia "similes ei erimus" et 'videbimus eum facie ad faciem', "sicuti est", cuius claritas in facie nostra resultabit. Eia ergo, fratres carissimi, ipsum salvatorem Dominum Iesum Christum suppliciter exoremus, ut denarium et candelabrum, idest nostram animam, imagine et lampade reformet et illuminet, qua, in anima et corpore reformati, in gloria resurrectionis configurari mereamur ipsius claritati. Quam nobis praestare dignetur ipse, qui est benedictus et gloriosus et excelsus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis anima, imagine regis insignita: Amen. Alleluia.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in vigesimaquarta dominica post Pentecosten: Loquente Iesu ad turbas, quod dividitur in duabus clausulis. In primis thema sermonis de creatione angelorum et

animarum, et praedicatione et fide, ibi: Praeparare in occursum Dei. Item thema sermonis in die Pentecostes, ibi: Cum audierit sonitum gradientis. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de quattuor lucernis et earum significatione, ibi: Scrutabor Ierusalem. Item de custodia cordis, ibi: Super custodiam meam stabo. Item thema sermonis ad poenitentes de confessione, ibi: Levavi oculos meos et vidi; et ecce vir. Item de quattuor cornibus in Zacharia et eorum significatione, ibi: Levavi oculos meos et vidi; et ecce quattuor cornua. Item ad claustrales, ibi: Ecce ego lactabo. [DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis contra carnales de senario vitiorum, ibi: Vadam post amatores meos. Item contra illos qui in infirmitate de medicis et divitiis confidunt, ibi: Aegrotavit Asa. Item de Passione Iesu Christi, ibi: Tetigit fimbriam.

Exordium. De creatione angelorum et animarum, et praedicatione et fide

1 – In illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est etc. Dicit Amos propheta: Praeparare in occursum Dei tui, Israel; quia ecce formans montes et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terrae, Dominus Deus exercituum nomen eius. Nota ista quinque: montes, ventum, eloquium, nebulam et excelsa terrae. ALLEGORICE. O Israel, idest anima fidelis, quae fide vides Deum, praeparare in occursum Dei tui, quia prope est ipsius adventus, qui in sequenti dominica celebrabitur. Forte quaeris: "Quis ille? Iste est formans montes", idest angelicos spiritus, qui propter gloriae excellentiam dicuntur montes. Unde in Canticis: Ecce iste venit, satiens in montibus, transiliens colles. Dei Filius, ad Incarnationem veniens, choros angelorum, tam maiorum quam minorum, transilivit et nuntium suum praevenit. Creans ventum, "idest animas", de quibus in Psalmo: Volavit super pennas ventorum. "Quia incomprehensibilitas Iesu Christi, ut ibi dicit GLOSSA, superat virtutes animarum", "quibus ipsae animae se velut pennis a terrenis timoribus in auras libertatis attollunt". Item Iob: Qui fecit ventis pondus. Deus pondus carnis animabus fecit, ne in superbiam evanescerent sicut diabolus. Et annuntians homini eloquium suum. "Creare est ex nihilo aliquid facere". Animas Deus creat ex nihilo, quia, ut dicit AUGUSTINUS, "infundendo creat et creando infundit". Unde in Psalmo: Qui finxit sigillatim corda eorum, idest "creavit, ut ibi dicit GLOSSA, animas sigillatim, idest singulas per se ex nihilo, non ex Adam, ut quidam dicunt, putantes animam esse ex anima". Qui ergo creavit animas, ipse annuntiat eis eloquium suum, ex quo vivit anima, de quo in Psalmo: Ignitum eloquium tuum vehementer. Ibi dicit GLOSSA: "Urit sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, purgat corda ut fornax aurum, accendit ad amorem Dei et illuminat audientes". Faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terrae. Ibi dicit GLOSSA: "Nebula pinguedo aeris est, et significat pinguedinem fidei, quae mane, idest tempore Baptismi, concipitur. Excelsa terrae, virtutes vel sancti, in culmine virtutum constituti. Deus vero virtutes omnium transcendit et in cordibus suorum graditur".

2 – Unde, super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicit Dominus ad David: Cum audieris sonitum gradientis in cacumine Pyrorum, tunc inibis proelium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. "Pyrus dicitur a pyr graeco, quod est ignis". "Istius arboris pomum videtur quod in ignis specie sit formatum, nam ab amplo incipit et in angustum finit sicut ignis". 'Pyri ergo sunt sancti',

igne caritatis inflammati, quorum opera ab amplo caritatis incipiunt, et in angusto humilitatis terminantur. Unde eis dicit Dominus: Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. 'Istorum Pyrorum cacumen est vitae sublimitas', unde cacumen dicitur quasi capitis acumen. Sonitus est infusio gratiae Iesu Christi, qui graditur in sublimi vita sanctorum. Hic sonitus cum auditur a viro iusto, tunc Philisthaei, idest carnis motus vel maligni spiritus, superantur. Qui ergo haec omnia supra dicta potuit facere, bene mulierem a profluvio sanguinis liberare et filiam archisynagogi a morte potuit resuscitare. Unde dicitur in hodierno evangelio: Loquente Iesu ad turbas etc.

3 – Nota quod in hoc evangelio duo notantur, scilicet mulieris a profluvio sanguinis curatio et filiae archisynagogi resuscitatio. Primum, ibi: Ecce mulier etc. Secundum, ibi: Cum venisset Iesus in domum principis etc. Introitus proprius hodiernae missae vacat. In qua legitur epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses: Non cessamus, quam in duabus particulis volumus dividere et cum duabus evangelii clausulis concordare. Prima particula: Non cessamus. Secunda: Gratias agentes Deo Patri. Matthaeus in hodierno evangelio agit de curatione mulieris haemorrhoissae et resuscitatione puellae. Paulus in hodierna epistola orat, ut impleamur agnitione voluntatis Dei, quae restringit fluxum sanguinis, idest carnalis voluptatis, et dicit nos ereptos de potestate tenebrarum, quemadmodum puella de mortis tenebris fuit erepta. Et ideo haec epistola cum isto legitur evangelio.

I – De filiae archisynagogi resuscitatione

4 – Dicamus ergo: Loquente Iesu ad turbas. Nota quod mors puellae et fluxus sanguinis peccatum mortale significant, in consensu mentis et executione operis. De primo disseramus. Ecce, inquit, princeps unus accessit, et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivet. Marcus et Lucas dicunt, 'nomine, Iairum archisynagogum'. "Iairus interpretatur illuminatus vel illuminans", et significat quemlibet christianum, qui debet illuminari et illuminare illis lucernis, de quibus dicit Dominus per Sophoniam: Et erit in tempore illo: Scrutabor Ierusalem in lucernis et visitabo super viros defixos in faecibus suis. Nota quod quattuor sunt lucernae. Prima est verbi Dei, de qua: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis etc. Et attende quod "prius dixit pedibus, deinde semitis, quia cum verbum Dei audimus, prius corde clarificamur, ut postea rectis gressibus ambulemus". Secunda lucerna est bonorum operum, de qua: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes etc. 'Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum proximis bona opera demonstramus'. Tertia, intentionis, quae illuminat congeriem bonorum operum, de qua in Matthaeo: Lucerna corporis, "idest operis", tui est oculus tuus, "idest intentio tua". Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Quarta, humanitatis Iesu Christi, de qua in Luca: Quae mulier habens drachmas decem etc. Quaere superius in eodem evangelio. Dicat ergo Dominus: "In tempore iudicii" scrutabor Ierusalem, idest quemlibet christianum; investigabo in lucernis, idest si secundum verbum praedicationis, quod audivit, vitam suam emendavit; si lucem bonorum operum aliis ostendit, si recta intentione in opera processit, si exemplo paupertatis et humilitatis Christi vitam suam informavit. Et tunc visitabit super viros, idest "confidentes in viribus suis", defixos in faecibus, "idest in iniquitatibus", suis. Iste Iairus dicitur princeps synagogae, quia quilibet

christianus debet esse princeps sui corporis, quod est quasi synagoga. Stuppa collecta, inquit Ecclesiasticus, synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. Quinque corporis sensus sunt quasi stuppa collecta, quia de facili igne concupiscentiae succenduntur, et ideo Iairus illis debet principari, ut dicere possit cum Habacuc propheta: Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem; et contemptabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. Super custodiam suam stat "qui omni diligentia custodit cor suum". Super munitionem gradum suum figit, qui sensus carnis reprimit cum proposito perseverantiae finalis, et sic contemplatur, ut videat quid ei dicatur aut quid respondeat ad arguentem se. Hoc est quod dicit Iob: Ponam coram eo iudicium, et os meum implebo increpationibus; ut sciam verba quae mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi. Ibi dicit GLOSSA GREGORII: "Coram Deo iudicium ponere est intra secretum mentis, per fidei contemplationem, ad intuendum examen illius, oculos nostrae considerationis aperire. Os suum implet increpationibus, quia dum examen iudicis contra se contemplatur, amarae se poenitentiae invectione persequitur. Ut sciam verba etc. Cum enim culpas puniendo persequimur, quid nobis de eis iudex in suo examine dicere possit invenimus; quod nescit qui mala sua negligit". Si talis fuerit princeps synagogae, poterit accedere fide et adorare devotione Iesum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est etc. Filia archisynagogi in domo defuncta est cuiuslibet christiani anima, consensu peccati in domo conscientiae mortua. Unde Amos: Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. Nota quod, duplex est status, scilicet iustitiae et iustificationis; iustitiae, cum homo post datam gratiam non cadit mortaliter, iustificationis, cum post casum resurgit. 'Verum est quod homo post casum, etsi resurgat, non habet eandem gloriam, idest gloriosum statum, quia impossibile est ipsum non amisisse priorem statum, tamen potest habere maiorem gloriam si habuerit postea maiorem caritatem'. Virgo Israel est anima: virgo per fidem, Israel per spem; quae tunc est proiecta in terram suam, cum suae carnis miserae consentit concupiscentiae. Sed veni, impone manum super eam, et vivet. O beate Iesu, ubi manus tua, ibi vita nostra! Manus, inquit Ezechiel, Domini erat mecum confortans me. Nota ista tria: veni, impone manum, et vivet. O Domine Iesu, veni et subveni, gratiam infundendo, ut filia, idest anima mea, conteratur; impone manum, ut confiteatur: Misit, inquit Ieremias, Dominus manum suam et tetigit os meum, ut confiteretur peccatum; et sic vivet, vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro.

6 – Super hoc habes concordantiam in Zacharia propheta, ubi dicit: Levavi oculos meos et vidi; et ecce vir, et in manu eius funiculus mensorum. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Ierusalem, et videam quanta sit longitudo eius, et quanta sit latitudo eius. Quid ista sex: vir et eius manus et funiculus, Ierusalem et eius longitudo et latitudo significent, videamus. Vir est "Christus", de quo Zacharias: Ecce vir oriens nomen eius. Iesus Christus est nomen eius, cui consonant vir oriens, Iesus salvator. Ecce vir, qui virtute sua salvum fecit populum suum. "Christus a chrismate dicitur". Ecce oriens, qui 'illuminavit sedentes in tenebris'. Istius viri manus ipsius est misericordia, de qua in Marco: Deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Quaere in evangelio: Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem etc. Funiculus mensorum est confessio peccatorum. Unde Salomon: Funiculus triplex difficile rumpitur. Nota quod, peccator in confessione tria debet facere: de praeteritis dolere, firmum propositum non relabendi habere, sui confessoris praeceptis in omnibus obedire. Si tali funiculo navis nostra ad lignum crucis

dominicae alligata fuerit, nequaquam abrumpi poterit. Iste funiculus est in manu Christi, qui gratiam confessionis cui vult dat, misericordia suae inspirationis. Hoc funiculo ipse metitur Ierusalem, idest animam cuiuslibet poenitentis, ut videat, idest ipsum videre faciat, quanta sit longitudo perseverantiae et quanta latitudo caritatis geminae. Quis mortaliter peccans, offendit Deum, laedit seipsum, scandalizat proximum; cum vero poenitet et confitetur, cum finalis perseverantiae proposito, tunc placat Deum, sanat seipsum, aedificat proximum. Haec est longitudo et latitudo Ierusalem, quae mensuratur funiculo confessionis, ut poena respondeat culpae, et 'sicut exhibuit membra sua servire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeat servire iustitiae in sanctificationem'. Veni ergo, o vir oriens, et funiculo, quem habes in manu, metire Ierusalem. Veni, o Domine Iesu, et impone manum super animam, et vivet vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro.

7 – Sequitur: Et surgens Iesus sequebatur eum, et discipuli eius. O ineffabilis pietas! O admirabilis humilitas! Rex angelorum sequitur archisynagogum! Tu sequeris Iairum. Et quis sequitur te, Dei Filium? Abierunt, inquit Ieremias, in voluptatibus suis et pravitate cordis sui mali, factique sunt retrorsum et non in ante. Et Zacharias: Verterunt scapulam recedentem, et aggravaverunt aures suas ne audirent; et cor suum posuerunt ut adamantem ne audirent legem. Et cum venisset Iesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Quid tibicines, quid turba tumultuans, moraliter significent videamus. Tibicines sunt sensus corporis, 'qui canunt carmen lugubre' illis quattuor cornibus, de quibus habes concordantiam in Zacharia: Levavi oculos meos, et vidi, et ecce quattuor cornua. Et dixi ad angelum qui toquebatur in me: Quid sunt haec? Et dixit ad me: Haec sunt cornua quae ventilaverunt Iudam et Israel et Ierusalem. Ista cornua quattuor significant vitia, 'quae sunt superbia vel luxuria in oculis, pruritus audiendi in auribus, detractio vel adulatio in lingua, rapina vel usura in manibus'. Haec sunt quae ventilaverunt in omnem ventum mundanae vanitatis Iudam, idest laicos, et Israel, idest clericos, et Ierusalem, idest religiosos. Cum istis cornibus corporis sensus canunt carmen lugubre, idest mundi gaudium, in morte nostrae animae. Unde Iob: Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. 'Tympanum est pellis extensa in ligno'. Cum superbus erigit palpebras oculorum in altum, de quibus in Parabolis: Generatio cuius excelsi sunt oculi, et palpebrae eius in altum surrectae, vel luxuriosi extendunt oculos in pulchritudinem feminarum, de qua in Parabolis: Non concupiscat pulchritudinem mulieris cor tuum, ne capiaris nutibus illius, tunc tenent tympanum. Lingua adulationis vel detractionis est quasi cithara, quam dum percutit, sonum detractionis vel adulationis reddit. Qui prurientes habent aures, gaudent ad sonitum organi, idest propriae laudis. Vae nobis miseris, qui gaudemus ad sonitum proprii organi, quod cum sonat ridet oculus, hilarescit facies, gaudet auris, lingua tripudiat, cor exultat. Gaudent ergo ad sonitum organi. Utinam 'versa esset, ut dicit Iob, in luctum cithara nostra, et organum nostrum in vocem flentium'. Raptores et usurarii de pauperum bonis ducunt in bonis dies suos. Ecce qualiter maledicti tibicines carmen lugubre canunt. Sed credant mihi, quia in puncto, qui eos punget usque ad interiora iecoris et pulmonis, descendent ad infernum, ubi canitur carmen lugubre, scilicet fletus oculorum et stridor dentium. Item, turba tumultuans est turbatio et tumultus malarum cogitationum. Cum tibicines exterius carmen lugubre canunt, tumultuosae cogitationes intus in mente perstrepunt. Unde dicit sponsa in

Canticis: Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. “Aminadab interpretatur spontaneus” vel urbanus, et significat corpus nostrum, quod sponte sua se impellit in temporalia, in quibus urbane et delicate semper vult vivere. Quadrigae Aminadab sunt sensus corporis, quae dum circumvolvuntur per lutum et stercus temporalium, anima, idest animalitas, idest sensualitas, conturbat rationem, tumultu malarum cogitationum.

8 – Redeamus ad materiam et dicamus: Cum venisset Iesus in domum principis. ‘Princeps est quilibet homo, qui sibi debet principari, cuius domus ipsius est conscientia, in quam Dominus tunc venit, cum ei gratiam infundit, ut culpam suam cognoscat et cognoscens erubescat. Et cum vidisset tibicines et turbas, tunc dicebat: Recedite. Cum Iesu Christi gratia conscientiam hominis visitat, tunc sensuum delectationi et cogitationum tumultui ut recedant imperat. ‘Imperat enim ventis, idest vanitati sensuum, et mari, idest fluctuationi cogitationum, et obediunt ei’. Recedite ergo, non est enim mortua puella sed dormit. “Ipsi vere dormiebat, qui eam de morte ita facile quasi de somno suscitare poterat”. Nota quod duplex est mors animae, scilicet peccati et inferni. Mors peccati dicitur dormitio, quia quilibet peccator in hac vita a peccato tam facile potest resurgere, sicut aliquis a somno. Unde Apostolus: Surge per contritionem, qui dormis in peccato, et exurge, idest extra surgere, per confessionem a mortuis, scilicet operibus, et illuminabit te Christus. Nota etiam quod, dixit puella et non veterana. Anima enim quae nondum diuturnitate malae consuetudinis est oppressa, sed quasi puella et novella in peccato est sopita, de facili ad vitam gratiae potest resurgere. In domo enim fuit defuncta et resuscitata, non extra portam delata vel sepulta, quia anima, quae in domo conscientiae est defuncta et nondum ad operis portam, vel consuetudinis sepulturam est delata, de facili potest ad vitam redire. Et deridebant eum. Cum Iesu Christi gratia animae inspirat, ut doleat et a peccato resurgat, tibicines, idest exterior sensuum delectatio, et turba tumultuans, idest interior cogitationum tumultuatio, derident. Unde in Iob: Deridet equum et ascensorem eius, scilicet struthio. In qua ponderosa carnis delectatio designatur, quae deridet equum, idest spiritum, et ascensorem eius, idest gratiam, dum ipsum vult dirigere in viam vitae, ad capiendum bravium caelestis gloriae. Deridet, inquam, dum fragilitatem naturae, rigorem abstinentiae, asperitatem poenitentiae ei obicit, et quod in ipsa perseverare non possit ostendit. Sequitur: Et cum eiecta esset turba, intravit, et tenuit manum eius – ‘et dixit: Puella, surge’ –. Et surrexit puella. Nota ordinem verborum. Cum eiecta esset turba, intravit. Super hoc concordat illud quod dicit Dominus in Osee: Arcum et gladium et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiduciatiter. ‘In arcu dolosa diaboli suggestio’, in gladio tumultuosa cordis cogitatio, in bello sensuum lasciviens delectatio designatur. Haec Dominus de terra tunc conterit, cum turbam tumultuantem de domo conscientiae eicit, qua eiecta, intrat, intrans pacificat. Et hoc est dormire, “idest requiescere”, eos faciam fiducialiter. Et tenuit manum eius. Manum manu tenet, cum misericordia sua dat velle, nosse et posse. Unde habes concordantiam in Zacharia: Manus, inquit, Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus eius perficient eam. “Zorobabel interpretatur iste magister Babylonis. Zo iste, ro magister, babel, idest Babylonis; et significat Iesum Christum”, qui venit mundum restaurare, puellam resuscitare. ‘Filius, inquit, hominis venit salvare quod perierat’. Cuius misericordiae manus templum fundat, cum dat nosse et velle; perficit, cum dat posse. Et dixit: Puella, surge. Et surrexit puella. Super hoc habes concordantiam in Michaea propheta, ubi anima,

iam per gratiam resuscitata, carnis insultus contemnit, dicens: Ne laeteris, inimica mea, super me, quia cecidi; consurgam cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est.

9 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius. Huic orationi et postulationi respondet Dominus misericorditer in Osee: Ecce ego lactabo eam, et adducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius. Ecclesiam vel fidelem animam, pro qua orabat et postulabat Apostolus, Dominus lactat gratia, ut in eo crescat in salutem, et postea ducit in solitudinem, idest rerum temporalium abdicationem et mentis quietem, et ibi loquitur ad cor eius, ut impleatur agnitione voluntatis eius. Et nota quod, dicit Apostolus: impleamini. Pleno vasculo quicquid superinfundis perdis. Qui plenus est temporalibus impleri non potest agnitione voluntatis Dei. Qua qui vult impleri necesse est ipsum primo in solitudinem duci; et ibi audiet sibilum aurae tenuis ad cor loquentis, et implebitur agnitione divinae voluntatis. Unde dicitur in hodierno evangelio, quod Dominus primo eiecit turbam tumultuantem, et postea, quasi in solitudine, locutus est ad cor puellae. Puella, tibi dico: Surge. Os Domini est in aure cordis, in solitudine quiescentis, cui revelat secretum suae voluntatis. Quiescat cor tuum, et agnitione divinae voluntatis erit impletum. 'Ad quem, inquit, respiciam nisi ad humilem et quietum et pauperculum spiritu?' Respexit humilitatem ancillae suae, quae erat in mentis solitudine et corporis. "Oppidum, inquit HIERONYMUS, mihi carcer est, solitudo paradisus", in quo ad cor loquitur Dominus. Quem, fratres carissimi, humiliter cum archisynagogo Iairo exoremus, ut ad domum nostram veniat, turbam tumultuantem eiciat, et filiam nostram resuscitet. Quod ipse nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De mulieris a profluvio sanguinis curatione

10 – Sequitur secundum. Et ecce mulier, quae sanguinis uxum patiebatur, duodecim annis etc. Quid ista tria: mulier, fluxus sanguinis, fimbria vestimenti, significent videamus. "Mulier, a mollitie dicta", animam peccatricem significat, quae dicit in Osee propheta: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, et lanam meam, et linum meum, et oleum meum, et potum meum. Mollis mollia quaerit. Quid ista septem: amatores, panes etc., significent videamus. Animae peccatricis amatores "sunt daemones", vel affectus carnales; post quos vadit, cum eis consentit, quibus ideo consentit, quia dant ei panes etc. 'In panibus, gloriae temporalis pompa; in aquis, gula et luxuria; in lana, hypocrisis fallacia; in lino, pecuniae amor; in oleo, adulationis nitor; in potu dignitatis ardor designatur'. De panibus vel pane gloriae temporalis dicit Salomon in Parabolis: Suavis est homini panis mendacii, idest pompae saecularis, quae se mentitur aliquid esse, cum nihil sit, sed postea os eius implebitur calculo, idest poena aeterna. De aquis gulae et luxuriae dicit Nahum propheta: Quasi piscina aquarum aquae eius, idest Ninive, "quae interpretatur speciosa". In qua caro hominis figuratur, cuius aquae, idest gula et luxuria, sunt sicut piscina, quae siccatur in aestate. Sic in ardore mortis, gula et luxuria carnis omnino siccabuntur. De lana hypocrisis, in evangelio: Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium etc. Quaere superius in eodem evangelio. De lino avaritiae habes in Exodo, ubi dicitur, quod 'grando laesit linum'. Grando enim divinae sententiae, 'Ite, maledicti, in ignem aeternum', laedet et destruet

avaritiam et usuram. De oleo adulationis, in Psalmo: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. De potu dignitatis habes in Apocalypsi, ubi dicitur, quod 'mulier, quae sedebat super bestiam coccineam, habebat poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis suae'. Mulier ista mundi vanitatem significat, quae sedet super bestiam coccineam, idest diabolum. Haec habet in manu poculum aureum, idest claritatem dignitatis transitoriae, plenum abominatione. Conscientia et opera eorum, qui hac claritate offuscantur, perhibent testimonium sibi et nobis quanta sit ibi abominatio et fornicationis immunditia. Quicumque hoc poculo potatur, sitiet iterum et ardebit, et utinam non cum purpurato Epulone in aeternum. Heu! Heu! hianti ore, ardenti gutture, omnes fere video currere ad potandum de poculo aureo fornicariae. Cursor, inquit Ieremias, levis explicans vias suas. Onager assuetus in solitudine in desiderio animae suae, attraxit ventum amoris sui. Sicut ventus, ore aperto attractus, non extinguit sitim sed magis accendit, sic dignitatis vanitas, et aliquando suum potatorem ipsa siti interficit. Quisquis his sex vitiis inficitur, est tamquam mulier quae fluxum sanguinis patitur. Fluxus sanguinis est in manifesto immunditia peccati. Unde Osee: Sanguis sanguinem tetigit, idest immunditia mentis immunditiam operis. 'Fluxus, inquit, eorum ut fluxus equorum'. Patiebatur, inquit, fluxum sanguinis duodecim annis. Denarius ad decem praecepta Veteris Testamenti, binarius ad duo Novi refertur. Duodecim ergo annis fluxum sanguinis patitur quicumque apertae iniquitatis malitia contra utriusque Testamenti praecepta coinquinatur. Unde Osee: Fornicati sunt et non cessaverunt quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo, 'scilicet utriusque Testamenti praecepta'. Dicit Lucas, quod haec mulier omnem substantiam suam erogaverat in medicos, nec ab ullo potuit curari; sed, ut dicit Marcus, deterius habebat. Medici sunt carnales affectus, de quibus in Psalmo: Numquid mortuis facies mirabilia? aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi? Carnales affectus animam non suscitant a peccato, sed suscitatam occidunt et sepeliunt in inferno. Quanti molles et effeminati in his medicis utriusque hominis, scilicet animae et corporis, omnem substantiam expendunt, et curari ab infirmitate animae non possunt, immo deterius habent!

11 – Unde dicitur in secundo libro Paralipomenon, quod aegrotavit Asa dolore pedum vehementissimo; et nec in infirmitate sua quaesivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormivitque cum patribus suis et mortuus est. "Asa interpretatur attollens", et significat huius mundi divitem, qui se attollit in divitiis et 'ambulat in mirabilibus super se'. Iste aegrotat vehementissimo dolore pedum. Anima duos habet pedes, quibus sustentatur, spem scilicet et timorem, quorum virtute huius mundi dives est privatus: spem enim suam ponit in transitoriis, quae timet amittere, et sic magis confidit in arte medicorum, idest industria, sagaci scientia et experientia carnalium affectuum, quam in Domino; et ideo dormit in peccato et moritur in inferno. Non ergo est in medicis confidendum, sed in illius vestimenti fimbria, de qua subditur: Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius. Vestimentum Christi ipsius est caro, de quo Isaias: Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus. Simile quid dicit Zacharias: Iesus erat indutus vestibus sordidis. Iesus Christus "torcular, idest pressuram crucis, solus sustinuit", in qua vestimentum suum sanguine rubricavit. Huius vestimenti fimbria est ipsa Passio, quae animam liberat a sanguinis profluvio. Contra carnis lubricum et libidinis incentivum maxime valet memoria Passionis. Et si unguentum a capite descendat in barbam, in fimbria tamen

vestimenti, idest in ultima parte vitae Christi, super terram totam plenitudo decurrit. Unde de hac fimbria dicitur in Zacharia: Homines, inquit, ex omnibus linguis apprehendent fimbriam viri iudaei dicentes: Ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam vobiscum est Deus. Hoc ipsum dicebat mulier intra se: Si tetigero vestimentum eius tantum salva ero. Plures enim fimbria, idest Passio Christi, quam tota reliqua vita eius, trahit ad ipsum Christum. Unde: Cum exaltatus, inquit, fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Si ergo, o anima, a tui sanguinis profluvio vis curari, 'tange fide', apprehende opere fimbriam Passionis. Qui, inquit ApostoIus, Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Quod si ita tetigeris et apprehenderis, audire poteris: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Nota quod, haec dictio, fides, componitur ex duplici verbo, idest facio et dico. Si enim facio quod dico et apprehendo quod tango, tunc est fides, et talis fides me salvum fecit.

12 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine. O Pater, quantas tibi gratias agere debent archisynagogi filia, a morte resuscitata, et mulier a profluvio sanguinis curata, idest illi qui in istis significantur, quos dignos fecisti in parte vitae aeternae, quam sortiti sunt sancti. Dominus, inquit, pars hereditatis meae. Et hoc in lumine, de quo in Psalmo: In lumine tuo videbimus lumen. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae. Ecce archisynagogi filiae, idest animae, resuscitatio, quam manu misericordiae eripit de potestate tenebrarum, in quibus caeca iacebat, et transfert de regione dissimilitudinis in regnum suae dilectionis, quam per Filii Passionem adepti sumus, de qua subditur: In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, in remissionen peccatorum. Ecce mulieris a profluvio sanguinis, per fimbriam vestimenti, curatio. Sanguis enim Passionis dominicae restringit sanguinem nostrae malitiae. Eia ergo, fratres carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum devote exoremus, ut fimbria suae Passionis sanguinem nostrum restringat, qua ipsi gratias digne agere et cum sanctis in ipsius lumine valeamus regnare. Ipso praestante, qui in miraculis suis est gloriosus et benedictus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis resuscitata et curata anima: Amen. Alleluia.

PROLOGUS

Laudum munia, gratiarum praeconia persolvimus trino et uni Deo, quo adiuvante, evangelia dominicalia utcumque exponendo, usque ad primam dominicam Adventus Domini pervenimus. Unde nota quod in Ecclesia per totum Adventum legitur Isaias, cuius quasdam auctoritates, prout Dominus dederit, cum ipsius Adventus evangeliis et epistolis volumus concordare.

DOMINICA I DE ADVENTU

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica de Adventu, quod in quattuor clausulis dividitur: Erunt

signa in sole et luna. In primis thema sermonis ad poenitentes vel religiosos, ibi: In die illa erit germen Domini. Item de confessione, ibi: Gloria Libani, vel: In die illa radet Dominus. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de Annuntiatione vel Nativitate Domini, ibi: Vidi Dominum, et ibi: Figulus sedens. Item in Passione Domini de quinque ipsius plagis, ibi: Erunt quinque civitates. DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis ad poenitentes vel religiosos, ibi: Accipiens Moyses sanguinem. Item sermo ad claustrales, ibi: Gloria Libani ad te veniet; et de eodem, ibi: In anno quo mortuus est rex Ozias. Item contra eloquentes et sapientes huius saeculi, ibi: In die illa proiciet homo; et de talpa et vespertilione. Item ad poenitentes, ibi: Consurge, consurge. DE TERTIA CLAUSULA. Thema sermonis de articulo mortis vel ad sepulturam defuncti, ibi: Suspiciens sursum. Item contra luxuriosos et gulosos, ibi: Erubescetis super hortis. DE QUARTA CLAUSULA. Thema sermonis de die iudicii et peccatorum damnatione, ibi: Confractione confringetur terra, et ibi: Ululate, quia prope est, et ibi: Dominus sicut fortis, et ibi: Gladius Domini repletus est sanguine.

Exordium. Sermo ad poenitentes vel religiosos et de confessione

1 – In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Erunt signa in sole et luna et stellis etc. Dicit Isaias: In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis. Haec auctoritas primo allegorice de Verbo Incarnato, secundo moraliter exponatur de peccatore converso. In die illa, idest tempore gratiae, quo ‘sedentibus in tenebris’ illuxit candor lucis aeternae, erit, inquit Isaias, prophetica certitudine, germen Domini, idest “Filius” Patris, quem, quasi germen, arbor vitae beata Maria protulit in sui Nativitate. Unde Isaias: Rorate, caeli, desuper. Ibi GLOSSA: “Veniat Gabriel, mittat nobis rorem, scilicet nuntiando”; et nubes pluant iustum, “idest, prophetae, corda nostra salutari pluvia irrigantes, Christi Nativitatem annuntient”; aperiatur terra, “idest Maria ad credendum”, et sic germinet Salvatorem. Qui fuit in magnificentia quoad praedicationem et miraculorum operationem, et gloria quoad Resurrectionem, et ipse fructus terrae, “idest beatae Virginis”, fuit sublimis ‘quoad Ascensionem’. De magnificentia miraculorum dicit Isaias: Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. De gloria Resurrectionis idem dicit, ‘ubi loquitur de apostolis’: Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri. Unde Ioannes: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre etc. De sublimitate Ascensionis dicit Pater in Isaia, ubi loquitur de Filio: Ecce intelliget servus meus; et exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. “Filius” dicitur servus Patris, pro eo quod ei fuit “obediens usque ad mortem”.

2 – MORALITER. In die illa etc. “Dies est sol lucens super terram”. Cum sol gratiae illuminat terram, idest peccatoris mentem, tunc producit ex se germen Domini, in quo contritio designatur. Unde Isaias: Descendit imber et nix de caelo, et inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti. ‘In imbre et nive figuratur Sancti Spiritus gratia’. De nive quaere in evangelio: Assumpsit Iesus Petrum etc. Gratia quasi imber et nix de caelo, idest divina misericordia, descendit et inebriat terram, ‘idest peccatorem terrena sapientem’, ut ad ipsa efficiatur insensibilis, compunctus lacrimis, denudans secretum criminis. Haec enim tria ebrietas facit: insensibilem reddit, lacrimas producit, secretum discooperit. Et infundit eam spiritu

paupertatis, de qua Isaias: Effundatur super nos spiritus de excelso, ‘ne exardescat ut dicit Iob, contra eam sitis’ cupiditatis. Et germinare eam facit in magnificentia, quod fit, cum universaliter pro omnibus omissis et commissis conteritur, et tunc dat semen boni operis serenti, idest poenitenti, ‘qui seminat in lacrimis, et panem comedenti, quia in exultatione metet’. In die ergo illa erit germen Domini in magnificentia. Sequitur: Et gloria. Ex germine contritionis pullulat gloria confessionis, de qua animae poenitenti dicit Isaias: Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. “Libanus candidatio, Carmelus circumcisio”, ‘Saron cantilena tristitiae’ interpretatur. Haec tria facit confessio: candidat animam, circumcidit superflua, plorans plorat et concinit melodiam: Tristis est anima mea usque ad mortem. Mulier enim cum parit tristitiam habet. De candidatione animae a peccatis dicit Isaias: Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius, in spiritu iudicii et spiritu ardoris. In sordibus, cogitationum immunditia; unde Ieremias: Sordes eius in pedibus eius, idest “affectibus”; in sanguine carnis luxuria designatur. Quae Dominus abluit a filiabus, “idest animabus Sion, idest Ecclesiae”, in spiritu iudicii, idest confessionis, qua se iudicat et condemnat poenitens; et spiritu ardoris, idest contritionis, qua anima succensa effluit in lacrimas compunctionis. De superfluis in confessione circumcidendis dicit Isaias: In die illa radet Dominus in novacula acuta, ‘vel conducta’, in his qui trans flumen sunt, caput et pilos pedum, et barbam universam. ‘Novacula dicta, quod quasi novum faciat hominem’, est confessio, quae novat hominis spiritum. Unde Ieremias: Novate novale, et nolite serere super spinas, ne ‘exortae suffocent’ confessionis verbum. Haec novacula dicitur acuta vel conducta: acuta, quia peccatum et circumstantias peccati rescindit; conducta, quia ipsam peccator, in suae salutis opus, devotione et humilitate, quasi quadam mercede, debet conducere. Ista novacula in his qui trans flumen sunt; idest transgressi sunt flumen, “idest Baptismum”, Dominus radit caput etc. In capite et pedibus vitae principium et finis, in barba boni operis “fortitudo” designatur. Verae confessionis acumine Dominus radit in poenitente vitia, ‘quae in pilis significantur’, a principio sui ingressus usque ad finem sui exitus. Radit etiam barbam universam, ut de nullo bono opere quod fecit, quasi ipse fecerit, confidat. In eo enim solo qui fecit, et non in eo quod fecimus nos, debemus confidere. Qui fecit nos est totum bonum, summum bonum; ‘bonum vero quod fecimus nos est quasi pannus mulieris menstruatae’. Discerne ergo tu ipse, in quo bono est confidendum. Vere, in bono Domino Iesu, cui dicit Propheta: Bonus es tu. Item, de cantilena tristitiae, Isaias: Per ascensum Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. Quaere superius. Sequitur in praemissa auctoritate: Et fructus terrae sublimis. Fructus terrae est satisfactio poenitentiae. Unde Isaias: Iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius. Fructus poenitentiae tunc est sublimis, cum poenitens est humilis, se humilians sublimi et humili vero soli, idest Christo, qui splendorem suae lucis offuscavit cilicio nostrae mortalitatis. Unde dicitur in hodierno evangelio: Erunt signa in sole etc.

3 – Nota quod, ‘quattuor Iesu Christi sunt adventus. Primus fuit in carne, de quo: “Ecce veniet Propheta magnus, et ipse renovabit Ierusalem”. Secundus est in mente, unde: Ad eum veniemus, et mansionem etc. Tertius in morte, unde: Beatus ille servus, quem cum venerit dominus etc. Quartus erit in maiestate, unde in Apocalypsi: Ecce venit in nubibus, et videbit eum omnis oculus etc. Isti quattuor adventus notantur in primis quattuor huius sancti evangelii verbis, de quorum quolibet per se disseremus. In introitu hodiernae

missae cantatur: Ad te levavi animam meam, et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: Scientes quia hora est, quam cum primo et secundo adventu, qui fit in mente, volumus concordare, introitum vero missae cum tertio et quarto adventu. In primis ergo de primo adventu disseramus.

I – De primo Christi adventu in carne

4 – Erunt signa in sole et luna. 'Sol dictus, quod solus luceat', "est Iesus Christus", qui solus 'lucem habitat inaccessibilem', in cuius claritatis, idest sanctitatis, comparatione omnis sanctorum claritas patitur detrimentum. Unde Isaias: Facti sumus vir immundus, "idest leprosus", omnes nos, quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae. Iste sol, ut dicitur in Apocalypsi, factus est niger quasi saccus cilicinus. 'Sacco enim nostrae humanitatis cooperuit lucem suae divinitatis': Posui, inquit, vestimentum meum cilicium. Et quid tibi, Dei Fili, et cilicio? Hac veste non Deus sed reus, non Creator sed peccator merito debet indui. Poenitentis, non peccata dimittentis, est vestimentum. Quid ergo tibi et cilicio? Multum quidem et per omnem modum peccatori homini necessarium, quia: 'Poenitet me fecisse hominem', idest poena tenet me pro homine. Unde in Isaia: Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; et iterum: Laboravi sustinens. Factus est ergo sol niger quasi saccus cilicinus. Sub cilicio enim carnis abscondit se 'candor aeternae lucis'. De quo Isaias: Germen vitae est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, salvator; et iterum: Quasi absconditus vultus eius. Et bene dicit: absconditus; 'hamus enim divinitatis absconditus fuit sub esca humanitatis', ut, sicut dicit Isaias, 'occideret cetum, idest diabolum, qui est in mari', "idest in mundo salso et amaro". Unde Iob: In oculis eius quasi hamo capiet Behemoth. Humilis capit superbum; noster Infantulus, serpentem antiquum. Unde Isaias: Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Noster 'Infans, pannis involutus, praesepio reclinatus', manu suae potentiae contraxit 'aspidem et regulum, idest diabolum, de foramine vel caverna, idest peccatorum conscientia'. Factus est ergo sol niger, quasi saccus cilicinus. O primus! O novissimus! O sublimis! O humilis et vilis! Et nos, inquit Isaias, putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.

5 – De cuius humilitate habes concordantiam in eodem: Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Nota. Quid Domini sessio, quid solium, quid excelsum et elevatum significent, videamus. 'Domini sessio est divinitatis in humanitate humilis inclinatio'. Unde Ecclesiasticus: Figulus sedens ad opus suum convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum. Figulus est Dei Filius, de quo in Psalmo: Qui finxit singillatim corda eorum. Hic sedit, 'idest in carne se humiliavit', ad, idest propter, opus suum, idest salutem nostram. Unde Isaias: Ut faciat opus suum, alienum est opus eius, ut operetur opus suum: peregrinum est opus eius ab eo. Ibi GREGORIUS: "In mundum veniet, ut faciat opus suum: redimat genus humanum; sed ab ipso est opus alienum, non convenit eius deitati conspui, flagellari, crucifigi". Iste pedibus suae humanitatis convertit ad vitam rotam nostrae naturae, quae prius currebat ad mortem, ut cui prius dictum erat: 'Terra es et in terram ibis', eidem modo dicatur: Beatus es, et bene tibi erit. In quanta sollicitudine triginta tribus annis, propter opus suum perficiendum, semper fuerit, satis aperte evangelia protestantur. Unde dicit in Psalmo:

Cucurri. Tanto enim desiderio currebat ad crucem, quasi ad fornacem, ut ibi consolidaret et consummaret opus suum, quod Pilato non respondebat, ne forte nostrae salutis negotium differeretur.

6 – Solium etc. "Solium dictum, quasi solidum", 'ipsius Christi est humanitas', quae, septem columnis innixa, undique constans et solida extitit. Unde Isaias: Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum. "Septem mulieres sunt septem dona Spiritus Sancti, quae mulieres dicuntur, quia nemo Deo generatur nisi per Spiritum. Vir est Christus – "unus, idest sine peccato solus" –, quem apprehendent septem dona, ut firmiter teneant et non dimittant. Omnes [viros] transeunt usque ad Christum, nullum apprehendunt. Non est enim homo qui non peccet. In omnibus aliis hospitium habet spiritus tribulationis, non mansionem quietis. Fuit enim in prophetis et in aliis iustis, sed quia homines et ideo peccatores, in eis fuit, sed non in eis mansit. Unde de solo Christo dicitur in Ioanne: Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem et manentem, hic est qui baptizat". Apprehendent ergo virum unum dicentes: Panem nostrum etc. Ibi GLOSSA: "Qui panem et vestes habet nihilo indiget". "Panem nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur, quod est: Spiritum Sanctum aequaliter cum Patre et Filio omnia possidere et nihilo indigere. Invocetur nomen tuum super nos. Hoc est: A te dicantur christiani qui nostra habitatione cupiunt perfrui. Aufer opprobrium nostrum, ne amplius, foetore vitiorum expulsa a cordibus hominum, saepe mutare cogamur hospitium".

7 – Humanitas ergo Iesu Christi, in qua tamquam in solio sedit, idest humiliavit se, divinitas, fuit excelsa et elevata. Excelsa incomparabili vitae sanctitate. Unde in Ioanne: Qui desuper venit super omnes est, vitae excellentia. Unde de eo Isaias: Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. 'Nota quod ex lacte ovis fiunt duo, butyrum scilicet et caseus. Butyrum est dulce et pingue, caseus aridus et siccus. Ovis fuit Adam, cuius natura ante peccatum fuit quasi butyrum, scilicet innocentia et puritate; post peccatum fuit tamquam caseus aridus et siccus. Unde: Maledicta terra, 'idest caro tua', in opere tuo. Spinas et tribulos germinabit tibi. Cum ergo venit Emmanuel, quem Virgo concepit et peperit, non caseum sed butyrum comedit, quia non corruptam, vel vitio obnoxiam, sed purissimam carnem de purissimae Virginis carne accepit'. Comedit etiam mel, 'quod desuper cadit, in quo ipsius vitae supereminentia designatur'. Item, Christi humanitas fuit elevata, scilicet in crucis patibulo. Unde in Ioanne: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, uncino scilicet crucis, in quo noster sol sacco cilicino coopertus fuit, quinque signis signatus. Unde dicitur: Erunt signa in sole.

8 – Signa in sole fuerunt quinque vulnera in Christi corpore. Haec sunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan. Civitas solis vocabitur una. "Aegyptus interpretatur moeror vel tenebrae". Terra Aegypti, Christi caro, quae fuit in moerore, unde ad Hebraeos: Cum lacrimis et clamore valido offerens; et in tenebris, unde in Psalmo: Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi. In hac terra fuerunt quinque civitates, idest quinque vulnera, quae sunt civitates refugii, ad quae quicumque confugerit a morte liberabitur. Fuge ergo, fuge ad civitates munitas, extra quas qui inventus fuerit occidetur. Unde dicitur in Genesi, quod 'omnis caro reperta extra arcam aquis diluvii est

deleta'. In arca ergo tantummodo est vita. Ad ipsam ergo fuge, sicut fecit Ruth, cui dixit Booz, in eiusdem libro: Plenam mercedem recipies a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cuius confugisti alas. Extensis brachiis, quasi duabus alis, in cruce, Christus suscipit ad se confugientes, et abscondit in abscondito suorum vulnerum a conturbatione daemonum. Sequitur: Loquentes lingua Chanaan, "quae interpretatur commutata". Vulnera enim Iesu Christi, quasi quadam lingua commutata, loquuntur de nobis ad Patrem, non vindictam sed misericordiam. Unde Apostolus ad Hebraeos: Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis respersionem, melius loquentem quam Abel. "Sanguis Abel clamat vindictam, sanguis Christi misericordiam". Unde beatus BERNARDUS: "Securum, o homo, habes accessum ad Deum, ubi habes ante Filium Matrem et Filium ante Patrem. Mater ostendit Filio pectus et ubera, Filius ostendit Patri latus et vulnera. Nulla ergo ibi erit repulsa, ubi tot occurrunt caritatis insignia". Sequitur: Civitas solis vocabitur una. Vulnus lateris est civitas solis. In apertione enim dominici lateris aperta fuit porta paradisi, per quam nobis effulsit splendor aeternae lucis. Dicitur in NATURALIBUS, quod 'sanguis tractus ex latere columbae tergit maculam ab oculo', sic sanguis lancea militis tractus a latere Christi, illuminavit oculos caeci nati, 'idest generis humani'.

9 – Huic primo adventui concordat prima particula hodiernae epistolae: Hora est iam nos de somno surgere. Sicut in ultimo adventu canet tuba et mortui resurgent, sic in primo adventu tuba praedicationis canit: Hora est etc. Hora ista est 'annus benignitatis', 'tempus plenitudinis, in quo misit Deus Filium suum, factum de muliere, factum sub lege'. Surgamus ergo a somno, idest ab amore temporalium, de quibus Isaias: Videntes vana, dormientes et amantes somnia, idest temporalia, quae claudunt cordis oculos a contemplatione aeternorum. Phantasiae temporalium, quae illudunt dormientes, prima hora diei, qua ortus est sol, effugantur. Saccus cilicinus, vilis panniculus, quo fuit involutus, contemptibilis praesepii locus, quo reclinatus, invitant nos, ut a somno surgamus et phantasias expellamus. Hora est ergo iam nos de somno surgere. Sed, vae nobis, quia hac una hora non possumus, quia nolumus, vigilare cum Domino. Vigilavit Dominus, unde Ieremias: Virgam vigilantem ego video. 'Iesus Christus fuit virga' flexibilis obedientia et humilitate, subtilis paupertate, in quibus vigilavit, sed in his cum eo nolumus vigilare. 'Viri divitiarum dormierunt somnum suum', sed divitiae virorum, idest humilitas et paupertas iustorum, vigilant cum Domino, et ideo vere possunt dicere quod sequitur: Nunc autem propior est nostra salus quam cum credidimus. Hoc est quod dicit Salomon in Parabolis: Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. Lux splendens, ecce cum credidimus; usque ad perfectum diem, ecce propior est nostra salus. Lux splendens fuit in Verbi Incarnatione, ex qua fides; perfecta dies, in ipsius Passione, ex qua propior salus. 'Quid enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset?'. Ipsum ergo, fratres carissimi, suppliciter exoremus, ut, qui in primo adventu pro nobis sacco cilicino se cooperuit, signis Passionis ad interpellandum pro nobis consignavit, a somno faciat nos resurgere, secum vigilare, quatenus salutis aeternae hereditatem in ultimo adventu mereamur possidere. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

II – De secundo Christi adventu in mente

10 – Sequitur de secundo adventu. Et luna. Signa in luna sunt illa, de quibus dicit Ioannes in Apocalypsi: Luna tota facta est sicut sanguis; et Ioel: Luna convertetur in sanguinem. 'Deus duo fecit luminaria: maius et minus', idest duas rationabiles creaturas. Luminare maius est angelicus spiritus; luminare minus est hominis anima. Unde dicitur luna, quasi luminum una. Ad hoc enim hominis anima est creata, ut, caelestia sapiens, tamquam una 'ex illis beatis spiritibus', 'Creatorem laudaret et cum Dei filiis iubilaret'; sed ex nimia terrae vicinitate contraxit nigredinem et amisit claritatem, ideo necesse est, ut, si ipsam vult recuperare, prius tota vertatur in sanguinem. Sanguis contritio cordis est, de quo Apostolus ad Hebraeos: Accipiens, inquit, Moyses sanguinem cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit ad nos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii, sanguine similiter aspersit; omnia in sanguine mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio. Ecce qualiter luna tota facta est sicut sanguis. Quid Moyses, quid sanguis, quid aqua, quid lana coccinea et hyssopus, quid liber et populus, quid tabernaculum et vasa eius moraliter significent, videamus. Cum misericors et miserator Iesus Christus venit in peccatoris mentem, tunc Moyses accipit sanguinem etc. Moyses est ipse peccator iam conversus, de aquis Aegypti assumptus, qui ista quattuor debet accipere, scilicet sanguinem dolorosae contritionis, aquam lacrimosae confessionis, lanam innocentiae, 'coccineam caritatis fraternae, et hyssopum humilitatis verae'. Cum istis debet aspergere librum, idest sui cordis secretum, et omnem 'populum suarum cogitationum' et tabernaculum, idest corpus suum, et omnia vasa eius, idest quinque sensus. 'In sanguine contritionis omnia mundantur, omnia dimittuntur, cum proposito tamen confitendi. Sine contritionis sanguine vero non fit remissio peccati'.

11 – Dicatur ergo: Erunt signa in luna. Per exteriora signa poenitentis cognoscuntur interiora signa contritionis. Cum castitas in corpore, humilitas in opere, abstinentia in cibo, vilitas in habitu resplenduerint, praenuntia sunt internae sanctificationis. Unde de his quattuor promittit Deus animae poenitenti in Isaia: Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meae. Gloria Libani est castitas corporis, de qua gloriatur anima in Ecclesiastico: Quasi cedrus exaltata sum in Libano, "quae interpretatur candidatio". "Cedrus suo odore fugat serpentes". In Libano ergo, idest corpore casto, anima exaltatur quasi cedrus, quia odore sanctae conversationis fugat serpentes daemoniacae suggestionis et concupiscentiae carnalis. De hoc iterum Isaias: Super omnem, inquit, gloriam protectio. Ubi gloria castitatis, ibi protectio divinae miserationis, omnia opera conservantis. Item, "abies dicta, quod prae ceteris arboribus eat", humilitatem significat, quae prae ceteris virtutibus altius se extollit. Unde de ea habes concordantiam in Isaia: In anno, inquit, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; "et plena erat domus a maiestate eius", et ea quae sub ipso erant replebant templum. Rex Ozias, 'superbus et leprosus', vitium superbiae significat; quo, in homine, mortuo, Dominus sedet super solium. Anima iusti sedes est sapientiae. In anima enim, excelsa humilitate, elevata a terrenis aeternorum contemplatione, requiescit Dominus; et tunc domus quinque sensuum est plena a maiestate eius. Omnia enim membra sunt in quiete, cum Dominus quiescit in mente. Unde Dominus in Isaia: Sedebit populus meus, cum ego sedero in eo, in pulchritudine pacis, "quoad honestatem vitae", et in tabernaculis fiduciae, quoad constantiam conscientiae, et in requie opulenta quoad divitias bonae famae. Unde subditur: Et ea quae

sub ipso erant replebant templum. Cum Dominus quiescit in mente nostra, omnia quae agimus sub ipso sunt, quia in humilitate fiunt, et haec replent templum, idest aedificant proximum. Item, 'buxus pallidi est coloris, et ideo significat cibi et potus abstinentiam'. De qua Isaias: Dabit tibi Dominus panem arctum et aquam brevem; et iterum: Pulli asinorum, idest poenitentes, qui operantur terram, idest affligunt carnem suam, commixtum migma comedent. "Migma est hordeum cum palea", in quo cibi asperitas designatur. Item, pinus, 'ex qua pix elicitur', vilitatem habitus significat: venter enim inanis et habitus vilis affectuose Deum deprecantur. Praeteritarum deliciarum et vestium affluentiam, cibi asperitate, vestis vilitate debemus recompensare, ut, sicut dicit Isaias, sit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. Illa quattuor supradicta ornant locum sanctificationis Domini, idest animam poenitentis, in qua quiescit Dominus. Unde et dicit: Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

12 – Huic secundo adventui concordat secunda particula epistolae: Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Hoc est quod dicit Isaias: Vetus error abiit: servabis pacem; pacem, quia in te, "Domine", speravimus. Nox et error peccati significant caecitatem; dies et pax, gratiae illuminationem. Pacis repetitio interiorem et exteriorem significat quietem, quam homo tunc habet, cum Dominus super solium excelsum et elevatum sedet. Sequitur: Abiiciamus ergo opera tenebrarum. Hoc est quod dicit Isaias: In die illa proiciet homo idola argenti sui et simulacra auri sui, quae fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones. Nota quod "in argento eloquentia, in auro sapientia", in talpis avaritia, in vespertilionibus vanagloria designatur. 'Talpa enim, carens oculis, fodit terram'; vespertilio non videt in die, quia caret crystallino humore et habet alas ligatas cum pedibus. Carnalis homo, humum sapiens, ex argento eloquentiae et auro sapientiae facit sibi idola, scilicet talpas avaritiae et vespertiliones vanaegloriae, quae sunt opera tenebrarum. Avaritia enim, sanctae paupertatis carens lumine, terram fodit, terrena diligit. Vanagloria, dum humano diei placet, divinum diem non videt; alas enim, 'idest opera', quibus poterat volare in caelum, habet ligatas ad pedes, 'idest carnales affectus'; appetit enim videri et laudari ab hominibus. Heu! quanti temporis nostri praedicatores et praelati, ex eloquentia et sapientia a Deo sibi concessa, faciunt sibi idola, ipsa adorantes. Quaerunt enim ditari, 'honorari, rabbi vocari, in foro salutari'. Sed, in die illa, idest 'illuminatione gratiae', de qua dictum est: dies autem appropinquavit, homo proicit talpas et vespertiliones, quae lumen non vident et ideo significant opera tenebrarum; et tunc adimpletur quod sequitur: et induamur arma lucis.

13 – Hoc est quod dicit Isaias: Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion; induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem, civitas Sancti. 'Sion et Ierusalem animam significant, quae, dum peccat, diabolo subditur captiva; dum poenitentiam agit, elevatur et consurgit'. Consurge ergo contritione, consurge confessione, induere fortitudine finalis perseverantiae, induere vestimentis gloriae tuae, idest caritatis geminae, et sic eris civitas Sancti Spiritus. Sequitur: Sicut in die honeste ambulemus. De hoc Isaias: Gloria Domini in te videbitur, et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Gentes sunt sensus corporis; reges, affectus mentis. Illi tunc in lumine honestae conversationis et isti in splendore puritatis ambulant, cum hominis anima illuminatur a Domini gloria. Sequitur: Non in comessationibus et ebrietatibus. De quibus Isaias: Prae ebrietate absorti

sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, “idest Deum, qui omnia videt”; ignoraverunt iudicium. Omnes enim mensae repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. Non in cubilibus et impudicitiis. Unde Isaias: Erit cubile draconum et pascua struthionum etc. Quaere in evangelio: Ductus est Iesus in desertum. Non in contentione et aemulatione. Unde Isaias: Unusquisque carnem brachii sui vorabit, “idest in proximos saeviet”, contendendo et invidendo: Manasses Ephraim, idest laici clericos, et Ephraim Manassen, idest clerici laicos; ipsi simul contra Iudam, idest religiosos. Sed induimini Iesum Christum. Unde Isaias: Induit me vestimentis salutis, “idest virtutibus, et indumento iustitiae, idest Iesu Christo”, circumdedit me. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quem, fratres carissimi, devote exoremus, ut lunam, idest animam nostram, totam in sanguinem contritionis convertat, qua, opera tenebrarum abicientes, in die ambulare, ipsum induere mereamur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III – De tertio Christi adventu in morte

14 – Sequitur de tertio adventu. Et stellis. Signa in stellis sunt illa, de quibus dicit Ioannes in Apocalypsi: Stellae ceciderunt de caelo super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur. Dicit Isaias, de homine in articulo mortis laborante: Suspiciet sursum, et ad terram intuebitur: et ecce tribulatio et tenebrae et dissolutio et angustia et caligo persequens; et non poterit avolare de angustia sua. In mortis articulo est tribulatio infirmitatis, tenebrae in oculis, qui tunc, ut dicitur, privantur lumine, dissolutio membrorum, angustia mortis et caligo persequens, idest timor gehennae, vel praesentia diaboli, animam egressuram rapere machinantis. Heu! Miser homo, sive sursum suspiciat, sive terram intueatur, non poterit avolare de angustia sua, quin cadat super terram et revertatur in terram. Unde Isaias: Cecidit, cecidit Babylon, idest hominis caro, et omnia sculptilia deorum eius, idest delectationes sensuum eius, contrita sunt in terra, ‘quia terra es et in terram reverteris’. Hoc est ergo quod dicitur: stellae, idest homines viventes, ceciderunt de caelo, idest firmamento, idest statu suo, quo firmius stare et diutius vivere credebant super terram, de qua creati sunt. Sicut ficus etc. Ficus est natura humana, quae, cum a vento mortis magno movetur, tunc emittit grossos suos, idest perdit sensus et membra, et sic inutilis habetur. Haec sunt signa in stellis. ‘Beatus ergo tunc erit ille servus, quem cum venerit Dominus et pulsaverit ianuam invenerit vigilantem’.

15 – Felix ille, qui in hora suae mortis poterit cantare quod cantatur in introitu hodiernae missae: Ad te levavi animam meam. Hoc est quod dicit Isaias: Elevare, elevare, consurge, Ierusalem. O anima, elevare a tuae carnis illecebra, elevare a mundi concupiscentia, consurge ad aeterna gaudia. In mortis articulo securus erit qui ita animam suam ad Deum levaverit. Deus meus, in te confido. Hoc est quod dicit Isaias: Et erit in die illa: non adiiciet residuum Israel, inniti super eo, “idest Assyrio”, idest diabolo, qui percutit eos, sed innitetur super Dominum, Sanctum Israel. In te, inquit, confido, non in carne, non in mundo. De cuius confidentia dicit Isaias: Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius et perforabit eam. Abundantia mundi et sanitas corporis sunt quasi arundo, quae radicem habet in luto, ‘interius vacua et exterius pulchra’. Haec arundo, si super illam homo innititur, in morte confringitur, confracta vulnerat animam, quae vulnerata cadit in

gehennam.

Sequitur: Non erubescam. Vere, vere, qui dum vivit in Domino confidit, in hora mortis non erubescit, sed exultans dicit cum Isaia: Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. E contra, confidentibus in mundo comminatur Isaias: Erubescetis super hortis quos elegeratis. Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua; et erit fortitudo vestra ut favilla stuppae, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat. In fine vitae suae erubescent carnales super hortis 'gulae et luxuriae', quae sibi elegerunt dum viverent. Erunt nudi et aridi velut quercus defluentibus foliis, idest divitiis et deliciis; et velut hortus absque aqua, quia omnis delectatio cessabit. Amplius enim per canales sensuum non decurret aqua mundanae voluptatis ad inebriandam concupiscentiam carnis. Et "tunc" erit fortitudo, "idest superbia eorum in qua confidebant", ut favilla stuppae, "quia citissime consumetur"; et opus eorum quasi scintilla, "idest nullius momenti"; et succendetur "a daemonibus" utrumque, "idest fortitudo superbiae et opus avaritiae", et non erit qui extinguat. Unde Isaias: Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur. Sequitur: Neque irrideant me inimici mei. De qua irrisione dicit Ieremias in Threnis: Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et commoverunt capita sua super filiam Ierusalem: Haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilaverunt et fremuerunt dentibus et dixerunt: Devorabimus; en ista est dies quam expectabamus: invenimus et vidimus. Ab hac irrisione in fine vitae suae securi erunt illi, qui in Domino sunt confisi, quibus ipse promittit in Isaia: In laetitia egrediemini, scilicet a corpore, et in pace deducemini "ad patriam caelestem". Montes, "idest angeli", et colles, "idest apostoli", cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis, "idest animae sanctorum", plaudent manu de vestro consortio, exultantes et Dei Filium collaudantes. Quem, fratres carissimi, devote postulemus, ut cum extrema dies finisque vitae nostrae advenerit, ab irrisione daemonum nos liberet, et in laetitia egredi et in pace deduci per manus angelorum faciat. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

IV – De quarto Christi adventu in maiestate

16 – Sequitur de quarto adventu. Et in terris pressura gentium. De qua pressura dicit Isaias: Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius. "Quomodo ebrius nescit quid agat, sic omnes qui versantur in terra malorum, magnitudine ebrii erunt et stupebunt ad omnia". Terra hic quater posita quattuor peccatores significat, scilicet superbos, luxuriosos, avaros et iracundos. Superbi confringentur; unde: Molas leonum confringet Dominus. Luxuriosi conterentur; unde Ieremias: Duplici contritione conteret eos Dominus, ut, qui in anima et carne peccaverunt, in utroque puniantur. Avari commovebuntur; unde Iob: Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit. Iracundi agitabuntur; unde iterum Iob: Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu irae eius esse consumptos. Sequitur: Prae confusione sonitus maris et fluctuum. Unde Isaias: Eritque repente confestim, a Domino Deo exercituum visitabitur in tonitruo et in commotione terrae, et voce magna turbinis et tempestatis et flammae ignis devorantis. "Elementa

vindicabunt Auctorem. Calamitas" damnandorum erit repente. Unde Apostolus ad Thessalonicenses: Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet. Cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient. Confestim. Unde in Apocalypsi: Ecce, venio cito. Amen. Veni, Domine Iesu. Et tunc peccator visitabitur in tonitruo de caelo, et in commotione terrae; quae, pondere peccatorum illius aggravata, excutiet ipsum a se; et voce magna turbinis de aere et tempestatis de mari. Quo ergo miser fugiet? Ubi se abscondet? Si in caelum voluerit ascendere, tonitruo propulsabitur; si in aerem, turbine conteretur; si in terra remanere, eius tremorem non poterit sustinere, quia, ut dicit Iob, terra adversus eum consurget; si in mare intrare, fluctibus eius expelletur. Quid ergo restat misero, cuius non est inventus locus in toto mundo, nisi ut cadat in abyssum flammae ignis devorantis? De quo Iob: Devorabit eum ignis, qui non succenditur.

17 – Sequitur: Arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi. Hoc est quod dicit Isaias: Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt; quasi parturiens dolebunt; unusquisque ad proximum suum stupebit; facies combustae vultus eorum. Ecce dies Domini veniet, crudelis et indignationis plenus et irae furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellae caeli et splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum; et requiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo. Sequitur: Nam virtutes caelorum movebuntur, prae admiratione scilicet. Unde Isaias: Tabescet omnis militia caelorum, et complicabuntur sicut liber caeli. Ibi GLOSSA: "Aer iste igne involvetur et plicari videbitur sicut liber. Postquam enim omnia peccata aperta fuerint et relicta, complicabuntur libri, qui aperti fuerant, ut ultra in eis non scribantur delicta. Hinc Daniel: Iudicium sedit, et libri aperti sunt." Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate. Nota ista: potestatem et maiestatem. Potestas erit quoad damnandos, maiestas quoad salvandos. De utraque dicamus.

18 – De potestate habes concordantiam in Isaia: Dominus, inquit, sicut fortis egredietur, sicut vir proeliator suscitabit zelum, "idest ultiones"; vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar: Dissipabo et absorbebo simul. Desertos faciam montes et colles, et omne germen eorum exsiccabo. Tacuit Dominus, tamquam ovis ad Passionem ductus; silet modo a flagellis; unde Iob: 'Virga Dei non est super eos'; patiens est, "expectans ad poenitentiam"; unde Ecclesiasticus: Dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Sed in iudicio sicut parturiens loquetur, "dissimulatum dolorem proferens". Tunc dissipabit congregationes divitiarum et absorbebit potentiam eorum; desertos faciet montes et colles, 'idest superbiam praelatorum et subditorum', et omne germen gulae et luxuriae eorum exsiccabit. Item, de hac potestate dicit Isaias: Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Bosra, interfectio magna in terra Edom. Et descendent unicornes eius et tauri cum potentibus; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus

eorum adipe pinguium, quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion. Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur, et erit terra eius in picem ardentem. Nocte et die non extinguetur in sempiternum, ascendetque fumus eius a generatione in generationem. In die iudicii gladius, 'idest potestas, Domini, ulciscens' se de inimicis suis, erit repleta sanguine et incrassata adipe, idest puniet 'peccata et opulentiam carnalium'; de sanguine agnorum, 'idest hypocritarum', qui, cum sint lupi, agnos se simulant; et hircorum, "idest libidinosorum"; et medullatorum arietum, idest pinguium abbatum et priorum, 'qui sunt duces gregis'. Victima enim, 'idest ultio', Domini erit in Bosra, "quae interpretatur munita", idest discordi et dissoluta claustralium congregatione, quae est exterius muris munita, sed interius omni transeunti vitio exposita. Unde Isaias: Posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus. Et interfectio magna in terra Edom, "qui interpretatur sanguineus vel terrenus", idest in clericis, qui sanguine luxuriae et terra pecuniae sunt coinquinati. Et unicornes eius, 'idest imperatores et reges huius mundi', et tauri, idest episcopi mitrati, qui habent in capite duo cornua velut tauri. Omnes isti, qui veram poenitentiam de peccatis non egerunt, descendent cum potentibus, 'idest huius saeculi principibus et potestatibus', "in infernum", quae est terra morientium, quae eorum sanguine et adipe, "idest malitia et superbia", inebriabitur. Cetera, quae in auctoritate sequuntur, expositione non indigent.

19 – Item, de maiestate Domini habes concordantiam in Isaia: Erit, inquit, tibi Dominus in lucem senlpiternam, et complebuntur dies luctus tui. Quia oblivioni traditae sunt angustiae priores, et quia absconditae sunt ab oculis, scilicet illorum, qui in hac vita in sanctitate et iustitia eum expectabant venturum ad iudicium. De quibus dicitur inferius in introitu missae: Etenim universi qui te expectant non confundentur. Vere, vere, Domine, non confundentur, immo in sempiternum exultabunt; unde de eorum gloria et malorum poena promittis in Isaia: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt prae exultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut cum ad extremi examinis diem, reddere unicuique secundum quod gessit, cum potestate magna et maiestate venerit, non potestatem cum damnandis circa nos exerceat, sed cum beatis maiestate sua nos beatificet, qua cum ipsis comedere et bibere, laetari et exultare mereamur in regno caelorum. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus in aeterna saecula. Dicat omnis beata anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA II DE ADVENTU

Themata sermonis

Evangelium in secunda dominica de Adventu: Cum audisset Ioannes, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis in capite ieiunii, ibi: Excutere de pulvere et [DE PRIMA CLAUSULA] de peccatorum quaternario, ibi: Vae genti peccatrici. DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis contra superbos, ibi: Quis caecus. Item contra hypocritam, ibi: Claudi ambulant. Item contra luxuriosos, ibi: Naaman erat vir magnus. Item contra avaros, ibi: Surdi audiunt. Item contra gulosos, ibi: Mortui resurgunt. Item ad

pauperes spiritu, religiosos vel claustrales, ibi: Consolabitur Dominus Sion. DE TERTIA CLAUSULA. Sermo moralis et specialis ad claustrales et religiosos, ibi: Quid existis, et cetera quae in eodem sequuntur.

Exordium. Sermo in capite ieiunii

1 – In illo tempore: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi etc. Dicit Isaias: Excutere de pulvere, consurge, sede, Ierusalem! solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Nota ista quattuor verba: excutere, consurge, sede, solve. "Pulvis dictus, quod pulsetur vi venti", est carnis concupiscentia, quae, impulsu diabolicae suggestionis, rapitur per diversa peccata. Unde Iob: Tollet eum ventus urens. De hoc pulvere dicit Isaias: Serpenti, "idest diabolo", pulvis panis erit. Ne ergo, Ierusalem, 'idest anima', te diabolus cum pulvere comedat, excutere de pulvere, idest tuae carnis voluptate. Excutite, inquit Dominus, pulverem de pedibus vestris. Numquid pulvis confitebitur tibi? Consurge, idest simul surge, mente scilicet et corpore, ad opera poenitentiae. Hoc est quod dicit Salomon: Aufer rubiginem de argento, hoc est excutere de pulvere; et egredietur vas purissimum, hoc est consurge, sede, idest quiesce, a tumultu saecularium. Unde Ieremias: Sedebit solitarius et tacebit. Et Isaias: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. Solve vincula colli tui etc. Respondent ultima primis. Eadem inculcat, ut firmius memoriae inhaereant. Carnis voluptas et mundi vanitas sunt vincula, quibus anima, ad collum ligata, tenetur captiva, ne valeat exire in libertatem confessionis. Solve ergo vincula colli tui. De quibus vinculis dicitur in hodierno evangelio: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi etc.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Ioannis incarceratio, ibi: Cum audisset. Secundum, miraculorum Christi operatio, ibi: Euntes renuntiate. Tertio, beati Ioannis commendatio, ibi: Quid existis etc. Introitus missae cantatur: Populus Sion. Et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: Quaecumque scripta sunt. Quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima particula est: Quaecumque. Secunda: Suscipite invicem. Tertia: Deus autem spei.

I – De Ioannis incarceratione

3 – Dicamus ergo: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es qui venturus es? an alium expectamus? Dicitur in eodem evangelista, quod Herodes tenuit Ioannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Nota. Quid Herodes et Herodias, quid Ioannes et eius vincula, quid duo discipuli moraliter significent, videamus. Herodes est mundus; Herodias, caro; Ioannes, hominis spiritus; vincula, vanitas et voluptas; duo discipuli, spes et timor. Herodes et Herodias "interpretatur gloria pellis". Mundus et caro in exteriori pulchritudine habent gloriam. De qua Isaias: Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam vestram? Et iterum: Subtus, idest in inferno, gloria eius, idest mundi et carnis, succensa ardebit quasi combustio ignis. Unde iterum dicit: Quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam, idest in infernum – quae dilatavit animam suam et aperuit os suum absque ullo termino –, ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae. "Ioannes interpretatur Domini gratia", et significat hominis spiritum,

qui gratiam Domini in Baptismo suscepit. Unde habes concordantiam in Isaia: Effundam super sitientem aquam, et fluenta super aridam. Effundam super semen tuum spiritum meum et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta praeterfluentes aquas. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Iacob; et hic scribet manu sua: Domino; et in nomine Israel assimitabitur. Sitiens et arida est anima ante Baptismum. Eramus, inquit Apostolus, natura filii irae. Sed Dominus, effundens aquam baptismalem, effundit spiritum et benedictionem suam, ut de filiis irae faciat filios gratiae, et sint semen et stirps, 'idest filii sanctae Ecclesiae', et germinent inter herbas, "idest sanctos, quasi salices, idest fide, virtutibus virentes", iuxta praeterfluentes aquas, idest charismata gratiarum. Iste dicet: Domini ego sum. Ecce Ioannes, ecce Domini gratia. Et ille, "idest alius fidelis", vocabit, "ad poenitentiam", sicut fecit Ioannes, in nomine Iacob, "idest ut vitia supplantet". Et hic, "idest idem", scribet manu sua, "idest opere suo" Domino, idest ad honorem Domini. Et in nomine Israel assimilabitur, "idest secundum nomen Israel, scilicet vir videns Deum, nunc fide et spe, tandem ipsa re".

4 – Hunc Ioannem, sic Domini gratia illuminatum, Herodes et Herodias, idest mundus et caro, alligant suis vinculis: mundus vanitate, caro voluptate. Mundi vanitas consistit in superbia et avaritia; carnis voluptas in gula et luxuria. De his quattuor dicit Isaias: Vae genti peccatrici, peccato superbiae, populo gravi iniquitate, avaritiae, semini nequam, gulae, filiis sceleratis, luxuriae. Ecce quibus vinculis noster spiritus captus tenetur. Sed, inter haec quid debet facere? Illud scilicet quod dicitur in hodierno evangelio: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi etc. Opera Christi sunt creatio et recreatio. De quibus habes concordantiam in Isaia: Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris – in quibus quinque sensuum delectatio, ut longe superius dictum est, designatur –, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Opus Domini, creatio; quae, bene considerata, suum inspectorem transmittit ad sui Creatoris considerationem. Si tanta pulchritudo in creatura, quanta est in Creatore? Opificis sapientia resplendet in materia. Sed hoc sensibus dediti non respiciunt. Nec opera manuum eius, quae clavis in cruce fuerunt perforatae, considerantur. Affixis enim manibus in cruce diabolum debellavit et humanum genus de eius manibus eripuit. Haec opera Christi cum spiritus noster audit, positus in vinculis, statim debet mittere duos de discipulis. Audit, inquam, interius aure cordis ab inspiratione Spiritus inspirantis, vel exterius aure corporis a voce praedicantis. Cum sic audit, spem et timorem debet ad Iesum mittere, dicens illi: Tu es qui me creasti et recreasti, fecisti et redemisti – et in hoc mihi spes de tua misericordia –, venturus es me iudicare secundum mea opera – et in hoc timor de tua iustitia –, an alium expectamus, orbem terrae in aequitate iudicaturum? Non utique! Qui enim fecit et redemit, ipse et iudicabit. Omne, inquit, iudicium dedit Filio.

5 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Quaecumque scripta sunt etc. Unde Dominus ad Isaiam: Nunc ingressus scribe eis super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo testimonium usque in aeternum. Super buxum, inquit, "ut scilicet in perpetuum maneat". Summa omnium quae ad nostram doctrinam scripta sunt in tribus maxime consistit, scilicet creatione, redemptione, ultimi iudicii examine. Creatio et redemptio docent nos Deum amare, ultimum iudicium docet nos ipsum timere. Ut per patientiam et consolationen scripturarum spem habeamus. Audi

quomodo Scriptura consolatur tribulationem patientem. Ait Dominus in Isaia: Cum transieris per aquam, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit te. Quia ego Dominus Deus tuus. Et iterum: Noli timere, vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel. Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. Et iterum: Ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeas ab homine mortali et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet? Sequitur: Deus autem patientiae, qui dicit in Isaia: Tacui, silui, patiens fui, et solatii, qui iterum dicit: Consolabor vos et in Ierusalem consolabimini. Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, "idest corpora vestra reviviscent in immortalitate", det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi. Hoc est quod dicit Isaias: "Duo Seraphim" clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius. "Seraphim interpretatur ardentia". Seraphim sunt illi qui alterna ardent caritate, qui idipsum, idest unum et idem, sapiunt secundum Iesum Christum. Cum ergo dicit: Det vobis Deus idipsum sapere in alterutrum, hoc est: Duo Seraphim clamabant alter ad alterum; cum addit: ut unanimes uno ore honorificetis etc., hoc est: Et dicebant: Sanctus, sanctus etc. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut spiritum nostrum a vinculis mundi et carnis liberet, qua uno animo, uno ore, ipsum honorificare et glorificare valeamus, cuius gloria plena est omnis terra. Ipsi honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

II – De Christi miraculorum operatione

6 – Sequitur secundum. Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis. 'Hic destruitur error haereticorum, qui dicunt Ioannem esse damnatum, eo quod de Christo dubitaverit, dicens: Tu es qui venturus es?' et in illa dubitatione fuisse in carcere mortuum, ante discipulorum quos miserat reditum. Obmutescat lingua maledicta. 'Ioannes de Christo non dubitavit, cui testimonium perhibuit: Ecce agnus Dei! Sed, ut suos discipulos in Christi fide confirmaret, mittens interrogavit, ut, ipsius visis miraculis, de cetero non dubitarent'. Unde 'Dominus non ad interrogationem Ioannis, sed ut eius corda discipulorum confirmaret, respondit', dicens: Caeci vident etc. Dicit GREGORIUS: "Ioannes ipsum redemptorem mundi esse non dubitat, sed quaerit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat". Hoc etiam quod obiciunt, quod ante reditum discipulorum mortuus fuerit, ex sancti evangelii verbis aperte ostenditur esse falsum. Aut Dominus discipulis Ioannis impossibile praecepit aut possibile, cum dixit: Ite, renuntiate. Dominus numquam praecipit impossibile. Sed si Ioannes, antequam discipuli redirent, mortuus fuerit in carcere, Dominus impossibile praecepit: Ite, renuntiate. Cui renuntiarent? Mortuo? Non utique. Constat ergo quod discipuli Ioannem vivum invenerunt, cui audita et visa renuntiaverunt. Dominus enim semper possibile praecipit. Sequitur: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Quid ista sex moraliter significent videamus. Caeci sunt superbi, claudi hypocritae, leprosi luxuriosi, surdi avari, mortui gulosi, pauperes humiles.

7 – Caeci vident. Hoc est quod dicit Isaias: De tenebris et caligine oculi caecorum videbunt. Idem dicit: Quis caecus, nisi qui venundatus est? Et quis caecus nisi servus

Domini? Qui vides multa, nonne custodies? Qui sunt hodie caeci, idest superbi, nisi illi qui vocantur servi Domini et videntur servire Domino, idest religiosi et clerici? Qui sunt superbi, nisi qui multa vident in Scripturis, qui multa docent et praedicant, et nihil custodiunt? Aliis vident multa, sed sibi nulla. De omnium istorum superbia, sub typo vallis visionis dicit Isaias: Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu in tecta, clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans? Quasi diceret: Tolerabile est si sublimia appetant saeculares, sed quid vobis religiosis et litteratis, qui multa videtis, visum est, ut et vos sublimia appetatis et in tecta superbiae ascendatis clamoris plena? Superbia enim clamosa est. Unde Isaias: Vae multitudini populorum multorum, ut multitudo sonantis maris. E contra de humili Christo dicit Isaias: Non clamabit, neque audietur foris vox eius. Urbs frequens, "idest populosa", civitas exultans. De qua Isaias: Super humum populi mei, 'idest mentem humilium', spinae et vepres, 'idest punctiones et dolores', ascendent; quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? scilicet in sua superbia, quae excaecat oculos mentis, ne videat aeterni gaudii civitatem. De qua Isaias: Respice Sion, civitatem solemnitatis nostrae: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam. Quam ut videre valeas, collyrio humilitatis inunge oculos tuos, et audire mereberis: Respice, humilitas tua te illuminavit. Caeci ergo vident.

8 – Sequitur: Claudi ambulant. Claudus dicitur, quasi clausus in eundo. Hypocrita in via suae conversationis clausus incedit. 'Qui enim male agit odit lucem, ne arguantur opera eius a lumine'. Unde Isaias: Vae qui profundi estis corde, "idest celantes iniquitatem vestram", ut a Domino abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos? et quis novit nos? Hypocrita claudicat uno pede. Unum enim pedem a terra suspendit et alium in terra ponit. Dum vilitas in veste, humilitas in voce, pallor in facie apparent, pedem a terra levat. Sed cum pro his laudari appetit, sanctus videri quaerit, tunc procul dubio alium pedem in terra ponit. Aliter. Dicitur in secundo libro Regum, quod 'Miphiboseth claudus erat utroque pede'. 'Miphiboseth interpretatur vir confusionis', et significat illos qui claudi sunt utroque pede, affectu scilicet et effectu. Quibus qui claudicant, digni sunt aeterna confusione. De qua Isaias: Minabit rex Assyriorum captivitatem Aegypti et transmigrationem Aethiopiae, iuvenem et senem, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti. Rex Assyriorum, "idest diabolus", minabit ad infernum captivitatem Aegypti, idest illos quos tenuit captivos in peccato, et transmigrationem Aethiopiae, idest illos qui de virtutibus ad vitia transmigrantur; iuvenem, "idest malitia robustum", et senem "dierum malorum inveteratum", nudum 'veste nuptiali', discalceatum hyacintho caelestis desiderii, quoad pedem affectus, unde Ezechiel: Calceavi te hyacintho, et calceamento mortificationis, quoad pedem effectus, unde in Ruth: Tolle calceamentum tibi. Quod statim solvit de pede suo. Et, ut dicitur in Deuteronomio, 'domus talis vocabitur domus discalceati in Israel'. Discoopertis natibus, ut omnibus eius appareat turpitudo, minabit, inquam, ad ignominiam Aegypti, idest amatorum huius mundi. Quam qui evadere desiderant, pedibus suis rectos gressus faciant, scilicet affectum bona voluntate et effectum operis humilitate calcient, et sic audire merebuntur: Claudi ambulant.

9 – Leprosi mundantur. Dicitur in quarto libro Regum, quod 'Naaman erat vir magnus et dives, sed leprosus', quia ubi divitiarum et deliciarum affluentia, ibi luxuriae lepra. Unde Isaias, cum praemitteret: Repleta est terra argento et auro, non est finis thesaurorum eius,

statim addidit: Et repleta est terra eius equis, idest luxuriosis. Unde dicitur in Exodo, quod ‘ex auro formatus est vitulus’, quia ex auro abundantiae formatur vitulus petulantis luxuriae. De quo Isaias: Ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates eius. Hoc idem est quod dicit Iob de luxuria: Ignis est usque ad consumptionem devorans, et omnia eradicans genimina. Lavamini, o leprosi, et mundi estote; auferte luxuriae malum cogitationum vestrarum ab oculis Domini; quiescite agere perverse in vestro corpore, ut de vobis dicatur: Leprosi mundantur.

10 – Sequitur: Surdi audiunt. Hoc est quod dicit Isaias: Audient in die illa surdi verba libri. ‘Surdus dicitur, quasi sordidus’; habet enim sordes in auribus, quibus oppilantur viae auditus. Surdi sunt avari et usurarii, quorum aures sunt obturatae sordibus pecuniae. Unde in Psalmo: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas. ‘Dicitur quod serpens, ne audiat vocem incantantis, unam aurem applicat terrae, et aliam obturat cauda’. ‘Auris dicta, quod avide rapiat, vel quod hauriat sonum’. Infelix avarus vel usurarius tanto dono naturae et gratiae se privat; qui, ne verbum vitae avide rapiat, vel sonum praedicantis hauriat, aures cordis obturat, scilicet terra, idest amore pecuniae iam acquisitae, et cauda, idest turpi ambitione acquirendae. Qui huiusmodi sunt, si verba libri, idest evangelii, quo dicitur: Beati pauperes, volunt audire, oportet eos a cordis auribus terram pecuniae, male acquisitae, excutere, et caudam acquirendae omnino extrahere. Et tunc de eis poterit dici: Surdi audiunt.

11 – Sequitur: Mortui resurgunt. Hoc est quod dicit Isaias: Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. Mortui sunt gulosi. Sepulcrum, inquit, patens guttur eorum, quo velut mortui iacent sepulti. Unde Isaias: Verum hi quoque prae vino nescierunt, et prae ebrietate erraverunt; sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino. Sicut offa, dum absorbet vinum, absorbetur a vino, et descendit ad fundum calicis; sic isti, dum absorbent, absorbentur, et in inferno sui ventris sepeliuntur. ‘Dives, qui quotidie epulabatur splendide, in sua vita quodammodo sepultus erat in inferno. Lazarus vero mendicus foris ad ianuam, non intus, iacebat’; extra ianuam, idest delectationem quinque sensuum, famelicus iacebat. ‘Et Dominus, ut dicit Apostolus, extra portam passus est’. Dives vero intra ianuam se quotidie sepeliebat in inferno. Et ‘in inferno ventris, o Domine, quis confitebitur tibi?’ ‘Neque mortui laudabunt te, Domine’. Qui laudare volunt, de sepulcro gulae egrediantur; de tenebris et chao inferni, in lucem abstinentiae potus et cibi. De hoc Isaias: Expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus. Sicut ros refrigerat ardorem et lux tenebras fugat, sic abstinentia ardorem gulae et vitiorum refrigerat, et mentis tenebras fugat. Et sic ad vitam mortui resurgunt.

12 – Sequitur: Pauperes evangelizantur. De quibus Isaias: Pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent; et iterum: Addent mites in Domino laetitiam, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Soli pauperes, “idest humiles”, evangelizantur, quia concavitas est receptiva infusorum, sed tumor infusa repellit. ‘Qui sitit, inquit Dominus, veniat et bibat’. Quia, ut ipse dicit in Isaia, effundam aquam super sitientem, et fluenta super aridam. Verbum vitae, aquam salutaris sapientiae, sitiunt hodie pauperes, simplices, idiotae, rustici et vetulae. Cives vero Babyloniae, qui inebriantur aureo calice meretricis magnae, sapientes, consiliarii Pharaonis, qui, ut dicitur in Iob, ‘pleni sunt sermonibus et coartat eos spiritus uteri sui, et venter eorum quasi mustum

absque spiraculo, quod laguncula novas dissipat', credite mihi, quia non tales, sed soli pauperes evangelizantur.

13 – Sequitur: Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Christus est veritas. In Christo fuerunt paupertas, obedientia et humilitas. Qui in his vel de his scandalizatur, in Christo scandalizatur. Veri pauperes non scandalizantur, quia ipsi soli evangelizantur, idest verbo evangelii pascuntur, 'quia ipsi populus Domini et oves pascuae eius'. De quo populo cantatur in introitu hodiernae missae: "Populus Sion, ecce Dominus veniet ad salvandas gentes – Hoc est quod dicit Isaias: Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, "scilicet vobis in auxilium", et Ierusalem, "idest Ecclesiae", evangelistam, "idest bona nuntiantem", dabo, ut pauperes evangelizentur et gentes evangelio salventur –, et auditam faciet Dominus gloriam laudis suae in laetitia cordis vestri".

14 – Hoc est quod dicit Isaias: Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas eius; et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. "Sion interpretatur specula". Populus Sion sunt pauperes spiritu, qui, elevati a terrenis et in eminentiori paupertatis specula constituti, contemplantur Dei Filium, in via peregrinum, in patria gloriosum. Hanc Sion consolatur Dominus; desolatos temporalibus bonis consolatur Dominus suis, unde addit: Et consolabitur omnes ruinas eius. Cum mundanae consolationis ruit aedificium, statim Dominus erigit internae consolationis domum. Et ponet desertum eius quasi delicias. Desertum enim exterioris paupertatis facit delicias internae suavitatis. 'Dominus huius mundi divitias vocat spinas'. Isaias desertum paupertatis vocat delicias. O spinae mundi! O deliciae deserti! Quantum distat veritas a falso, lux a tenebris, gloria a poena, tanta inter vos differentia. Istae deliciant, illae sauciant. In his requies, in illis vanitas et afflictio spiritus. De his dicit Dominus in Parabolis: Deliciae meae esse cum filiis hominum, quos natura pauperes genuit – Nudus, inquit, egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc –, sed malitia divites fecit, quia qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Deliciae ergo meae esse cum filiis hominum, non cum filiis daemonum. O paupertas, odibile bonum filiis daemonum, deliciae tuae aeternae dulcedinis saporem suis praebent amatoribus! Sequitur: Et solitudinem eius quasi hortum Domini. Paupertas solitudinem diligit, quia, ut dicit Isaias: Habitabit in solitudine iudicium. Unde Ieremias: 'A facie manus Domini solus sedebam, quia amaritudine replesti me'. Qui de se iudicium vult agere, necesse est ipsum in solitudine ad minus mentis habitare, de qua Ecclesiasticus: In tempore vacuitatis sapientiam scribe. Ubi iudicium ibi sapientia, ubi sapientia ibi hortus, idest paradisus, Domini. Et quia paupertas vera semper est laeta, ideo addit: Gaudium etc. Ibi dicit GLOSSA: "In Sion, quae comparatur paradiso, debet tantum esse gaudium et laetitia, confessio et vox laudis, ut quod in caelo facturi sunt cum angelis, in terra iugiter meditentur".

15 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Suscipite invicem sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Sicut Christus suscepit caecos, ut eos illuminaret, claudos, ut eis gressum praeberet, leprosos, ut eos mundaret, surdos, ut eis auditum restitueret, mortuos, ut eos resuscitaret, pauperes, ut eos evangelizaret; sic in invicem debemus nos suscipere. Si proximus tuus est superbia caecus, quantum in te est

illumina oculos eius exemplo humilitatis; si claudus hypocrisi, rectifica eum opere veritatis; si leprosus luxuria, munda eum verbo et exemplo castitatis; si surdus avaritia, propone ei exemplum dominicae paupertatis; si mortuus gulositate et ebrietate, resuscita eum exemplo et virtute abstinentiae; pauperibus vero evangeliza vitam Christi. Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut a supradictis animae infirmitatibus nos curare et ad se ipsum suscipere dignetur. Qui est benedictus in saecula. Amen.

III – De beati Ioannis commendatione

16 – Sequitur tertium. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Nota. Quid desertum, quid arundo, quid homo mollibus vestitus moraliter significent, videamus. Desertum est religio. Unde habes concordantiam in Isaia: Laetabitur, inquit, deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans. In qualibet religione tria sunt omnino observanda, scilicet paupertas, castitas et obedientia. Quae tria in hac auctoritate notantur. Paupertas, cum praemittitur: Laetabitur deserta; castitas, cum adiungitur: Et florebit quasi lilium; obedientia, cum subinfertur: Germinans. Dicamus ergo: Laetabitur deserta. Nota quod, quilibet religiosus, qui veram paupertatem vult habere, tria oportet eum facere: primo, omni exteriori substantiae renuntiare; secundo, voluntatem aliquid habendi de cetero non habere; tertio, ipsius paupertatis necessitatem patienter tolerare. Haec tria in his tribus verbis: deserta, invia et solitudo notantur. Vita cuiuslibet religiosi debet esse deserta, in omni exterioris substantiae abrenuntiatione; invia, "idest sine via", idest, ut nullum vestigium aliquid habendi in ipsius remaneat voluntate. De his duobus dicit Isaias: Erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur. "Charmel interpretatur cognitio circumcisionis". Desertum ergo, 'idest religio', erit in Charmel, idest circumcisionem, quoad substantiae renuntiationem, et substantiae circumcisio in saltum, quoad non habendi voluntatem. Quicumque ab his duobus vinculis est ereptus, bene potest laetari et cantare: 'Anima mea erepta est de laqueo venantium'. Laetabitur ergo deserta et invia. His duobus tertium debet adiungi, ut religiosus 'sciat esurire et sitire et penuriam pati'. Et sic erit solitudo, quae tunc exultabit, cum haec et his similia patienter sustinebit.

17 – Sequitur de castitate. Et florebit quasi lilium. 'Lilium dictum, quasi lacteum', 'candorem significat castitatis'. Unde in Threnis Ieremias: Nazaraei eius candidiores nive, nitidiores lacte. Quibus Dominus promittit in Isaia: Non dicat eunuchus, 'idest qui se propter regnum caelorum castravit, idest continentiam promisit': Ecce ego lignum aridum. Quia hoc dicit Dominus eunuchis: Qui custodiunt sabbata mea, idest cordis munditiam, quae est sabbatum pectoris, et elegerunt quae volui, "idest continentiam corporis", de qua Apostolus: Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas, "idest corpus", suum possidere in honore et sanctificatione; et tenuerunt foedus meum, "quod pepigerunt mecum in Baptismo", dabo eis in domo mea, "in qua mansiones multae sunt", et in muris meis, unde in Apocalypsi: Erat structura muri eius ex lapide iaspide, 'qui viridis est coloris', in quo aetemae viriditatis iucunditas designatur, locum, de quo in Ioanne: Vado vobis parare locum, et nomen melius, "idest excellentius", a filiis et filiabus, "idest quam si filios et filias generassent": nomen

sempiternum, de quo in Apocalypsi: Scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis novae Ierusalem et nomen meum novum. Habebit nomen Dei, quia 'erit similis Deo, et videbit eum sicuti est'; Ego, inquit, dixi: Dii estis; nomen Ierusalem, quia pacificus; nomen Iesu, quia salvatus. Nomen ergo sempiternum dabo eis, quod non peribit, idest nulla oblivione delebitur.

18 – Sequitur de obedientia. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans. Nota quod vera obedientia in se habet quinque, quae in his quinque verbis, germinans et ceteris, designantur. Vera obedientia est humilis, devota, festina, iucunda et perseverans. Humilis in corde, hoc est germinans. Germen initium est floris, et humilitas, omnis bonae actionis. Devota in voce, hoc est germinabit. Ex humilitate enim cordis procedit devotio vocis. Festina in iussione, cui concordat exultabit. Exultavit, inquit, ut gigas ad currendam viam. Iucunda in tribulatione, hoc est laetabunda. Perseverans in praecepti adimpletione, et tunc erit laudans, quia omnis laus in fine canitur. O religiosi, tale debet esse nostrae religionis desertum, ad quod de mundi vanitate existis incolendum. Unde vobis Dominus dicit: Quid existis in desertum videre?

19 – Sequitur: Arundinem vento agitatam? 'Arundo dicta est quasi aura ducta vel quasi arida'. Nota quod arundo radicem habet in luto, 'in quo gula et luxuria'; 'vacua est interius, pulchra exterius, in quo hypocrisis et vanagloria'; 'a vento undique agitatur, in quo mentis instabilitas designatur'. Infelix illud claustrum, maledictum illud religionis desertum, in quo talis arbor plantatur et crescit, 'ad radicem cuius arboris securis posita est, ut excidatur et in ignem mittatur'. Dicit Dominus in Isaia: Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul, non arundinem vento agitatam. 'In abiete, caelestis conversatio; in ulmo, quae vitem sustentat, proximi compassio'; 'in buxo, qui pallidi est coloris, corporis mortificatio designatur'. His arboribus, non arundine vento agitata, igne comburenda, desertum benedictionis, paradisus sanctae religionis conseritur et decoratur. Sequitur: Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? In hoc eodem evangelista legitur, quod Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erat locustae et mel silvestre. Videte ergo, obsecro, si nostri temporis religiosi his vestimentis induuntur, his cibis utuntur. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Non dico religio, sed daemonum legio fecit de deserto palatium, de claustro castellum, de solitudine curiam regalem. Religiosus et miles de eodem panno partiuntur sibi vestimentum. Sed eremi cultor, maximus vatum, de pilis camelorum habuit vestimentum. Si beatus Ioannes, praenuntiatus ab Angelo, sanctificatus in utero, laudatus a Domino: Inter natos mulierum etc., tanta fuit usus asperitate, quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, a Domino, nisi misericordia affuerit, reprobandi, debemus facere? Quanta afflictione, quanta asperitate nos affligere? In deserto ergo poenitentiae sit vilitas habitus, asperitas victus, ut vere possimus vocari religiosi, idest religati, ab omni scilicet voluptate carnali.

20 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Deus autem spei. De quo Isaias: Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. Qui sperant "non in se" sed in Domino, qui est Deus spei, mutabunt fortitudinem, 'ut sint fortes in ipso, debiles in mundo' – Haec est mutatio dexterae Excelsi –; assument pennas geminae dilectionis,

“quibus volent ad caelum”, sicut aquilae. “Aquila, secundum PHYSICOS, alliso ad silicem rostro, vetustate nimia aduncato, innovatur. Sic qui vetustatem peccati per petram, ‘quae est Christus’, mortificant, mortui mundo innovantur Deo. ‘Renovabitur sicut aquila iuventus tua’”. Current ad apprehendendum aeternae felicitatis bravium, et non laborabunt, “quia amanti nihil difficile”; ambulabunt de virtute in virtutem, et non deficient, “quia in aeternum vivent”. Repleat vos omni gaudio; de quo Isaias: Gaudete cum ea, idest Ierusalem, gaudio universi qui lugebatis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius; et pace, de qua Isaias: Ponam visitationem tuam pacem, in credendo, unde Isaias: Si non credideritis, non permanebitis, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti, unde Isaias: Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, idest diaboli suggestione, umbraculum ab aestu, idest carnis tentatione. Quicumque religiosus fuerit repletus his tribus, scilicet spe, gaudio et pace: spe quoad paupertatem, quae in Deo tantum sperat; gaudio quoad castitatem, sine qua non est gaudium conscientiae; pace quoad obedientiam, extra quam quicumque fuerit pacem non habebit, unde Isaias: Non est pax impiis, dicit Dominus; Si his fuerit repletus, certus sit quod abundabit in spe et virtute Spiritus Sancti, ut confidenter habitet in deserto religionis. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut arundinis agitationem et vestium mollitiem a nobis auferat, qua in deserto poenitentiae pauperes, casti et obedientes valeamus habitare. Ipso praestante, qui est laudabilis, suavis et amabilis, benedictus et beatus Deus, per aeterna saecula. Dicat omnis religio munda et immaculata: Amen. Alleluia.

DOMINICA III DE ADVENTU

Themata sermonis

Sermo in tertia dominica Adventus, de epistola beati Pauli: Gaudete in Domino. In primis thema sermonis ad poenitentes, ibi: In die illa cantabitur canticum. Item contra praelatos Ecclesiae et [de] infelici peccatorum ternario, ibi: Omne caput languidum. Item de Incarnatione Verbi, ibi: Consurge, consurge. Item ad corpus defuncti, ibi: Ecce in increpatione mea; et ibi: Moerebunt piscatores.

Exordium. Sermo ad poenitentes

1 – Gaudete in Domino semper. Dicit Isaias: In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion; salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Dies est illuminatio gratiae, qua illuminamur, illuminati cantamus canticum, de quo Isaias: Canticum erit vobis sicut vox sanctificatae solemnitatis, et laetitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad Fortem Israel. Canticum confessionis est vox sanctificatae solemnitatis, quia peccatorem sanctificat, in cuius conversione angeli solemnizant. Unde: ‘Gaudium est angelis Dei etc.’. Ex hac solemnitate generatur laetitia in peccatoris corde, de quo Isaias: Occurristi laetanti et facienti iustitiam, sicut qui pergit cum tibia. Tibia est propriae accusationis melodia, cum qua quisquis perfecte cecinerit, in montem Domini, idest caelestem Ierusalem, ad videndum Fortem Israel, Iesum Christum, intrabit. Et ubi

cantatur canticum istud? In terra, inquit, Iuda, idest poenitentium, de qua Isaias: Erit terra Iuda Aegypto, "idest mundo", in pavorem. Pavent enim mundani, cum vident iustos cruce poenitentiae crucifigi. Unde dicitur in Luca, de Passione Salvatoris: Et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Quid poenitentes in cordis laetitia concinant audiamus. Urbs, inquiunt, fortitudinis nostrae Sion. "Sion interpretatur specula", et significat poenitentiam, de qua dicit Ieremias: Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines; et de qua poenitens in Isaia: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Quia prosperitas elevat, adversitas praecipitat, ideo dicit poenitens: Super speculam poenitentiae, gratia Domini illuminatus, sum, stans, "scilicet firmus", 'per diem prosperitatis', ne cadam a proposito; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus adversitatis, "ut me custodiam ab omni peccato". Bene ergo dicunt poenitentes: Sion, idest poenitentia, est urbs, quae nos munit et defendit in die prosperitatis, ne elevemur; fortitudinis nostrae, quae nos custodit in nocte adversitatis, ne submergamur. Sequitur: Salvator ponetur in ea murus et antemurale. 'Murus dictus, quia munit'. In muro divinitas, in antemurali humanitas designatur. Salvator ergo ponetur in ea murus, ac si diceret: "Fides" Verbi Incarnati est protectio et defensio poenitentium. Unde Isaias: Sicut aves volantes, "scilicet super pullos", sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. "Sicut aquila provocat ad volandum pullos" suos, et super eos volitans, et "sicut gallina congregat pullos", suos sub alas suas, sic Dominus Iesus exercituum, "idest angelorum", protegit Ierusalem, idest congregationem poenitentium; protegit, inquam, obumbraculo suae humanitatis; liberat potentia suae divinitatis; transit, cum eos transire facit per mare Rubrum, idest amaritudinem poenitentiae, sanguine suae Passionis rubricatae; salvat, cum introducit in terram promissionis, lacte et melle manantis. Unde "dicit ad angelos": Aperite portas, scilicet paradisi, et ingrediatur gens iusta, poenitentium, custodiens "evangelii" veritatem. Huic ergo genti, canticum sanctificatae solemnitatis cum tibiae melodia cantanti, dicit Apostolus in hodierna epistola: Gaudete in Domino semper.

De epistola missae sermo

2 – [Gaudete in Domino semper]. Quod illi non possunt facere, de quibus dicit Isaias: Omne caput languidum, et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. 'In capite praelati, in corde veri religiosi, in planta laici designantur'. Heu! omne caput est languidum. Unde Ieremias: A prophetis Ierusalem egressa est pollutio super terram; et Daniel: Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. De quorum languore dicit Isaias: In cunctis capitibus, idest praelatis, eius, idest Ecclesiae, calvitium, et omnis barba radetur. Ex longa infirmitate et senectute solent capilli defluere, et fit calvitium in capite. Heu! caput nostrum, idest praelati nostri, ex longa infirmitate vitiorum et inveteratione dierum malorum, amiserunt comam, idest Sancti Spiritus gratiam; et omnis barba, idest omnis boni operis vigor et fortitudo, in eis est rasa. 'Et sic effecti sunt debiles et effeminati'. Unde de eis dicit Dominus per Isaiam: Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Omne ergo caput est languidum. Sequitur: Et omne cor moerens. Nota quod in corde sunt tria. 'In eo est sedes sapientiae', ibi fuit scripta lex naturae, quae est:

“Quod tibi non vis fieri etc.”, ‘membrum est indignans’. Sic ‘in veris religiosis est sapientia contemplationis, lex dilectionis, indignatio de peccatis’. Tale cor, positum inter caput et pedes, idest clericos et laicos, dolet et plangit de utriusque infirmitate. A planta enim pedis usque ad verticem, “idest a minimis usque ad summos”, a laicis usque ad clericos, ab activis usque ad contemplativos, non est in eo, “idest corpore”, sanitas. Quomodo ergo possunt gaudere in Domino? Sequitur: Vulnus et livor etc. In vulnere, luxuria; in livore, avaritia, ex qua procedit “invidia”; in plaga tumenti designatur “superbia”. De primis duobus dicitur in Genesi, ubi loquitur Lamech ad uxores suas: Occidi, inquit, virum in vulnus meum, et adolescentulum in livore meo. Lamech, ‘qui primus stercus bigamiae duxit super terram’, luxuriosum et avarum significat; qui virum, “idest rationem”, occidit in vulnere luxuriae; et adolescentulum, idest bonae voluntatis initium, in livore avaritiae. Non tantum est avaritia pecuniae temporalis, sed etiam altitudinis, ex cuius appetitu livor edax, dissentiones, detractiones oriuntur. Altitudo transitoriae dignitatis est quasi os proiectum inter canes, qui quasi quodam livore super ipsum contendunt et ad invicem se corrodunt. Hoc idem faciunt illi, de quibus dicit Isaias: Canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores nescierunt intelligentiam. De tumore superbiae dicitur in Iob: Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? Simile quid loquitur Dominus ad Sennacherib in Isaia: Habitationem tuam et egressum tuum et introitum cognovi, et insaniam tuam contra me. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas. Dicamus ergo: Vulnus luxuriae non est circumligatum fasciis continentiae; livor avaritiae non est curatus medicamine eleemosynae; plaga tumens superbiae non est fota oleo humilitatis intimae, ex qua procedit claritas conscientiae, quae generat gaudium in Spiritu Sancto, quam qui non habent, in Domino gaudere non valent. Illi vero in Domino possunt gaudere, qui ab iniquitate redeunt in Iacob, de quibus Isaias: ‘Revertentur et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam obtinebunt, fugiet dolor et gemitus’. Gaudete ergo semper in Domino.

3 – Iterum dico, gaudete. Nota quod bis dicit gaudete, scilicet propter duplex beneficium primi et secundi adventus. Debemus gaudere, quia in primo adventu contulit nobis divitias et gloriam. Iterum debemus gaudere, quia in secundo daturus est nobis dierum longitudinem. Unde in Parabolis: Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria. In sinistra primus adventus, in quo fuerunt divitiae gloriosae, idest humilitas et paupertas, patientia et obedientia. In dextera secundus, in quo vita aeterna. Item, de beneficio primi adventus dicit Isaias: Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? ‘Brachium Domini est Iesus Christus, Dei Filius, in quo et per quem omnia fecit’. Istud Dei Patris brachium fuit propter nos in duabus partibus fractum, cum scilicet in Passione anima, separata a carne, descendit ad liberandum eos qui erant in inferno, et caro requievit in sepulcro. Sed in die Resurrectionis consolidavit Pater brachium suum, ‘et percussuram plagae eius sanavit’. Dicit ergo: Brachium Domini, idest: “O Fili”, consurge “de solio paternae gloriae”, consurge, carnem assumendo, induere fortitudinem “divinitatis contra principem mundi”, ‘ut fortior fortem eicias’. Consurge, “genus

humanum redimendo", sicut in diebus antiquis, 'israeliticum populum a servitute aegyptiaca liberasti'. "O Fili", tu percussisti superbum, "idest diabolum", ipsum de caelo expellendo; vulnerasti draconem in tua Passione, eidem dominium auferendo; tu siccasti mare, "scilicet Rubrum etc., quasi diceret: Qui haec fecisti, hoc quoque facturus es". Dominus mare et aquam abyssi vehementis siccavit, cum potentiam diaboli, quae in mari, et ipsius fallaciam, quae in abysso designatur, destruxit, et sic posuit profundum maris, idest inferni, viam, ut transirent liberati. Item, de beneficio secundi adventus dicit Dominus in Isaia: Ecce ego creo, "scilicet ex angelis et hominibus", Ierusalem "caelestem" exultationem, et populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem et gaudebo in populo meo; et non audietur in ea ultra vox fletus et vox clamoris, quia, ut idem dicit Isaias, auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie.

4 – Sequitur: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. 'Modestia dicta, quod modum teneat in omnibus'. Nota quod, modestia in duobus maxime consistit, scilicet in pace mentis et honestate corporis. De quibus Isaias: Erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum. Opus iustitiae, 'idest illorum qui per gratiam iam sunt iustificati', est pax. Fundamentum enim totius boni operis ponunt in pace mentis. Et sic cultus, idest exterior actus et habitus, est silentium. Cum homo interior quiescit in pacis domo, homo exterior sedet in quodam honestatis et securitatis silentio. Secum taliter quiescenti et habitanti, securitas erit in sempiternum. Dominus prope est. Hoc est quod dicit Pater in Isaia: Prope feci iustitiam meam, "idest Filium meum", non elongabitur; et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem et in Ierusalem gloriam meam. Hoc est quod dicitur in hodierno evangelio: Medius vestrum stetit – Dei et hominum mediator, homo Christus Iesus, stetit dimicans in campo mundi contra diabolum, quem devincens, de eius manu hominem eripuit et Deo Patri reconciliavit –, quem vos nescitis. Hoc est quod dicit in Isaia: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Ecce quam prope est Dominus, et nos eum nescimus Filios, inquit, enutrivi, tamquam mater, sanguine meo qua si lacte; et exaltavi naturam humanam, quam ab ipsis accepi, et mihi univi super choros angelorum. Maiorem honoris praerogativam nobis conferre non potuit. Et ipsi spreverunt me. Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Vae, qui spernis, ut dicit Isaias, nonne et ipse sperneris? Unde in Parabolis: Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit matris suae partum, effodiant eum corvi de torrentibus et comedant eum filii aquilae. Litteralis intellectus satis ostendit poenam patrem vel matrem contemnentis. Cognovit bos, idest latro in cruce, possessorem suum, dicens: Memento mei etc., et asinus, idest centurio, praesepe domini sui, dicens: Vere filius Dei erat iste; Israel autem, idest clerici, me non cognoverunt, populusque meus, idest laici, non intellexerunt.

5 – Sequitur: Nihil solliciti sitis. Sollicitudo enim temporalium facit Deum in oblivionem venire. Unde dicit in Isaia: Vitam manus tuae invenisti, propterea non rogasti. Pro quo, "idest divitiis custodiendis", sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata. Et iterum: Dixisti: In sempiternum ero domina. Non posuisti haec super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Et nunc audi haec, delicata et habitans confidenter, quae dicis in corde tuo: Ego sum, et non est praeter me amplius, non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas et viduitas. In die una,

scilicet mortis, filiae Chaldeorum, cui ita comminatur, idest miserae animae, sensuum concupiscentiis deditae, venient ista duo, scilicet sterilitas abundantiae temporalis et viduitas concupiscentiae carnalis. Unde comminatur Dominus in Isaia: Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. Animae a corpore separatio est quasi Domini increpatio, de qua in Genesi: In sudore, inquit, vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. In mortis ergo increpatione Dominus mare, idest amaritudinem et profunditatem abundantiae temporalis, facit desertum. Unde Isaias: Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quae vastatur. Sicut, "vindemiata vinea", umbraculum, et, "collectis fructibus", tugurium, et, in captivitatem ductis civibus, civitas derelinquuntur et devastantur; sic filia Sion, 'idest anima derelicta a Deo', tradita diabolo, omnibus divitiis et deliciis denudabitur. Unde sequitur: Ponam flumina, idest delectationem quinque sensuum, in siccum, et tunc pisces, "idest curiosi" et solliciti, qui perambulant semitas maris, idest huius mundi, computrescent "in stercore suo", sine aqua abundantiae et concupiscentiae, in qua solebant natare, et morientur in siti, illa scilicet 'qua cruciabatur dives purpuratus in inferno'. Nihil ergo solliciti sitis, quia de curiosis et sollicitis dicit Isaias: Moerebunt piscatores, et lugebunt omnes in flumen mittentes hamum, et expandentes rete super faciem aquarum. Et marcescent et confundentur qui operantur linum, plectentes et texentes subtilia. Piscatores sunt huius mundi amatores, solliciti et curiosi circa divitias et delicias. In flumen mittentes hamum sunt mercatores falsi, qui quasi esca falsae pulchritudinis cooperiunt hamum suae mentis, ut capiant eum qui emere cupit. Expandentes rete super faciem aquarum sunt maledicti usurarii, qui in rete usurae magnos et parvos, divites et pauperes comprehendunt. Qui operantur linum, plectentes et texentes subtilia, "scilicet argumenta", sunt legistae, decretistae et falsi advocati. Hi omnes, tam illi quam isti, in fine suae vitae, 'cum iam non poterunt villicare', lugebunt, quia divitiis, quas tam sollicite acquisiverunt, tam ardenter amaverunt, ita miserrime denudabuntur; marcescent, quia eorum animae, a corpore egressae, daemonibus tradentur aeternaliter puniendae; confundentur in die iudicii coram Deo et angelis eius. Nihil ergo solliciti sitis.

6 – Sequitur: Sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum. Sicut innotescebant petitiones Ezechiae, de quo habes concordantiam in Isaia: Convertit, inquit, Ezechias faciem suam ad parietem, "templi scilicet", "quia ad templum ire non poterat", aegritudine praegravatus, et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno. Ibi dicit GLOSSA: "Flevit, quia moriebatur sine filiis, et promissionem factam suis patribus timebat perituram pro peccatis suis". Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: Vade et dic Ezechiae: Haec dicit Dominus Deus David, patris tui: Audivi orationem tuam et vidi lacrimam tuam; ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam. Paries, "dictus a parilitate', 'est humanitas Iesu Christi', in cuius vita nulla fuit inaequalitas. De quo pariete dicit sponsa in Canticis: En ipse stat post parietem nostrum; et in Isaia: Spiritus robustorum, "idest Iudaeorum", quasi turbo impellens, "idest insaniens non subvertens" parietem, "idest Iesum, in Passione immobilem". Ad hunc ergo parietem, o peccator, quia animae tuae infirmitate detineris, teipsum converte, contritione

scilicet cordis et veritate confessionis, quam debes facere cum fletu magno et finalis perseverantiae proposito. Et sic, poenitens, petitiones tuae innotescant apud Deum. Adiciet enim super dies tuae poenitentiae annos gloriae; et de manu regis Assyriorum, idest diaboli et eius ministrorum, eruet te; et civitatem, idest animam et corpus, proteget et defendet. Unde sequitur: Et pax Dei – de qua Isaias: Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua. Ibi GLOSSA: "Propheta precatur, ut Christus veniat, et resurgens a mortuis requiescat in cubili suo, in gloria scilicet paternae maiestatis, vel in Ecclesia, in qua in directione ambulavit, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius" –, quae exsuperat omnem sensum – angelorum scilicet et hominum. Quis enim, inquit Apostolus, cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? – custodiat corda vestra, ut sit opus iustitiae pax, et intelligentias vestras, ut sit cultus iustitiae silentium, in Christo Iesu Domino nostro. Quem, fratres carissimi, humiliter deprecemur, quatenus det nobis canticum sanctificatae solemnitatis cantare, in seipso tantum gaudere, modeste vivere, sollicitudinem postponere, omnem petitionem nostram apud ipsum innotescere, ut, pace ipsius protecti, in pacifica caelesti Ierusalem valeamus vivere. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus in aeterna saecula. Dicat omnis pacifica anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA IV DE ADVENTU

Themata sermonis

Evangelium in quarta dominica Adventus: Factum est verbum Domini super Ioannem, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis ad praedicatores vel Ecclesiae praelatos ibi: Super montem excelsum; [DE PRIMA CLAUSULA] et ibi: Ite, angeli, veloces etc., in qua auctoritate septem vitia describuntur. Item de vita praedicatoris vel praelati et Passione Iesu Christi, ibi: Vox clamantis in deserto. Item in capite ieiunii ad poenitentes, ibi: Primo tempore alleviata est. Item ad religiosos, sacerdotes et praelatos, ibi: Semita iustitiae; et ibi: Vos, sacerdotes Domini; et ibi: In die illa vocabo. DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de humilitate, ibi: Omnis vallis implebitur. Item de triplici statu bonorum, ibi: Comede hoc anno. Item de poena superborum, ibi: Detracta est usque ad inferos. Item de Verbi Incarnatione et ipsius utilitate, ibi: Utinam dirumperes caelos.

Exordium. Ad praedicatores vel Ecclesiae praelatos

1 – In illo tempore: Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto. Dicit Isaias: Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem. Quid ista tria: mons, Sion et Ierusalem, significent, videamus. Mons dictus, quasi motum non habens, constantem iusti vitam significat, de quo Isaias: Erit, inquit, sicut vir qui absconditur a vento et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, et umbra petrae prominentis in terra deserta. Ac si diceret: "Sic erit vir iustus tutus in tribulationibus, sicut qui, ventum et turbinem fugiens, tuto se abscondit loco, et qui fontes purissimos invenit in deserto, qui solis ardorem sub prominenti devitat saxo". 'Vir iustus absconditur a vento daemoniacae suggestionis et

celat se a tempestate mundanae prosperitatis et irrigatur rivis aquarum, idest gratiarum', contra sitim desideriorum carnalium, et devitat ardorem solis, idest mundanae persecutionis, sub umbra petrae prominentis, idest Iesu Christi, in tribulatione protegentis. Vita ergo iusti est mons. Sed e contra dicit Isaias: Commotum est cor eius, "idest regis Achaz", et cor populi eius, sicut moventur ligna silvarum a facie venti. Hoc est quod dicit Iob: Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo; lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur. Quaere superius in historia Iob. Super montem ergo excelsum, qui cadens non defluit, ascende tu, qui evangelizas Sion. Ibi GREGORIUS: "Qui caelesti praedicatione utitur, ima iam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videtur; tantoque facilius subditos ad meliora pertrahit, quanto per vitae meritum de supernis clamat. Illa namque vox auditorum cor libentius penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adiuvat, ut fiat". Sequitur: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem. Sion, quae erat inferior pars civitatis, saeculares significat; Ierusalem, quae superior, religiosos. Cum Sion evangelizas, in montem excelsum ascende, ut ab inferiori ad superius post te ascendat. Unde dicitur in secundo libro Regum: Porro David ascendebat Clivum Olivarum, scandens et flens, operto capite et nudis pedibus incedens; sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. David est praedicator, qui ascendens Clivum Olivarum, idest excellentiam vitae, quae illuminatur et impinguatur oleo divinae misericordiae, tria debet facere, scilicet flere, caput operire et nudis pedibus incedere. Flere 'cum Axa, pro irriguo inferiori et superiori'; caput, 'quod omnes sensus capit', cooperire; a mundi vanitate nudis pedibus incedere, idest mentis affectus, ab omni mortua pelle propriae voluntatis et proprietatis, nudare. Si ita ascenderit, omnis populus, operto capite a mundi vanitate et plorans peccata sua, post eum ascendet devotione. Sed populus non legitur nudis pedibus sicut David incedere, quia saecularibus licitum est proprium possidere. Item, cum Ierusalem, idest religiosis, evangelizas, in fortitudine vocem tuam exalta, ut fortiter animentur et 'exultent ad currendam viam' et 'percipiendam coronam incorruptam". Unde dicit Iob de equo, idest viro iusto: Ubi audierit bucinam, "idest praedicationem", fortiter intonantem, dicit: Vah! Exultat enim audacter et in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, non cedit gladio. In montem excelsum ascenderat et in fortitudinem vocem suam exaltaverat maximus praedicator, beatus Ioannes Baptista, de quo et ipsius praedicatione dicitur in hodierno evangelio: Factum est verbum Domini.

2 – Nota quod, in hoc evangelio duo notantur: excellentia praedicationis et vallis humilitatis. Primum ibi: Factum est. Secundum ibi: Omnis vallis. In introitu missae cantatur: Memento nostri, Domine; et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: Sic nos existimet homo, quam in duabus particulis volumus dividere et cum duabus clausulis evangelii concordare. Prima particula: Sic nos. Secunda: Itaque nolite ante tempus iudicare.

I – De excellentia praedicationis

3 – Dicamus ergo: Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto. Ioannes praelatum vel praedicatorem sanctae Ecclesiae significat, qui debet esse filius Zachariae, "qui interpretatur memoria Domini", ut semper habeat in memoria, quasi

quoddam memoriale, Passionem Iesu Christi. Unde Isaias: Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desiderabit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. In nocte adversitatis ipsum desiderare et in mane prosperitatis ad ipsum debemus vigilare, eiusque Passionis memoriale in memoria retinere. Unde dicitur in Exodo: Erit quasi signum in manu tua, et quasi in monimentum ante oculos tuos. Et in Deuteronomio: Erunt verba haec, scilicet Incarnatio et Passio Domini, in corde tuo; et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis quasi signum in manu tua, eruntque mota et movebuntur ante oculos tuos; scribesque ea in limine et ostiis domus tuae. Si praelatus vel praedicator fuerit filius Zachariae, dicens cum Propheta: Memor fui Dei et delectatus sum, scilicet in eius Passionis amaritudine, ut dicat cum sponsa in Canticis: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, fiet super eum verbum Domini, verbum vitae et pacis, verbum gratiae et veritatis, 'verbum quod vidit Isaias, filius Amos, super Iudam et Ierusalem', idest super animarm confitentem et pacifice secum commorantem. O verbum non verberans, sed cor inebrians! O verbum dulce, confortans peccatorem et beatae spei! O verbum, aqua frigida animae sitienti, nuntius bonus bona nuntians de terra longinqua! Hic sibilus aurae tenuis, idest inspiratio Dei omnipotentis, de qua in Iob: Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio virtutis Omnipotentis dat intelligentiam. O quam beatus et vere Ioannis dignus appellatione, super quem factum est verbum istud! Fiat, Domine, obsecro, verbum tuum super servum tuum secundum verbum tuum in pace. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Audivimus super quem fit. Sed, in quo loco fit? In deserto, inquit. Ubi desertum, ibi verbum. Desertum illum, dico, de quo in Psalmo: In terra deserta, invia et inaquosa; sic in sancto etc. Quaere superius, in evangelio: Cum immundus spiritus exierit etc.

4 – Sequitur: Et venit in omnem regionem Iordanis. Super quem fit verbum divinae inspirationis, sine dubio venit in regionem Iordanis, "qui interpretatur humilis descensus", in quo compassio circa proximum designatur. Praelatus vel praedicator descendat et condescendat, ut proximum iacentem erigat. Super hoc habes concordantiam in Isaia, ubi praedicatoribus loquitur Dominus: Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. In hac auctoritate septem vitia notantur, quibus humanum genus dissipatur. O angeli, "idest praelati vel praedicatores", ite veloces, quia mora trahit periculum, et ideo dixit Dominus apostolis: Neminem salutaveritis per viam, scilicet, ne cursus vestrae praedicationis impediatur. Et in quarto Regum Eliseus Giezi: Si, inquit, occurrerit tibi homo, non salutes eum: et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi. Ite ergo veloces, ad gentem, idest gentiliter viventem, convulsam a radice humilitatis spiritu superbiae, unde Iob: Quasi avulsae arbori abstulit spem meam; dilaceratam invidia, quae cor dilacerat, de qua Nahum propheta: Vae, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena; ad populum terribilem ira, de qua Iob: Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est; gentem expectantem mercedem vanaegloriae; Receperunt, inquit, mercedem suam; et Ieremias: In viis sedebas, exspectans eos quasi latro in solitudine; et conculcatam avaritia, unde Isaias: Ponat illum in conculcationem sicut lutum platearum, de quo Habacuc: Vae qui multiplicat non sua! Usquequo aggravat contra se densum lutum? cuius diripuerunt flumina, idest gula et luxuria, terram, idest mentem eius, de quibus in Ezechiele: Ecce ego ad te, draco magne,

qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis: Meus est fluvius. Quam necessaria sit praedicatio ex hac auctoritate colligitur, de qua in evangelio subinfertur: Praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Hoc est quod dicit Isaias: Lavamini, mundi estote; et paulo post: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Quaere superius in evangelio: Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem etc. Item, dicit Dominus in Isaia: Delevi, inquit, ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua; revertere ad me, "scilicet poenitendo", quoniam redemi te "sanguine meo". Item, Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem et advocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Ibi dicit GLOSSA: "Causa consolationis, remissio peccatorum; causa remissionis, quia suscepit duplicia. Notandum quod non solvuntur peccata nostra, nisi de manu Domini receperimus ea. Nec idem est solvi peccata et dimitti; cui enim dimittuntur solutione non indiget. Unde: Dimittuntur tibi peccata tua. Cum autem solvuntur, propterea solvuntur, quia purgata sunt et soluta per poenas".

5 – Sequitur: Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae: Vox clamantis in deserto. Nota ista tria: vox, clamantis et deserto. Quae est vox, quis clamans et quid desertum? Vox est praedicator; clamans, Christus; desertum ipsius crux. "Vox est aer", et praedicator debet esse aereus, idest caelestis, ut eius conversatio sit in caelis. Unde dicitur in Exodo, quod sub pedibus Domini erat quasi opus lapidis sapphirini, et quasi caelum quod serenum est. 'Sapphirus colorem habet aereum; opus lapidis sapphirini est vita sancti praedicatoris', qui mentis humilitate est subiectus pedibus dominicae Incarnationis, et in aere suspensus contemplatione caelestis beatitudinis. Unde Isaias: Qui sunt isti qui ut nubes votant, et quasi columbae ad fenestras suas? 'Sancti praedicatores dicuntur nubes, quia leves, idest exonerati terrenis: pluunt verbis, intonant minis, corruscant exemplis, volant in caelum virtutum pennis. Et, quasi columbae simplices, stant ad fenestras, custodientes quinque sensus sui corporis, ne mors intret in domum mentis'. O Domine, si talem vocem audirem, cum Adam clamarem: Vocem tuam audivi, et timui! Vox talis non hominis, sed quasi sublimis Dei. Sonet ergo vox tua in auribus meis; vox tua dulcis. A tali voce contremuerunt labia mea. Vox, inquit, tonitrui tui in rota. Sed, heu! non audio vocem, sed mugitum et mussitationem, unde Isaias: De terra loqueris; et de humo audietur eloquium tuum, et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit. Quaere superius in evangelio: Homo quidam fecit cenam magnam. Haec mussitatio non est clamantis Christi, qui non terrena, sed caelestia nobis dixit, qui, ut dicit Isaias, clamavit ut leo. Sed, ubi? In deserto, inquit. Desertum fuit ipsius crux, in qua fuit derelictus, nudus et spinis coronatus: ibi clamavit. Unde Amos propheta: Morietur in sonitu Moab, in clangore tubae. Moab est diabolus, qui mortuus fuit in clangore tubae, idest praedicationis dominicae, et in sonitu ipsius, clamantis in cruce: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Unde iterum Isaias: Ecce Dominator, Dominus exercituum, confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur; et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. 'Laguncula est humanitas Christi, de terra virgine assumpta, quam confregit in Passione. Et hoc in terrore daemonum, qui, excelsi statura, succisi sunt a sua potentia; et sublimes, idest superbi Iudaei, in vindicta Passionis Christi sunt humiliati, idest deiecti; et condensa saltus, idest Ierusalem terrestris, quam sic vocat propter multitudinem populi,

est subversa ferro Titi et Vespasiani; et Libanus, idest templum, cum excelsis, idest sacerdotibus, cecidit'.

6 – Sequitur: Parate viam Domino. Dicit Isaias: Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali; et novissimo aggravata est via maris. Hoc est triduum, de quo dicit Moyses in Exodo: 'Viam trium dierum pergemus in solitudinem et sacrificabimus Domino Deo nostro'. Primo tempore, idest gratiae infusione, quae primo praevenit peccatorem, 'terra, idest eius mens, alleviatur in contritione a peccati onere'; et tunc est terra Zabulon, "qui interpretatur habitaculum fortitudinis". Quem enim gratia inhabitat, fortitudine constantiae corroborat. Unde Isaias: Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat. Alleviatur etiam in confessione, cum peccatum et circumstantias peccati deponit; et tunc est terra Nephthali, "qui interpretatur dilatatio". Mens peccatoris dilatatur in confessione, sicut dixit Dominus ad Iacob in Genesi: Dilataberis ad orientem et occidentem, septemtrionem et meridiem. Nota quod sacerdos peccatori in confessione quattuor debet proponere. Si dolet et poenitet de commissis et omissis; si poenitentiam ab ipso sibi iniunctam humiliter vult observare; si habet firmum propositum de cetero mortaliter non peccare; si proximo satisfacere, ignoscere ex corde et ipsum diligere. Si haec quattuor vult facere, tunc ei poenitentiam debet iniungere et ipsum absolvere, aliter non. Cum ergo dolet et poenitet, tunc dilatatur ad orientem, quia illuminatur a sole iustitiae. Cum sacerdotis voluntati et voci vult obedire, tunc dilatatur ad occidentem; a seipso enim occidit dum alteri se subicit. Cum habet firmum propositum non relabendi, tunc ad septemtrionem vel aquilonem, 'in quo diaboli tentatio intelligitur', dilatatur. Ad aquilonem se dilatat, qui diabolum impugnantem impugnat. "Ut bene tu pugnes, bene pugnans efficit hostis". Cum proximum vult diligere, tunc ad meridiem, 'in quo fervor caritatis intelligitur', dilatatur. Si has duas diaetas ita peregerit, ad tertiam pervenire poterit, de qua subditur: Et novissimo aggravata, "idest graviter afflicta", est via maris. Via maris est satisfactio poenitentiae, quae vere est amara. Unde Isaias: Amara est potio bibentibus illam. In primis duobus anima alleviatur, in tertio vero graviter caro afligitur. Unde GREGORIUS: 'Necesse est ut caro, quae laeta duxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam'. Haec est via, per quam Dominus venit ad animam. Beatus qui sic parat. Paratum, inquit, cor meum, Deus etc.

7 – Sequitur: Rectas facite semitas Dei nostri. Dicit Isaias: Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. 'Semita dicta, quasi medium iter'. Semita est quaelibet religio, quae voto paupertatis, continentiae et obedientiae se coarctavit et coangustavit. Unde Isaias: Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest. Stratum est religio, quae si bene fuerit coangustata, tamquam semita, solum suscipiet sponsum castitatis et obedientiae spiritum, et expellet adulterum fornicationis et inobedientiae vitium. Et breve pallium paupertatis utrumque, idest proprietarium et spiritu pauperculum, operire non potest. Quae conventio Christi ad Belial? Quae conventio pauperculi et proprietarii, qui est quasi Belial inter filios Dei? Rectas ergo, o religiosi, facite semitas Dei nostri.

8 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei. De quibus Isaias: Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri. Ministri et dispensatores sunt praelati et

praedicatores, qui verbum Domini ministrant, baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum praedicant, de quibus Isaias: Quam pulchri, idest a peccati pulvere mundi, super montes, 'idest virtutes', pedes annuntiantis, praedicantis pacem, 'idest Dei et peccatoris reconciliationem', annuntiantis bonum, 'idest gratiae infusionem', praedicantis salutem, 'idest vitae beatitudinem', dicentis: "O" Sion, idest anima, regnabit, scilicet in te, Deus tuus, "non peccatum". Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. De fideli dispensatore dicit Dominus in Isaia: In die illa vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius, et erit quasi pater habitantibus in Ierusalem et domui Iuda. "Eliacim interpretatur Dei resurrectio", et significat fidelem Ecclesiae dispensatorem, per quem Deus resuscitat ad poenitentiam peccatorem. Hic est filius Helciae, idest iustitiae, qui, indutus tunica misericordiae et confortatus cingulo continentiae, est quasi pater omnibus fidelibus Ecclesiae. Ubi tam fidelis dispensator potest hodie inveniri? Heu! ut dicit Isaias: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, "scilicet olim", plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua; principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, causa viduae non ingreditur ad eos. Argentum, idest praelatorum et praedicatorum eloquentia, versum est in scoriam vanaegloriae. Vinum praedicationis mixtum est aqua adulationis et lucri temporalis. Cetera expositione non indigent, quia oculis omnium patent. Rogemus, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut verbum suae inspirationis super nos fiat, baptismo poenitentiae nos abluat, qua viam illi parare et rectas semitas facere valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II – De valle humilitatis

9 – Sequitur secundum. Omnis vallis implebitur. Hoc est quod dicit Dominus in Isaia: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? 'Vallis est humilitas mentis', de qua Ieremias: Vide vias tuas in convalle, idest cognosce peccata tua in duplici humilitate. Humilitas ostendit homini seipsum. Unde Isaias: Cognoscetur Dominus ab Aegypto, et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa. In die, idest claritate humilitatis, Aegyptii, idest tenebrosi superbi, cognoscunt Dominum, et e converso, et sic seipsos. Unde AuGUSTINUS: 'Domine, da mihi cognoscere te et me'. Unde Isaias, postquam vidit Dominum, seipsum arguit, dicens: Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Et Dominus dicit Ezechieli: Fili hominis, ostende domui Israel templum, idest Iesum Christum, et confundantur ab iniquitatibus suis. Omnis ergo vallis implebitur, illo scilicet grano frumenti, 'quod cadens in terram mortuum fuit', de quo in Psalmo: Valles abundabunt frumento. Beata Maria, quia vallis, ideo plena fuit, 'et de plenitudine eius omnes nos vacui accepimus'. Unde in Psalmo: 'Replebimur ab ubertate domus tuae'. Soli humiles implebuntur illa ubertate, quam Dominus promittit in Levitico: Dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur. Dat Dominus pluvias, cum gratiam compunctionis infundit. Unde Isaias: Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, quae gignet suum germen. Ex pluvia compunctionis gignitur germen bonae voluntatis, et sic arbores, idest sensus corporis, replentur pomis boni operis.

10 – De quibus habes concordantiam in Isaia, ubi loquitur ad Ezechiam: Comede, inquit, hoc anno quae sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere; in anno autem tertio seminate et metite, plantate vineas, et comedite fructum earum. Nota quod triplex est status bonorum, qui in hoc triplici anno designatur, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Incipientes, gratia gratis data praeventi, comedunt quae sponte nascuntur. Hoc est quod dicit Dominus in Osee: Diligam eos spontanee. Nullis enim meritis praecedentibus, sola Dei benignitate a gratia reficiuntur. Unde dicit beatus BERNARDUS: "Nonnumquam purae orationis affectus et bona illa affectionis suavitas non invenitur, sed quasi invenit, [cum] non petentem, non quaerentem, non pulsantem et quasi nescientem gratia praevenit; et tamquam gens servorum suscipitur in mensa filiorum, cum rudis et adhuc incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro praemio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum". Item, proficientes, quasi in secundo anno, pomis bonorum operum vescuntur, ut bona voluntas, quae prius erat in affectu, iam sit in operis effectu. Perfecti vero sunt, quasi in tertio anno, affluentes omnimoda copia plenitudinis. Unde in Psalmo: Benedices coronae, idest vitae iustorum perfectae, anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate. Bene ergo dicitur: Omnis vallis implebitur. Haec impletio est illa visitatio, de qua dicitur in introitu hodiernae missae: Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tuis. Hoc est quod dicit Isaias: Attende de caelo et vide, Domine, de habitacuto sancto tuo et solio gloriae tuae. Et iterum: Ne irascaris, Domine, satis; et ne ultra memineris iniquitatis nostrae. Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos. Visita nos in salutari tuo, 'idest in Filio tuo', ut valles impleantur frumento.

11 – Sequitur: Et omnis mons et collis humiliabitur. Hoc est quod dicit Isaias: Detracta est usque ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt vermes. Nota ista duo: mons et collis. Mons, superbia in corde; collis, superbia in opere. Illa maior ista. Unde Isaias: Audivimus superbiam Moab: superbus est valde; superbia eius et arroganta eius et indignatio eius, plusquam fortitudo eius. Ibi dicit INTERLINEARIS: "Plus audet quam possit." Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit. 'Scilicet, in inferno superbus ad superbum, luxuriosus ad luxuriosum in tormentis ululabit, et contra se mugient'. Unde Isaias: Pilosus clamabit alter ad alterum. Item, Incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit; humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. Unde iterum dicit: Pedibus, "scilicet daemonum", conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim. Et iterum: Sede, tace, et intra in tenebras, filia Chaldaeorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum. Omnis ergo mons et collis humiliabitur.

12 – Aliter exponitur de bona humilitate. Dicit Isaias, adventum Christi desiderans et ipsius humilitatem praevidens: Utinam dirumperes caelos et descenderes, a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni. Vide quanto desiderio ardeat, qui caelos dirumpi optat, ut 'invisibilem in carne visibilem videre valeat. Dirumpatur caelum, descendat Verbum, a cuius facie defluat superbia montium. A facie, inquit, tua, idest tuae humanitatis praesentia, montes defluerent'. Quis tam superbus, arrogans et inflatus, si bene attenderet maiestatem exinanitam, potentiam infirmatam, sapientiam balbutientem? Nonne cor eius 'sicut cera a facie ignis deflueret', et cum Propheta diceret: In veritate tua, idest in Filio tuo humiliato, o Pater, humiliasti me? Et

sicut exustio ignis, idest lignum, foenum, stipula, avari tabescerent. Quis enim tam avarus, si bene consideraret Dei Filium, pannis involutum, praesepio reclinatum, qui 'non habuit ubi reclinaret caput', nisi ubi 'inclinato capite tradidit spiritum'? Nonne ab amore terrenorum tabesceret, et omnis eius pecunia sicut exustio ignis in cinerem redigeretur? et aquae, luxuriosi, qui quotidie lapsibus suis tendunt in infernum, arderent igni Spiritus Sancti, qui exsiccat humorem luxuriae et confert gratiam continentiae?

13 – Sequitur: Et erunt prava in directa. Hoc est quod dicit Isaias: Derelinquat impius viam suam, "scilicet pravam", et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum et miserebitur eius etc. Dicit Ieremias: Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? De cuius pravitate dicit Isaias: Abiit vagus, "idest amens, sicut Cain, cui dictum est: Eris vagus et profugus super terram", in via, "idest prava actione", cordis sui. Cor pravum tunc fit directum, cum evenit illud quod dicit Isaias: Redite, praevaricatores, ad cor, "idest intellectum, qui quasi bestiae vixistis". Et iterum: Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. Et iterum: Si quaeritis, quaerite, convertimini et venite. "Si quaeritis meum auxilium in adversitate, quaerite similiter in prosperitate. Convertimini ad me corde, venite opere". Sequitur: Et aspera in vias planas. Hoc est quod dicit Isaias: Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum; non esurient neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. 'Aspera sunt ferocium corda, quae tunc sunt in vias planas, cum efficiuntur mollia et mansueta'. Hoc est quod dicitur in quarto libro Regum, ubi dicit Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent et posuissent super ulcus Ezechiae, curatus est. Ulcus in carne est ferocitas in mente; massa ficorum, mansuetudo et affabilitatis dulcedo, quae ferocitatis curant ulcus. Unde in Parabolis: Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. Sequitur: Et videbit omnis caro salutare Dei, "idest omnis homo, in iudicio, Iesum Christum". Impii videbunt, ad confusionem suam, in quem transfixerunt. Unde Isaias: In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei. "SEPTUAGINTA transtulerunt: Auferatur impius, ut non videat claritatem Dei". Iusti vero, ut dicit Isaias, oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion.

14 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Nolite ante tempus iudicare. Contra quos, ut dicit Isaias: Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Quoadusque veniat Dominus. Unde Isaias: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur. Ecce merces, "idest retributio omnium", cum eo, et opus illius, idest crux et instrumenta Passionis, qua operatus est salutem in medio terrae, coram illo ad confusionem reproborum. Qui et illuminabit abscondita tenebrarum. De quo Isaias: Erit lumen Israel in igne, et Sanctus eius in flamma. Lumen ut illuminet, in igne ut examinet, in flamma ut comburat. Et manifestabit consilia cordium. Hoc est quod dicit Isaias: Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, 'in quo cordis elatio', et ambulaverunt extento collo, 'in quo arrogantia in membris'; et nutibus oculorum ibant, 'in quo lascivia', et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, ecce levitas et instabilitas, ideo in die iudicii decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, quia "quod occultum est patebit et foeda calvities apparebit", et Dominus crinem, idest cogitationes et consilia, earum nudabit. Haec erit ignominia impiorum. Sed tunc, cum videbit omnis caro salutare Dei, laus erit unicuique iusto a Deo. Unde Isaias: Dicite iusto quoniam bene.

Quia illa laus et gloria sanctorum non potest exprimi, ideo Isaias, quanta vel qualis esset non expressit, sed tantum dixit: bene. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut montes humiliet, prava rectificet, aspera mollificet, qua ad illud bene, quod oculus non vidit, quia absconditum est, nec auris audivit, quia quietum est, nec in cor hominis ascendit, quia incomprehensibile est, pervenire mereamur. Ipso praestante, qui in primo adventu fuit humilis, in secundo erit terribilis, amabilis, suavis et desiderabilis et benedictus per aeterna saecula. Dicat omnis humilis anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA I POST NATIVITATEM DOMINI

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica post Nativitatem Domini: Erant Ioseph et Maria, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis de gratia et gloria Iesu Christi, ibi: Disce ubi sit sapientia. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de paupertate, ibi: Crescere me fecit Deus. Item de miseria divitum, ibi: Percutiet te Dominus egestate. Item de humilitate, superborum damnatione et humilium exaltatione, ibi: Respiciens Dominus per columnam nubis. Item de utili tristitia poenitentium, ibi: Spiritus tristis. Item de obedientia, ibi: Loquere, Domine. Item ad poenitentes et religiosos, ibi: Issachar asinus fortis. DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de superbia et humilitate cordis, ibi: Deposuit potentes. Item de utili ruina ad conversos peccatores, ibi: Erit ruina equi. Item de resurrectione animae a peccatis, ibi: Facta est super me manus Domini; et proprietate nervorum. Item contra temporalium amatores, ibi: Expandi manus meas. Item de duplici partu beatae Mariae, ibi: Antequam parturiret; et de ipsius Filii Passione, ibi: Recordare paupertatis. Item de quattuor anni temporibus et ipsorum significatione, ibi: Ubi venit plenitudo temporis. Item in Annuntiatione vel Nativitate Domini, ibi: Cum quietum silentium tenerent omnia. Item sermo moralis de poenitentia, ibi: Cum quietum silentium tenerent omnia.

Exordium. De gratia et gloria Iesu Christi

1 – In illo tempore: Erat Ioseph et Maria mater Iesu mirantes super his quae dicebantur de illo. Dicit Baruch: Disce ubi sit sapientia, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi lumen oculorum et pax. Dicitur in Psalmo: Gratiam et gloriam dabit Dominus; gratiam in praesenti, gloriam in futuro. Prima quattuor praemissae auctoritatis referuntur ad gratiam, alia quattuor ad gloriam. ‘Sapientia, a sapore dicta’, est in gustu contemplationis; prudentia, in praecavendis insidiis; virtus, in tolerandis adversis; intellectus, in refutandis malis et eligendis bonis. Item, longiturnitas vitae erit sanctis in aeterna beatitudine, unde: Ego vivo, et vos vivetis; victus, in gaudii fruitione, unde: Dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam etc.; lumen oculorum, in glorificatae humanitatis Christi visione, unde in Ioanne: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; pax, ‘in corporis et animae glorificatione’, unde Isaias: Servabis pacem, pacem quia in te, “Domine”, speravimus. De longiturnitate vitae et lumine oculorum dicitur in Psalmo: Apud te est fons vitae, et in

lumine tuo videbimus lumen; de pace et victu, ibi: Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te. Adeps frumenti est gaudii fruitio de humanitate Iesu Christi, qua satiabuntur sancti. Vel sic. Disce, o homo, diligere Iesum, et tunc disces ubi sit sapientia etc. Ipse est sapientia, unde in Parabolis: Sapientia aedificavit sibi domum. Ipse, prudentia, unde Iob: Prudentia eius, idest Patris, percussit superbum, 'idest diabolum'. Ipse, virtus, unde Apostolus: 'Est Dei virtus et Dei sapientia'. In ipso omnium est intellectus, 'cuius oculis nuda et aperta sunt omnia'. Ipse, vita: Ego, inquit, sum via, veritas et vita. Ipse, victus, quia panis angelorum, refectio iustorum. Ipse, lumen oculorum: Ego, inquit, sum lux mundi'. Ipse, pax nostra, qui fecit utraque unum. Hanc, o homo, disce sapientiam, ut sapias; hanc prudentiam, ut tibi caveas; hanc virtutem, ut valeas; hunc intellectum, ut cognoscas; hanc vitam, ut vivas; hunc victum, ut non deficias; hoc lumen, ut videas; hanc pacem, ut quiescas. O beate Iesu, ubi te quaeram? Ubi te inveniam? Ubi, te invento, tanta bona inveniam? te habito, tanta bona habeam? Quaere et invenies. Et ubi, obsecro, habitat? 'Ubi cubat in meridie?' Vis audire ubi? Dic, obsecro. In medio Ioseph et Mariae, Simeonis et Annae, Iesum invenies. Unde habes in hodierno evangelio: Erat Ioseph et Maria mater Iesu etc.

2 – In hoc evangelio istae quattuor personae ponuntur, et ideo quid moraliter significent videamus. Ioseph accrescens, Maria stella maris, Simeon audiens tristitiam, Anna respondens interpretatur. In Ioseph paupertas, in Maria humilitas, in Simeone poenitentia, in Anna obedientia designatur. De singulis disseramus.

I – De paupertate, humilitate, poenitentia et obedientia

3 – "Ioseph, accrescens". Cum miser homo affluit deliciis, se dilatat in divitiis, tunc decrescit, quia libertatem amisit. Sollicitudo enim divitiarum eum servum efficit, quibus dum servit, a se in se decrescit. Infelix animus, qui minor est eo quod habet: tunc minor est, cum se rei et non rem sibi supponit. Haec servilis suppositio tunc apertius cognoscitur, quando quod cum amore possidetur cum dolore amittitur. Ipse enim dolor magna servitus est. Quid plura? Nusquam vero libertas, nisi in voluntaria paupertate. Hic est Ioseph accrescens, qui dicit in Genesi: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. In terra, inquit, paupertatis, non abundantiae, crescere me fecit Deus: in illa, crescere; in ista, decrescere. Unde dicitur in secundo libro Regum, quod David proficiens et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. David, qui dicit in Psalmo: Ego sum mendicus et pauper, quasi lux splendens proficit, et crescit usque ad perfectam diem, et seipso robustior fit, quia paupertas laeta et voluntaria robur tribuit. Unde Isaias: Spiritus robustorum, idest pauperum, quasi turbo impellens parietem, scilicet divitiarum. Deliciae vero et divitiae enervant et dissolvunt. Unde Ieremias: Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? Domus autem Saul, "qui interpretatur abutens", idest divitum huius mundi, qui abutuntur bonis et donis Domini in voluptate sui corporis, quotidie decrescit. Unde Moyses in Deuteronomio: Percutiet te Dominus egestate, febre, et frigore, et ardore, et aestu, et aere corrupto, ac rubigine, et persequetur donec pereas. Dominus percutit, idest percuti permittit, huius mundi divitem egestate, quia semper eget; febre, quia de alterius felicitate torquetur et dolet; frigore, idest timore, ne acquisita perdat; ardore, ut non habita acquirat; aestu gulae; aere corrupto malae famae; rubigine luxuriae. Ecce qualiter decrescit domus Saul. Domus vero David, mendici et pauperis,

crescit de virtute in virtutem in terra suae paupertatis.

4 – Sequitur de humilitate. “Maria, stella maris”. O humilitas! Stella praeradians, noctem illuminans, ad portum dirigens, ‘sicut flamma coruscans et regem regum Deum demonstrans’, qui dicit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Qui hac stella caret, caecus est et manu tentans, eius navis tempestate frangitur, et ipse mediis fluctibus submergitur. Unde dicitur in Exodo, quod respiciens Dominus per columnam nubis et ignis super castra Aegyptiorum interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquae eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris. Aegyptii, quos nubes tenebrosa obnubilabat, huius saeculi divites et potentes, caligine superbiae obtenebratos, significant, quos Dominus interficiet; et subvertet rotas curruum, idest dignitatem et gloriam, eorum, quae quattuor anni temporibus circumvolvuntur; et demerget eos in inferni profundum. Filii autem Israel, quos splendor ignis illuminabat, poenitentes et pauperes spiritu significant, quos splendor humilitatis illuminat; qui sicco vestigio transeunt per mare huius mundi, cuius aquae, idest inundationes amarae, sunt eis pro muro, “idest ipsos muniunt et defendunt a dextris prosperitatis et sinistris adversitatis”, idest, ne favor popularis elevet, et ne tentatio carnis praecipitet. De hoc habes in Deuteronomio: Inundationes maris quasi lac sugent. Nota quod nemo potest aliquid sugere, nisi labia comprimat. Qui habent os hians in pecuniae acquisitione, in vanaegloriae negotiatione, in populari favore, non possunt sugere inundationes maris. Difficile enim lupi a cadavere, a grano formicae, a melle muscae, ‘vespiliones a vino’, meretrices a prostibulo, mercatores a foro separantur. Simile quid Salomon in Parabolis: Proverbium, inquit, est: Adolescens iuxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Soli vero humiles, qui labia sua comprimunt ab amore temporalium, inundationes maris quasi lac sugunt. O stella maris! O humilitas cordis, quae mare amarum et horridum convertis in lac dulce et iucundum! O quam dulcis est humili amaritudo! quam levis tribulatio! quam sustinet pro Iesu nomine. Lapides Stephano, craticula Laurentio, carbones igniti Vincentio dulces fuerunt: inundationes maris pro Iesu quasi lac suxerunt. In hoc etiam verbo sugere notatur aviditas cum delectatione. Sola enim humilitas cum spiritus aviditate et delectatione novit sugere tribulationem et dolorem. Unde in Canticis: Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae? Tres hic personae introducuntur: mater soror et frater. Mater est poenitentia, quae duo habet ubera, dolorem scilicet in contritione et tribulationem in satisfactione; soror est paupertas; frater, spiritus humilitatis. Dicit ergo soror paupertas: Quis mihi det te fratrem meum, spiritum humilitatis, ut cum aviditate sugas ubera matris nostrae? Ecce frater et soror, Ioseph et Maria, sponsus et sponsa, paupertas et humilitas. Qui habet sponsam sponsus est. Beatus ille pauper, qui humilitatem ducit in sponsam sibi.

5 – Sequitur de tristitia poenitentiae. “Simeon, audiens tristitiam”. De qua Apostolus: ‘Tristitia, quae secundum Deum est, salutem operatur’. Et in Parabolis: Spiritus tristis desiccat ossa, scilicet a pinguedine lasciviae et petulantiae. Unde Iob: Increpat per dolorem in lectulo, et omnia ossa eius marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis. “Lectulus est carnis delectatio, in qua anima quasi paralytica iacet, omnibus membris dissoluta”. Unde in Matthaeo: Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Increpat Dominus per dolorem in lectulo, cum animae, in carnis delectatione quiescenti, incutit dolorem de peccatis, et tunc audit tristitiam, quae

omnia ossa eius marcescere facit. Hoc est quod dicit Daniel, cum visionem vidit: Non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me et emarcui, et non habui quidquam virium. Cui ita evenit, panis, idest delectatio carnis, fit ei abominabilis in vita sua, et animae, idest animalitati illius, cibus ante desirabilis. Hoc est quod dicit Daniel: Panem desiderabilem non comedi, caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum. Dicit Salomon: Cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus. Ubi myrrha tristitiae, ibi non admiscetur vermis luxuriae. Unde Isaias: Recedite, inquit, a me, amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi mei. Sic debet dicere poenitens immundis spiritibus: Recedite a me, amare flebo. Sicut fumus apes, sic amara et lacrimosa compunctio expellit daemones, qui circumdant animam sicut apes favum. Et nolite incumbere, o carnales affectus, ut consolemini me, quia, ut dicit Iob, consolatores onerosi omnes vos estis. Renuit consolari anima mea, consolatione vestra. Consolationes tuae, Domine, non meae – quia, vae vobis, qui habetis consolationem vestram –, laetificaverunt animam meam. Nolite ergo incumbere, ut consolemini me super vastitate, idest afflictione, filiae, idest carnis, quae est filia populi mei, idest populositatis quinque sensuum meorum. De quo in Psalmo: Qui subdit poputum meum sub me.

6 – Sequitur de obedientia. “Anna, respondens”, cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus; et cum Isaia: Ecce ego, mitte me; et cum Saulo: Domine, quid me vis facere? Dicit Ecclesiasticus: Responsio mollis frangit iram’, et lingua eucharis in bono homine abundabit. Responsio mollis, humilis subditi, frangit iram superbi praelati. Unde in Parabolis: Patientia, scilicet subditi, lenietur princeps. Ne coneris, ut dicit Ecclesiasticus, contra ictum fluvii, idest voluntatem praelati, sed humilia ei caput tuum. Et lingua eucharis, “idest bonae gratiae”, in bono subdito abundabit, ut dicat cum Iob: ‘Voca me, et respondebo tibi’. Vocanti respondet, qui sibi praecipienti ex animo obedit. Ecce, de his quattuor virtutibus breviter praelibavimus, ut qui desiderat Iesum invenire, has personas habeat, quia in medio istarum requiescit salus. Ioseph et Maria Iesum ad templum deferunt. Simeon et Anna confitentur et benedicunt. Paupertas enim et humilitas pauperem et humilem Iesum deferunt. Paupertas defert in humeris.

7 – Unde in Genesi: Issachar, asinus fortis, accubans in terminis, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima, supposuit humerum ad portandum. “Issachar interpretatur merces”, et significat paupertatem, quae omnia temporalia abicit, ut mercedem aeternitatis recipere possit. Hic dicitur asinus fortis. Asinus est animal oneriferum, qui asperis et vilibus pascitur. Sic et paupertas ‘portat pondus diei et aestus’, grossis et asperis utitur. “Panis, inquit beatus BERNARDUS, furfureus et simplex aqua, olera vel legumina simplicia nequaquam res delectabilis est, sed in amore Christi et desiderio internae delectationis, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his vel ex aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturae! Facillimum quippe et delectabile esset, adiuncto amoris Dei condimento, secundum naturam vivere, si insania nostra nos permitteret”. Sequitur: Accubans in terminis, non inter terminos. Duo sunt termini, ingressus scilicet et egressus vitae nostrae. In his accubat, idest requiescit, paupertas. Considerat enim pauperrimum hominis ingressum et attendit vilissimum ipsius egressum, et ideo non vult accubare ‘inter terminos, ut audiat, sicut dicitur in libro Iudicum, sibilos gregum’, idest suavem

suggestionem daemonum. Inter terminos habitat vel accubat, qui ingressum et egressum suae vitae non attendit, sed in carnis voluptate et mundi vanitate requiescit. Sequitur: Vidit requiem, caelestis beatitudinis, quod esset bona et terram, aeternae stabilitatis, quod esset optima; supposuit humerum suum ad pauperem Iesum, Dei Filium, portandum. Iesum portat, cum pro amore ipsius omne quod ei accidit adversi patienter supportat. Unde Ecclesiasticus: Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine. Paupertas ergo portat in humeris, humilitas portat ad pectus, in brachiis. Unde in Canticis: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. In hoc diminutivo fasciculus, humilitas; in myrrha dominicae Passionis amaritudo designatur. Cor est inter ubera, ac si diceret humilis sponsa: Porto in corde dilectum meum Iesum, fasciculum myrrhae, idest humilem et crucifixum, ut sim humilis corde, et cruci cum ipso affixa corpore. Paupertas ergo et humilitas deferunt Iesum ad templum, idest quoadusque veniant ad caelestis Ierusalem templum, non manufactum. Item, poenitentia et obedientia confitentur et benedicunt. Unde in Psalmo: Confessio et pulchritudo in conspectu eius, quoad poenitentem, cuius confessio ipsius est pulchritudo. Confessio enim mundat lepram peccati et decorat gratia Spiritus Sancti. Unde in Psalmo: Confessionem et decorem, idest poenitentes, qui confessione mundantur et gratia decorantur, induisti. Sequitur: Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius, quoad obedientem, quem Dominus sanctificat sanctimonia conscientiae in mortificatione voluntatis propriae, et magnificentia vitae in executione iussionis alienae. Ecce ubi habitat rex virtutum. Habe ergo has virtutes, et invenies Dei sapientiam et Dei virtutem, Iesum. Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut super his quattuor columnis aedificet domum nostrae conversationis, ut ipse nobiscum et nos cum ipso habitare valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

II – De vaticinio Simeonis

8 – Dixit Simeon ad Mariam matrem eius: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Dicit beata Maria in suo cantico: Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Deposuit, idest deorsum posuit. Hoc est quod dicit Dominus in Abdia propheta: Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrae exaltantem solium tuum. Dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham, idest deorsum traham, te, dicit Dominus. Quaere in evangelio: Exiit qui seminat seminare semen suum, et in evangelio: Caecus sedebat secus viam. Deposuit ergo potentes. Hoc est quod dicitur in Daniele: Ecce vigil et sanctus de caelo descendit, et clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem et praecidite ramos eius et excutite folia eius, et dispergite fructus eius. Arbor, a robore dicta, huius mundi potentem significat, qui, ut dicit Iob, tetendit adversum Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Iste securi morte succiditur et deorsum in infernum trahitur, et tunc rami eius, idest parentum potentia, generis nobilitas, quas solebat dilatare et extendere, praeciduntur; tunc folia, idest ventosa superbiae verba, excutiuntur; tunc fructus divitiarum et deliciarum, quos in malum suum congregavit, disperguntur. Deposuit ergo potentes de sede, et exaltavit humiles. Hoc est quod dicit Iob: Moerentes erigit sospitate; et iterum: Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe. Deposuit Aman superbum, et exaltavit humilem Mardochaeum. Ille de sede ruit, iste eius loco surrexit. Bene ergo dicit beata Maria:

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Unde ad ipsam dicit de suo filio sanctus Simeon, in hodierno evangelio: Ecce hic positus est in ruinam etc. Hoc est quod ipse dicit in Ioanne: In iudicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant. De quorum ruina dicit Isaias: Ruit Ierusalem, et Iudas concidit, quia lingua eorum, "Crucifige, crucifige eum", et adinventiones eorum, "scilicet: Possum destruere templum hoc manufactum etc.", contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius.

9 – MORALITER. Dicit Ecclesiasticus: 'Verte impium et non erit', "scilicet impius". Cecidit Saulus persecutor, et surrexit Paulus praedicator. Hoc est ergo: Ecce positus est in ruinam, scilicet peccatorum. De qua dicit Zacharias: Erit ruina equi et muli, cameli et asini et omnium iumentorum. In equo superbia, unde in Ieremia: Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens. In mulo luxuria, unde in Psalmo: Nolite fieri sicut equus et mulus. In camelo avaritia, unde: 'Non potest camelus, idest avarus, per foramen acus, idest paupertatem Iesu Christi, transire'. In asino torpor negligentiae, quae est sentina omnium vitiorum. Unde dicitur asinus, quasi alta sinens. Torpor negligentiae non ad alta sinens conscendere, sed per plana semper vult incedere. Unde dixit Abraham ad pueros suos, in Genesi: Expectate hic cum asino. Pueri sunt pueriles et carnales affectus, qui expectant cum asino, idest asinino torpore et tarditate. In iumentis voluptuosa quinque sensuum delectatio designatur, de quibus Isaias: Onus iumentorum austri. In terra tribulationis et angustiae leaena et leo ex eis, vipera et regulus volans. Terra est caro, quae spinas tribulationis et tribulos angustiae nobis germinat. Hoc est onus iumentorum, idest quinque sensuum, qui sunt iumenta austri, idest mundani gaudii. In hac terra tribulationis et angustiae, quam iumenta conculcant et stercorant, sunt leaena luxuriae et leo superbiae, vipera irae, regulus volans invidiae et vanaegloriae. O Domine Iesu, ruant omnes istae bestiae et iumenta, ut iumentinus peccator simul corruat et corruens spiritualis resurgat. Dicamus ergo: Ecce hic positus est in ruinam.

10 – Sequitur: Et in resurrectionem multorum. De qua habes concordantiam in Ezechiele: Facta est, inquit, super me manus Domini et eduxit me in campum, qui erat plenus ossibus mortuorum. Erant autem multa valde, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Vaticinare, fili hominis, de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis, et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem. Ossa arida sunt peccatores, qui sunt aridi ab humore gratiae, 'quorum cor aruit, quia obliti sunt comedere panem', 'omnem saporem et omne delectamentum habentem'. De quibus dicit Iob: 'Ossa Behemoth, quasi fistulae aeris'. Perversi quique in malitia, duri quasi ossa diaboli, quia sustentant carnales, tamquam ossa carnem, sunt tamquam fistulae aeris, quia ad modum aeris sagittas praedicationis a se repellunt, et ad ictum increpationis stridorem murmurationis emittunt. Verbis etiam 'confitentur Christum, ecce fistula, factis autem negant', ecce aeris duritia. Sed, quia ipsius Christi maior est misericordia quam ossium ariditas et duritia, ideo addit: Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis etc. Nota ista quattuor: spiritum, nervos, carnes et cutem. In spiritu, gratiae praevenientis inspiratio; in nervis, bonarum cogitationum concatenatio; in carnibus, circa proximum compassio; in cute finalis perseverantiae extensio designatur. Intromittam in vos spiritum et vivetis. Unde in Genesi: Spiravit in faciem eius spiraculum vitae etc.. Quaere in evangelio: Ductus est Iesus in desertum.

11 – Et dabo super vos nervos. ‘Multitudo nervorum est apud manus et pedes et costas et gyrationes spatularum et collum; et ossa, quae coniunguntur ad invicem, sunt ligata cum nervo. In cuius circuitu est humiditas quaedam, et ex illa generatur et nutritur’. Cum intromittit Dominus spiritum gratiae in peccatorem, tunc in eius corde oritur humiditas compunctionis, ex qua generatur et nutritur nervus bonae affectionis et bonae voluntatis, quae coniungit et ligat totum corpus boni operis. Et succrescere faciam carnes. Hoc est quod dicit in eodem Propheta: Auferam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum, quod, scilicet compunctum, doleat compassione proximi, ‘quia caro et frater noster est’. O cor lapideum, quod nulla moveris compassione circa proximum! Dicit enim: Numquid custos fratris mei sum ego? Noveris quod ‘in custodiendo illum retributio multa’. Dicitur in primo libro Regum, quod emortuum est cor Nabal intrinsecus, et factus est quasi lapis. Noluit enim compati David, nec de suis ei dare, immo prorupit in verba contumeliae, dicens: Quis est David, et quis est filius Isai? Hodie creverunt servi qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos et aquas meas, et carnes pecorum, quae occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint? Hodie haec et his similia avari et usurarii, qui habent cor lapideum, dicunt pauperibus Iesu Christi. Et superextendam in vobis cutem. Extensio cutis, perseverantia finalis. Vos, inquit Dominus, estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Sed, vae his qui perdiderunt sustinentiam. Unde Iob: Cutis mea aruit et contracta est. Cutis aret et contrahitur, cum bonum opus finalis perseverantiae effectu denudatur. Unde Ecclesiasticus: ‘Denudatio hominis in fine ipsius’. Tunc enim apparebit turpitudo illius. Ecce praelibatum est quomodo Dominus ossa arida vivificat, qui positus est in resurrectionem multorum.

12 – Sequitur: Et in signum cui contradicetur. De quo in Matthaeo: Et tunc apparebit signum Filii hominis in caelo; et Isaias: Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum. ‘Mons caliginosus est diabolus: mons propter superbiam, caliginosus propter suggestionis caliginem, quam menti infert’. Super quem ‘praedicatores tunc signum levant, cum eum crucis virtute victum praedicant’; exaltant vocem, cum ‘opportune, importune arguunt, obsecrant, increpant’; levant manum, cum quod ‘praedicant voce, exercent opere’. Item, de hoc signo dicit Dominus in Ezechiele: Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius. Isti soli signo dominicae Passionis non contradicunt, quia ipsum in fronte deferunt. Qui sunt gementes et dolentes, nisi poenitentes, spiritu pauperes, qui in cruce Christi gloriantur, et super abominationibus, quae fiunt in mundo, dolent et gemunt? Infideles verbo et opere contradicunt – unde Apostolus: Praedicamus Iesum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam –; falsi christiani, opere. Vae, inquit Isaias, qui contradicit fictori suo, testa de samiis terrae!, “idest fictilibus. Samos civitas, ubi figulorum ars est reperta”. Testa, ‘dicta quasi tosta’, est falsus christianus: tostus, quia sine devotione, fragilis opere, fictilis creatione; qui contradicit fictori suo, vel Christo, qui eum, manibus in cruce affixis, finxit et, nisi per ipsum steterit, in primae dignitatis honorem restituit. Quare ergo infelix contradicit, malae vitae testimonio, fictori suo, redemptori suo?

13 – Unde conqueritur in Isaia: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas; populus qui ad iracundiam provocat

me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis et sacrificant super lateres, qui habitant in sepulcris et in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, et ius profanum in vasis eorum. Expandi "quasi largus, nihil denegans petentibus". Unde in Parabolis: Extendi manum meam et non fuit qui aspiceret. In primo adventu manus Domini fuit extenta, sed in secundo erit clausa, et tunc percutiet pugno, et molas leonum confringet. Expandi ergo manus meas, "scilicet in cruce", de quibus in Canticis: Manus eius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis. Manus Christi dicuntur tornatiles a tornatura Passionis, fuerunt enim clavis quasi torno perforatae; aureae propter operis munditiam; plenae hyacinthis, idest vitae aeternae praemiis; e quibus primum hyacinthum meruit accipere Latro: Hodie mecum eris in paradiso. Tota die, inquit, et nocte, quia quando dies mundanae prosperitatis nobis arridet, tunc debemus recordari mortis Iesu Christi. Unde dicitur, quod 'sol in ipsius morte obscuratus est'. Sol mundanae gloriae debet nobis obscurari in memoria Passionis dominicae. Expandi, inquit, ad populum incredulum. Dicit Isaias: Qui incredulus est infideliter agit. Dicit AUGUSTINUS: 'Credere in Deum est Deum amare, et in eum ire, et eius membris incorporari'. Qui ita non facit, mentitur cum dicit: Credo in Deum. Incredulus ergo est qui non ita credit et infideliter agit: eius fides est mortua, quia caret caritate. Qui graditur in via non bona, 'lata et spatiosa, quae ducit ad mortem'. Simile habes in Parabolis: Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, digito loquitur, annuit oculis, terit pede. Post cogitationes suas, de quibus in libro Sapientiae: Perversae cogitationes separant a Deo; et: Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus quae sunt sine intellectu. Populus qui ad iracundiam, "idest vindictam, provocat me, studio delinquendi". Unde Sophonias: Vae provocatrix et redempta civitas, ac si diceret: Illi ad iracundiam me provocant, quos meo sanguine redemi. Ante faciem meam semper, "idest aperte, quod peius est". Peccatum suum, inquit Isaias, quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Qui immolant in hortis, "ecce luxuria". Unde Isaias: Erubescetis super hortis, "idest locis voluptuosis", quos elegeratis "luxuriae vestrae". Et sacrificant super lateres, ecce avaritia. Unde in Exodo: Paleae non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. Multoties evenit quod avaris et usurariis paleae, idest divitiae, subtrahuntur, et tamen nihilominus lateres avaritiae, ad minus voluntate et verbo, diabolo conficiunt. Vel, super lateres sacrificant qui divinum officium iuxta ignem vel lectum et huiusmodi Domino persolvunt. Qui habitant in sepulcris, ecce detractio. Sepulcrum, inquit, patens est guttur eorum etc. Et in delubris idolorum dormiunt, ecce hypocrisis, quae tamquam idolum praetendit speciem religionis, sed caret veritate operis. Heu! quot hodie cultores idolorum, qui simulacrum, alienam sanctitatem simulans, venerantur. Qui comedunt carnem suillam, ecce gulae spurcitia; et ius profanum in vasis, idest cordibus, eorum, ecce cogitationum immunditia. Qui haec operantur signo dominicae Passionis contradicunt.

14 – Sequitur: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. 'Dolor, quem beata Maria sustinuit in Passione sui Filii, fuit quasi gladius', qui ipsius animam pertransivit. Hoc est quod dicit Isaias: Antequam parturiret peperit. Nota quod beatae Mariae duplex fuit partus: unus in carne et alius in spiritu. Partus carnis fuit virgineus et omni gaudio plenus, quia Virgo peperit sine dolore gaudium angelorum. Unde dicit cum Sara in Genesi: Risum mihi fecit Dominus; quicumque aud ierit corridebit mihi. Beatae Mariae debemus corridere et congaudere in sui Filii Nativitate; debemus et ei condolere in illius Passione, cuius animam ipsius pertransivit gladius, et tunc fuit secundus partus, dolorosus et omni

amaritudine plenus. Nec mirum, Dei enim Filium, quem, Spiritu Sancto cooperante, Virgo conceperat, Virgo pepererat, videbat ligno clavis affigi, inter latrones suspendi. Quid mirum si gladius eius pertransivit animam? Attendite et videte, si est dolor sicut dolor eius. Antequam ergo parturiret in Passione, peperit in Nativitate.

15 – MORALITER. Dicit Ieremias in Threnis, in persona Iesu Christi, ad Patrem: Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis. Passio Christi dicitur transgressio, eo quod omnium martyrum dolorem et passionem est transgressa. Unde dicit Lucas, quod Moyses et Elias dicebant excessum eius, idest Passionem, quae excessit omni passioni, quem completurus erat in Ierusalem. Cum hoc vir iustus attendit, statim subdit quod sequitur in eisdem Threnis: Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. Fili Dei, memoria memor ero – verbi geminatio nimium affectum exprimit digentis – paupertatis tuae, quae tanta fuit, quod in morte non habuit sudarium, quo involveretur, vel monumentum, quo sepeliretur, nisi ei sicut pauperi mendico fuisset exhibitum, intuitu misericordiae et eleemosynae; et transgressionis, idest Passionis, qua transgressus es omnem humanum dolorem. Unde in Ioanne: Egressus est, inquit, Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, "qui interpretatur tristis maeror". Omnem enim tristitiam et maerorem in Passione fuit transgressus. Omnes martyres antequam passionem sustinerent, quanta in ea esset vis doloris ignorabant, et ideo non tantum dolebant quantum dolerent si scirent. Dominus vero, qui omnia novit antequam fiant, antequam ad Passionem accederet, eius vim doloris omnino noverat, et ideo non mirum si plus omnibus aliis dolebat. Absinthii et fellis, de quo in Psalmo: Dederunt in escam meam fel, ut dicitur, tauri, quo nihil amarius. Hoc cum recordor, tabescit in me anima mea, quam transverberat gladius tuae Passionis. Quod cum fit, tunc, ut ibi sequitur, revelantur ex multis cordibus cogitationes. Hoc est quod dicit Iob: Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. Cum Dominus transverberat animam gladio suae Passionis, tunc profunda, idest vitia, quae procul sunt a fundo sufficientiae, quia 'numquam dicunt: Sufficit, sed semper: Affer, affer', revelat de tenebris, idest caecitate mentis, in contritione cordis, ut homo ipsa cognoscat, et cognita in confessione aperiat; de qua subditur: et producit in lucem, scilicet confessionis, umbram mortis, idest ipsum mortale peccatum.

16 – Huic evangelii clausulae concordat illa particula hodiernae epistolae: Ubi venit plenitudo temporis. Si enim, ut dicit Ecclesiastes, omni negotio tempus est, et Ecclesiasticus, sapiens tacebit usque ad tempus, probabile est Deum in negotio salutis humanae et emissione Verbi sui tempus congruum observare. Nota quod, in anno quattuor sunt tempora: hiems, ver, aestas, autumnus. Ab Adam usque ad Moysen fuit quasi hiems: Regnavit, inquit Apostolus, mors ab Adam usque ad Moysen. Ver fuit a Moyse usque ad Christum. In hoc vere coeperunt flores, fructum promittentes, pullulare. Cum autem venit aestas, quae est plenitudo temporis, qua arbores replentur pomis, tunc misit Deus Filium suum, factum ex muliere. Super hoc habes concordantiam in Levitico: Dabo, inquit, vobis pluvias temporibus suis et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem; et comedetis panem vestrun in saturitate. Dominus dedit pluviam, 'cum ros aream fudit, et pluvia in vellus descendit', hoc est, cum, Angelo annuntiante, Virgo Dei Filium concepit. Terra germen genuit, cum ipsa Virgo Salvatorem mundo edidit, in cuius

praedicatione et miraculorum operatione arbores, idest apostoli, fuerunt repleti virtutum pomis. Et messium tritura, idest Passio Domini, qua fuit 'attritus propter scelera nostra', apprehendit vindemiam, idest Sancti Spiritus infusionem, qua inebriati fuerunt apostoli: "Musto, inquit, madere deputant quos Spiritus repleverat". Et ipsa vindemia occupavit sementem, idest ipsorum praedicationem, statim enim coeperunt praedicare et dicere: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi. Autumnus erit in caelesti beatitudine, in qua comedent sancti panem in saturitate, et sedebunt, ut dicit Michaeas, subter vineam suam et subter ficum suam, et non erit qui exterreat. Sequitur: Factum sub lege, 'idest legis observantiis subiectum': Non, inquit, veni solvere legem, sed adimplere, ut eos qui sub lege erant redimeret. Simile quid habes in epistola ad Hebraeos: Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest diabolum; et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam "subditi", obnoxii erant servituti. Ecce habes aperte quomodo positus fuit in ruinam daemonum et resurrectionem multorum. Unde sequitur: Ut adoptionem filiorum reciperemus. Quanta gratia! servos adoptavit in filios! Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei coheredes autem Christi.

III – In Annuntiatione vel Nativitate Domini et de poenitentia

17 – Huic epistolae particulae concordat introitus hodiernae missae: Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosiliit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans; et stans replevit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra. Hic est textus litterae in libro Sapientiae: Cum quietum silentium contineret omnia. Hoc est quod dicit Dominus in Luca: Cum fortis armatus, "idest diabolus", custodit atrium suum, "idest mundum" vel infernum, in pace sunt ea quae possidet. Unde Sennacherib, 'in quo ipse diabolus figuratur', dicit in Isaia: Invenit quasi nidum, "idest impotentes se tueri", manus mea fortitudinem populorum; et sicut colliguntur ova quae derelicta sunt, "scilicet a matre", sic universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam, "idest manum contra me", et aperiret os et ganniret. Ecce quomodo quietum silentium continebant omnia. Et nox in suo cursu medium iter haberet. Medium dicitur respectu extremorum. 'Extrema noctis sunt conticinium et aurora'. Ab Adam usque ad legem fuit quasi conticinium, a lege usque ad beatae Mariae Annuntiationem fuit quasi media nox, in qua praecepti transgressio designatur. Nec Adam in paradiso, nec populus in deserto praeceptum custodivit; omnes huius noctis caligine erant obtenebrati, et ideo egebant aurora, idest dominici adventus beneficio, qui incepit in angelica salutatione. Principium noctis fuit ad Hevam in serpente diabolica suggestio. Initium diei fuit ad Mariam angelica salutatio. Et tunc, o Pater, omnipotens tibi consubstantialis sermo, "idest Filius", tuus a regalibus sedibus, idest a sinu tuae maiestatis, de quo Ioannes: Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit. Durus debellator. Hoc est quod dicitur in Luca: Si autem fortior illo supervenerit. Qui 'portas aereas conterere et vectes ferreos confringere' venerat, sine dubio oportebat ut durus debellator fuisset. De diabolo dicit Dominus in Iob, quod reputat quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum aes. Non fugabit eum vir sagittarius; in stipulam versi sunt ei lapides fundae. Quasi stipulam aestimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. Quid plura? Factus est ut nullum timeret. Oportuit ergo ut durus debellator esset, in quo

quidquam non haberet, qui eum spoliare veniebat. In mediam terram, quae media est inter caelum et infernum, exterminii, idest quam diabolus exterminaverat, 'idest extra terminos' vitae aeternae posuerat. Unde de eo dicit Isaias: Numquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum et urbes eius destruxit? prosiliit, iunctis duobus pedibus divinitatis et humanitatis. Gladius acutus. Hoc est quod dicit Apostolus: Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti etc. Gladius est divinitas, qui in vagina humanitatis fuit absconditus. Unde Isaias: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. Hoc gladio transfossus fuit diabolus, qui terram exterminabat. Unde Isaias: Finitus est pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram.

18 – Insimulatum imperium tuum portans. Dicit Ioannes: 'Omnia dedit ei Pater in manus'. Et iterum: Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Item: Mea omnia sunt tua, et tua mea sunt. Portavit ergo imperium Patris, qui 'dedit ei potestatem omnis carnis', 'potestas eius potestas aeterna', 'qui imperat ventis et mari, et obediunt ei'. Insimulatum imperium portans, hoc est quod dicit Marcus: Erat docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribae eorum, qui in hypocrisi et simulatione docebant. Et in Luca: Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus et exeunt? Et stans replevit omnia morte. Stans, expansis manibus in cruce, morte sua omnia quae fuerant vacuata, per primi parentis inobedientiam, replevit. 'De cuius plenitudine nos omnes accepimus'. Et usque ad caelum attingebat, in quo divinitas, 'sapientia enim attingit a fine usque ad finem fortiter', stans in terra, in quo humanitas designatur. Dicit in Ioanne: Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo. De eo dicitur in Iob: Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius, et latior mari. Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut nos faciat a vitiis ruere et in virtutes resurgere, gladium suae Passionis animam nostram pertransire, qua ad generalis resurrectionis gaudium mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

19 – Cum quietum silentium contineret omnia. MORALITER exponatur. Dicit Iob de diabolo: Sub umbra dormit, in secreto calami et locis humentibus. In umbra superbia, quae dicitur umbra mortis, idest diaboli. Sicut enim umbra corpus sequitur, sic superbia diabolum. Unde dicitur in Apocalypsi: Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum nomen illi mors; et infernus sequebatur eum. Ecce equus, miles et scutifer. Equus pallidus est hypocrita; miles enim, nomen [illi] mors, diabolus; scutifer, infernus, idest superbia, quae equum hordeo et aqua, idest austeritate abstinentiae pascit, 'ut videatur hominibus ieiunans' cui sellam fictae humilitatis supponit, quem freno silentii infrenat. Stultus, ut dicit Salomon, si tacuerit, sapiens reputabitur, sic et hypocrita, sanctus. Super hunc equum mors ascendit, per mundum discurrit, 'laudes venatur, salutationes in foro, cathedras in synagogis et primos recubitus in cenis'. Non est superbia super superbiam hypocritae, "simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas". Item, in calamo, 'a quo calamitas derivatur', avaritia, cuius vacuitatem, quae numquam dicit: Sufficit, sequitur calamitas aeterna. 'In locis humentibus gula et luxuria designantur'. Humiditas enim mater est corruptionis, ex qua vermes et similia generantur. In superbis, avaris et luxuriosis, dormit et quiescit diabolus, et tunc quietum silentium continent omnia membra eorum. Cor enim tacet a bona cogitatione, lingua a Dei laude, manus a recto

opere. Dicit Isaias: Vae mihi, quia tacui. Vae aeternae damnationis est in tali silentio. Et nox in suo cursu medium iter haberet. “Nox est dicta a nocendo, quia nocet oculis”, et significat mortale peccatum, quo obscuratur lumen rationis. ‘Qui ambulat in nocte offendit’. Huius noctis extrema sunt conticinium et aurora, idest consensus mentis excaecatae et infusio gratiae, quorum medium est ipsa actio et consuetudo peccati. De hoc medio itinere dicitur in Psalmo: Iter impiorum peribit. Quod tunc evenit, cum omnipotens sermo prosilit, idest Sancti Spiritus gratia, quae bene dicitur omnipotens sermo: omnipotens, quia omnia salutis obstacula potens est irrumpere; ‘sermo, quia serit et inserit’ in mente virtutes, vel quia servat mentem, quam sanavit a peccato. Unde in libro Sapientiae: ‘Non herba, idest viror divitiarum, qui cito arescit, nec malagma deliciarum sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat universa’, a regalibus sedibus divinae benignitatis et miserationis. Unde Ioel: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam benignus et misericors est.

20 – Durus debellator, in contritione. Gratia enim dicitur durus debellator, quia tamquam malleus mentis duritiem conterit: ‘Nonne verba mea quasi ignis, et quasi malleus conterens petras?’ In mediam terram, idest mentem peccatoris, quae dicitur terra, quia terrena sapit; media, quia inter misericordiam et iustitiam posita. Unde dicit in Ioanne, quod remansit Iesus solus et mulier in medio, ‘misericordiae scilicet et iustitiae’, stans. Exterminii. Duo sunt termini: ingressus et egressus vitae nostrae. Cum mens hominis in his non habitat, hos non cogitat, tunc est exterminata, idest extra terminos posita. Dicit Isaias: ‘Circuit clamor terminum Moab’, in quo peccator designatur, in cuius utroque termino est clamor: cum ingreditur mundum, clamans plorat; cum egreditur, sui plorant. Unde in Ecclesiaste: Circuibunt, scilicet cum cadavere, in platea plangentes. Sequitur: Gladius acutus, in confessione. Gratia tunc est gladius acutus, cum linguam peccatoris acuit in confessione, ut dicere possit cum Isaia: Posuit os meum quasi gladium acutum. De quo dicit Dominus Ezechieli: Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et duces per caput tuum et barbam tuam. Peccator gladio confessionis debet radere caput, in quo mens, ut nullum peccatum remaneat in conscientia, et barbam, in qua boni operis fortitudo designatur, ut non in se sed in Domino, a quo est omne bonum, confidat. Unde sequitur: Insimulatum imperium tuum portans. Vera confessio simulationem non novit, quae conscientiae veritatem elucidat in conspectu Altissimi et sui confessoris, et tunc portat insimulatum imperium Domini. Nota quod, confessionis quattuor sunt inimici: amor peccati, pudor confitendi, timor poenitentiae, desperatio veniae. Qui istos quattuor hostes in confessione omnino superat, sine dubio insimulatum Domini imperium portat. Sequitur: Et stans replevit omnia morte, in satisfactione. Gratia tunc stat, cum poenitentem viriliter facit perseverare in poenitentia, ut omnia membra sua repleat morte, idest mortificatione, ‘ut mortuus peccato vivat Deo’, et tunc de eo poterit dici illud quod sequitur: Et usque ad caelum attingebat, stans in terra. Gratia usque ad caelum attingit, stans in terra, cum poenitentem, adhuc in carne positum, caelesti conversatione caelum facit attingere, ut dicat cum Apostolo: Nostra conversatio in caelis est. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut Sancti Spiritus gratiam in mediam exterminii terram mittat, quae mentis duritiam conterat, linguam in confessione exacuat, corporis membra mortificatione repleat, qua caelesti conversatione caelum mereamur attingere. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

DOMINICA II POST NATIVITATEM DOMINI

Themata sermonis

Evangelium in secunda dominica post Nativitatem: Cum factus esset Iesus, quod in tribus clausulis dividitur. In primis thema sermonis in Quadragesima ad poenitentes, ibi: Ponite corda vestra. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item de duodenario virtutum et parentibus viri iusti, scilicet spe et timore, ibi: Cum factus esset. Item ad contemplativos, ibi: Portae Ierusalem. Item de triplici statu poenitentium, ibi: Tribus vicibus per annum; et de ipsorum triplici oblatione, ibi: Obsecro vos. DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de compassione proximi, ibi: Erat visio. Item de triduo poenitentium, ibi: Viam trium dierum. DE TERTIA CLAUSULA. Thema sermonis de humilitate et obedientia, ibi: Dilectus meus descendit in hortum suum; et ibi: Florebit amygdalus; et ibi: Erat subditus illis.

Exordium. Sermo in Quadragesima ad poenitentes

1 – In illo tempore: Cum factus esset Iesus annorum duodecim etc. Dicit Dominus in Aggaeo propheta: Ponite corda vestra super vias vestras; ascendite in montem, portate lignum et aedificate domum. Nota quod in his tribus verbis: ponite, ascendite, portate, notantur contritio, confessio et satisfactio; quas qui habet, domum nomini Domini poterit aedificare. 'Viae sunt actiones nostrae', unde Ieremias: Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris. Quaere in evangelio: Erat Iesus eiciens daemonium. Cor autem super vias ponere est in cordis contritione quid egerit cogitare. Unde in Psalmo: Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua. Sed, quia rarus vel nullus est qui hoc faciat, ideo conqueritur Dominus per Ieremiam: Attendi, inquit, et auscultavi: Nemo quod bonum est loquitur; nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in proelium. David, quia cor suum super vias suas posuerat, ideo pedes, idest affectus suos, in testimonia, idest martyria Domini, converterat. Isti vero, quia non cogitant quid faciunt, nec poenitentiam agunt, ideo ad cursum temporalium se convertunt. Qui interiora sua non cognoscit, ad exteriora aliena se convertit. Alienum est quidquid tecum in morte ferre non potes. Pone ergo cor tuum super tua et non super aliena, quia ubi cor, ibi oculus; ubi oculus, ibi cognitio; ubi tui cognitio, ibi remissio. Ponite ergo corda vestra super vias vestras, et sic ascendere poteritis in montem, in quo confessio designatur, quae est mons Dei, mons pinguis. De cuius pinguedine in Psalmo: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Impinguasti, inquit, in oleo, idest in lumine confessionis, caput meum, "idest mentem" meam, et sic calix meus, idest lacrimarum potus, quam praeclarus est. quam pulchra est casta generatio, cum claritate!. Confessio, quia ex contritione generatur, ideo generatio dici potest, cuius pulchritudo in castitate et claritate consistit: castitate, ut omnia peccata uni sacerdoti denudentur et non per plures dividantur, claritate, ut confitens lacrimis perfundatur, quibus ipsius conscientia clarificatur. Sequitur: Portate lignum, in quo poenitentiae satisfactio designatur: de monte confessionis portans poenitens lignum satisfactionis. Et nota quod, 'sicut in ligno crucis Christi fuit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, sic in ligno, idest in cruce poenitentiae, debent esse longitudo perseverantiae finalis, latitudo caritatis, sublimitas spei, profundum timoris'. Ex his

aedificatur domus Domini, in civitate Ierusalem, de qua dicitur in hodierno evangelio: Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi.

2 – Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Iesu et parentum eius in Ierusalem ascensio, ibi: Cum factus esset. Secundum, post triduum ipsius inventio, ibi: Et factum est. Tertium, cum parentibus eiusdem in Nazareth descensio, ibi: Et descendit cum eis. In introitu hodiernae missae cantatur: "In excelso throno", et legitur epistola beati Pauli ad Romanos, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus evangelii clausulis concordare. Prima particula: Obsecro. Secunda: Nolite conformari. Tertia: Dico enim per gratiam.

I – De Iesu et parentum eius in Ierusalem ascensione

3 – Dicamus ergo: Cum factus esset Iesus annorum duodecim. Quid puer Iesus, quid parentes eius, quid Ierosolyma, quid consuetudo diei festi moraliter significent videamus. In hoc duplici nomine, puer Iesus, notatur perfectio viri iusti, qui debet esse puer, 'idest purus', quoad seipsum, Iesus, 'idest salvator', quoad proximum. Ad hoc quod sit purus sex sunt ei necessaria, scilicet cordis munditia, corporis castimonia, inter adversa, ne deiciatur, patientia, inter prospera, ne elevetur, constantia, et, ut in his valeat perseverare, humilitas et paupertas. Ad hoc vero quod sit salvator sex misericordiae opera sunt ei necessaria, quae sunt: Esurivi, et dedistis mihi manducare etc. Hic est duodenarius numerus annorum viri iusti, qui desiderat ascendere Ierosolymam cum puero Iesu, de quo dicitur: Cum factus esset Iesus annorum duodecim. Sequitur: Ascendentibus illis. Parentes Iesu, Ioseph et Maria: "Ioseph augmentum", "Maria mare amarum" interpretatur. Non quia amarum habuit poenitentiae gemitum, sed quia in Filii Passione, quodam quasi praesagio, nomen amaritudinis est sortita. In his duobus spes et timor designantur, qui sunt quasi parentes viri iusti. "Spes est bonorum expectatio futurorum", quae exprimit humilitatis affectum et sedulum servitutis obsequium. Ecce Ioseph, humilis et sedulus minister. "Spes autem vocata, quod sit pes progrediendi", ecce augmentum. "E contrario dicitur desperatio, cui nulla progrediendi est facultas, quia, dum quisque peccatum amat, futuram gloriam non sperat". Et, ne spes praesumptione corrumpatur, debet ei timor coniungi, 'qui est initium sapientiae', ad cuius saporis dulcedinem nullus potest pervenire, nisi prius timoris degustet amaritudinem. Unde dicitur in Exodo, quod filii Israel, antequam ad mannae dulcedinem venirent, 'invenerunt in Mara aquae amaritudinem'. Per amarae enim poculum confectionis pervenitur ad gaudium sanitatis. Cum istis parentibus vir iustus debet ascendere in Ierusalem, in qua vitae excellentia, mentis tranquillitas, contemplationis suavitas designatur. Unde dicit Tobias: Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide mundo et candido omnes plateae eius sternentur, et per vicos eius Alleluia cantabitur. In sapphiro, qui aerei, et smaragdo, qui viridis est coloris, vitae excellentia, quae consistit in contemptu terrenorum et desiderio aeternorum; in lapide pretioso, mundo et candido, mentis tranquillitas; in Alleluia contemplationis notatur suavitas. Quaere superius in tertia dominica septembris, et invenies plenius in historia Tobiae hanc auctoritatem expositam.

4 – Sequitur: Secundum consuetudinem diei festi. Moyses praecepit filiis Israel, in Deuteronomio, dicens: Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, "idest pascha", et in solemnitate hebdomadarum et tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. Nota quod, in triplici solemnitate triplex notatur status, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. In solemnitate azymorum notatur status incipientium, qui in azymis sinceritatis et veritatis debent pascha celebrare et 'agnum cum lactucis agrestibus', 'idest suorum peccatorum amaritudine', comedere. De hoc quaere in evangelio Resurrectionis. In solemnitate hebdomadarum, 'in qua offerebantur duo novi panes primitiarum Domino', status proficientium, quorum 'interior homo renovatur de die in diem', qui novos panes, idest mentis et corporis munditiam, Domino offerunt. In solemnitate tabernaculorum, quae scenopegia, "idest fixio tabernaculorum", dicitur, status perfectorum, qui, ut dicit Isaias, 'sedent in tabernaculis fiduciae'. Quorum tabernacula, ut dicit Balaam, in libro Numeri, sunt pulchra, ut valles nemorosae, in quibus paupertatis humilitas, praestans obumbraculum contra ardorem temporalium, ut horti iuxta fluvios irrigui, in quibus infusio gratiae, refrigerans sitim carnalis concupiscentiae, designatur. Haec est ergo consuetudo diei festi, secundum quam quilibet vir iustus tenetur et debet ascendere in Ierusalem, ubi, ne ante Dominum vacuus appareat, debet offerre agnum innocentiae quoad proximum, duos novos panes duplicis continentiae quoad seipsum, et, ut dicitur in Levitico, debet 'sumere fructus arboris pulcherrimae, spatulasque palmarum etc.' Require in ultima clausula evangelii in Ramis palmarum

5 – Huic primae clausulae concordat prima pars epistolae: Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Quicumque vir iustus cum parentibus in Ierusalem, secundum consuetudinem diei festi, vult ascendere, necesse est ipsum ista tria, quae hic ponit Apostolus, observare; alioquin vacuus apparebit ante Dominum, qui dicit in Levitico: Quidquid obtuleris sacrificii sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione, scilicet boni operis, offeres sal "discretionis". Obsecro ergo, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Nota ista tria verba: viventem, sanctam, Deo placentem. Incipientes debent corpora sua exhibere hostiam viventem, proficientes sanctam, perfecti Deo placentem. Super his tribus habes concordantiam in Levitico, ubi tria genera ponuntur oblationum. Prima fiebat de pecoribus, secunda de avibus, tertia de simila, oleo conspersa. Et hoc tribus modis: in clibano, in sartagine, in craticula. Prima offerunt incipientes, unde ibi dicitur: Detracta pelle hostiae, artus in frusta concident; et subiicient in altari ignem, strue lignorum ante composita; et membra quae caesa sunt desuper ordinantes, caput videlicet et cuncta quae adhaerent iecori, intestinis et pedibus lotis aqua, adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. 'Altare est cor; ignis, divinus amor; strues lignorum, congeries Christi passionum; pellis detractio, reatus denudatio; artus vel membra caesa, circumstantiae in confessione manifestae; caput, peccati origo; iecur, ipsius pertinax amor; intestina, cogitationum immunditia; pedes, gressus; aquae, effusio lacrimarum'. Peccator ergo conversus, incipiens poenitere, in altari sui cordis prius debet componere congeriem passionum Christi, scilicet flagella, alapas, sputa, crucem, clavos, lanceam, et

postea in confessione reatum denudare et eius circumstantias minutatim dividere, et quae ipsius fuerit origo et quanta in ipso delectatio et amor. Debet etiam aqua lacrimarum abluere immunditiam cogitationis et operis. Si haec omnia ita fuerint ordinata et composita super congeriem passionum Christi Iesu, ipse, qui est summus sacerdos, subicit ignem sui amoris, qui devorabit omnia peccata, et tunc ipse poenitens fiet holocaustum, "idest totum incensum", nihil sibi de se reservans, sed totum se servituti Domini subiciens, ut sit 'bonus Christi odor in omni loco'; et sic exhibebit corpus suum hostiam viventem: hostiam, quia peccato mortuum; viventem, quia iustitiae vivum, unde Apostolus: Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus.

6 – Sequitur: Sanctam. Proficientes offerunt secundam oblationem, de qua in eodem Levitico subinfertur: Si de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus et pullis columbae, offeret eam sacerdos ad altare; et, retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. Vesiculam vero gutturis et plumas proiciet prope altare, ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent; confringetque ascellas eius, et non secabit nec ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum et oblatio suavissimi odoris Domino. Tunc holocausti oblatio fit de avibus, cum vir iustus, pennatus virtutibus, 'qui in turture et columba propter castitatem, simplicitatem et gemitum poenitentiae designatur', proficit de virtute in virtutem. Qui caput ad collum, os ad ascellas tunc retorquet, cum quod ore praedicat opere exercet. Ex tali tortione fit ruptio, idest mentis devotio, ex qua decurrit sanguis lacrimarum, 'quae sunt, ut dicit AUGUSTINUS, sanguis animae'. Super crepidinem altaris, idest animum auditoris, dulcis symphonia vocis et operis in praedicante devotionem excitat, quae audientis cor penetrat. 'Ne ergo, ut dicit Ecclesiasticus, impedias symphoniam'. 'In vesicula gutturis ardor avaritiae, in plumis levitas superbiae designatur', quae vir iustus a se proicit, ad orientalem plagam, in loco cinerum, 'cum considerat a quanta felicitatis gloria cecidit per avaritiam et superbiam priorum parentum, quibus dictum est: Cinis es etc.' Confringit ascellas, cum considerans dominicae Passionis humilitatem, 'suas deponit virtutes'. Unde Ezechiel: 'Cum fieret vox super firmamentum, animalia submittebant alas suas'. 'Firmamentum est Christus', super quem fuit facta vox, scilicet: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Cum haec animalia, 'idest sancti', audiunt, submittunt virtutes suas, non de ipsis, sed de percussi Pastoris Passione confidentes. Vir iustus, qui quotidie in melius proficit, virtutum ascellas humilitate confringit, non in tempore adversitatis ferro impatientiae a se dividit, et sic seipsum adolet hostiam sanctam super altare, idest imitationem dominicae Passionis, igne sanctae devotionis supposito lignis, idest sanctorum patrum exemplis, et sic totus fit holocaustum et oblatio suavissimi odoris Domino.

7 – Sequitur: Deo placentem. Perfecti viri offerunt tertiam oblationem, 'quae, ut in eodem Levitico dicitur, erat de simila oleo conspersa'. Simila, purgatissima et candidissima farina, est perfecti viri vita, quae caret furfure mundanae vanitatis, candet munditia castitatis et conspergitur oleo pietatis. Hoc coquitur in clibano paupertatis, frigitur in sartagine alienae necessitatis vel infirmitatis, assatur in craticula dominicae Passionis. Vere, vere haec hostia est placens Deo. Ista tria supradicta faciunt rationabile obsequium, discretione sincerum, sanctitate plenum. Rogemus ergo, fratres carissimi, Iesum Christum, ut, qui cum suis parentibus Ierusalem ascendit, et nos in supradicto virtutum

duodenario, cum spe et timore, in Ierusalem moralem ascendere faciat, qua in triplici solemnitate ei hostiam viventem, sanctam, ipsi placentem, offerre valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in caelesti Ierusalem. Alleluia. Amen. Alleluia.

II – De Iesu post triduum inventione

8 – Sequitur secundum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. Quid triduum et templum, quid Iesu sessio, quid doctores, quid audire ipsius et interrogare significent, videamus. Triduum est propriae iniquitatis cognitio, fraternae necessitatis compassio, divinae pietatis consideratio vel admiratio. De primo in Michaea propheta: Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. De secundo in Ezechiele: Erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Splendor ignis est compassio caritatis, quae accendit et illuminat, de qua egreditur fulgur mirae operationis. Haec visio, quae vere videre facit, debet discurrere in medio animalium, idest christianorum. Et bene dicit discurrens, idest per diversa currens. Verae compassioni non sufficit providere necessitati corporis nisi provideat et animae, et e converso. 'Si quis infirmatur corpore, et ipsa infirmatur; si quis scandalizatur in anima, et ipsa uritur'. Item, de tertio in Ecclesiaste: Dulce lumen, et delectabile est oculis, "scilicet mentis", videre solem, idest considerare divinae pietatis claritatem. Quicumque hoc triduum perfecerint, Iesum in templo invenire poterunt. "Templum dictum, quasi tectum amplum", est mens viri iusti, quae est tectum, quia tegit compassione necessitatem proximi, amplum cognitione sui et Dei. In tali templo post tale triduum invenitur Iesus. Et quid ibi facit ? Tria facit: sedet in medio doctorum, audit et interrogat. In mente viri iusti sunt doctores, idest rationis affectus, qui docent quid cavendum et quid sit agendum, in quorum medio Iesus sedet, cum mentem pacificat, in pacificata quiescit, quiescens 'omnia suaviter disponit'. Hoc est quod dicit Iob: Cum sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen maerentium consolator. Ecce consolatio: audire et interrogare. Cum mens est in quietis silentio, tunc Iesus audit affectum cordis, in ipsius aure loquentis, et post interrogat flagello piae correctionis. Hoc est quod dicit Iob: Visitas eum diluculo, ecce auditio, et subito probas illum, ecce interrogatio. Haec est consolatio maerentium, idest iustorum, 'qui maerent pro irriguo superiori' in valle lacrimarum, ut eos beatus Iesus audiat et interroget, visitet et probet. Haec, inquit Iob, sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat.

9 – Aliter exponi potest. Triduum est poenitentia, quae in tribus consistit: contritione, confessione, satisfactione. De quo triduo dicit Moyses in Exodo: 'Viam trium dierum pergemus in solitudinem et sacrificabimus Domino Deo nostro'. Post hoc triduum, Ioseph et Maria, idest poenitentes spiritu, pauperes et humiles, invenient Iesum in templo caelestis Ierusalem. Hoc est quod dicitur in Genesi, quod 'pincerna post tres dies fuit restitutus in gradum pristinum'. Sedentem, inquit, in medio doctorum. Hoc est quod dicit Ioannes in Apocalypsi: Vidi, et ecce sedes posita erat in caelo, et super sedem sedens, et in circuitu sedis sedilia vigintiquattuor, et super thronos vigintiquattuor seniores, 'in quibus duodecim patriarchae et duodecim apostoli possunt designari', sedentes, circumamictos vestimentis albis, et in capitibus coronas aureas. Istud idem fere cantatur in introitu hodiernae missae: "In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo angelorum, psallentes in unum, cuius imperium in aeternum". Unde ibi subinfertur: Et

procidebant vigintiquattuor ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum. Amen. Item, et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine etc. Sequitur: Audientem et interrogantem illos. Beatos spiritus Dominus tunc audit, cum nostrae devotionis oblationem per eorum ministerium gratanter suscipit. Unde in Apocalypsi: Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum et de manu angeli; et Raphael in Tobia: Ego, inquit, obtuli orationem tuam Domino. Omnes, inquit Apostolus, sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Interrogat, cum eis suae voluntatis secretum revelat.

10 – Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: Nolite conformari huic saeculo. Dicit Deus in Isaia: Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum. Faber "est diabolus", quem Deus creavit "secundum substantiam". Hic, sumatorio "malae suggestionis", sumat in igne prunas, "idest igneas prunas, idest incentiva vitiorum". Hoc saeculum est quasi fornax Babyloniae, de qua dicitur in Daniele: Fornax succensa erat nimis etc. Require supra in historia Danielis, in secunda dominica Novembris. Haec fornax cum flatu diaboli sic succenditur, ferrum, idest superbi, plumbum, idest avari, stannum, idest luxuriosi, liquefiunt; et tunc diabolus format et profert vas in opus suum, "idest ut faciat voluntatem suam". Alius enim vadit in formam superbiae, alius in formam avaritiae, alius in formam luxuriae. Haec sunt vasa irae et contumeliae, quae proicientur in stercus damnationis aeternae. Vos ergo, qui cum Maria et Ioseph Iesum quaeritis et invenire desideratis, nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri. Hoc est quod dicit Isaias: Erunt quinque civitates in terra Aegypti etc. Require superius in moralitate sermonis: Cum fortis armatus. Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Ecce triduum, post quod invenitur Iesus in templo. Voluntas Dei bona est in cordis contritione, beneplacens in confessione, perfecta in satisfactione. De prima in Psalmo: Benigne fac in bona voluntate tua Sion etc., et in libro Sapientiae: O quam bonus est, Domine, spiritus tuus in omnibus. De secunda in Daniele: Sic fiat sacrificium nostrum, scilicet confessionis, in conspectu tuo, ut placeat tibi. Unde in Genesi: Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius. De tertia in Psalmo: Perfice gressus meos in semitis tuis, in quibus vitae austeritas, satisfactionis asperitas designatur. Rogemus ergo Dominum Iesum Christum, ut hoc triduum ita det nobis perficere, qua in caelesti templo, in medio angelorum sedentem, ipsum mereamur invenire, qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

III – De Iesu cum parentibus in Nazareth descensione

11 – Sequitur tertium. Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis. Nota ista tria verba: descendit, Nazareth et subditus. 'Descendat et sedeat in pulvere filia Babylon', quia Filius Dei descendit. O rigida superbia, quae 'super altitudinem nubium niteris conscendere, super astra caeli solium tuum exaltare, in monte testamenti sedere', descende, obsecro, quia Iesus descendit. 'Et tu, Capharnaum, usque ad caelum exaltata, antequam demergaris ad infernum', descende cum Iesu, qui est paradisus: Emissiones tuae, inquit, paradisus. O meretrix, quae sedes super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiae, descende cum Iesu. Erubescat, erubescat iam infrunita superbia, concidat turgida arrogantia, quia Dei sapientia descendit. Miser homo, manibus et

pedibus reptans, ad honoris, immo sui dedecoris, gradum nititur ascendere, et beatus Iesus, ad increpationem piae matris, dicentis: Fili, quid fecisti nobis sic? usque ad triginta annos negotium distulit, quod inceperat duodennis, et de templo, quo in medio doctorum sedebat, descendit.

12 – Sequitur: Et venit Nazareth. Hoc est quod dicit sponsa in Canticis: Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, idest humilitatem, quae est procreatrix ceterarum virtutum. Hunc locum sub compendio proposueramus transire, sed amoenitas Nazareth nos transire non patitur. Pulchritudo loci, gratia floris, suavitas odoris, ad nuptias in Cana Galilaeae celebrandas properantes detinet et retardat. Nazareth, locus humilis, "interpretatur flos", et significat humilitatem, quae bene dicitur flos, 'in quo tria notantur: pulchritudo coloris, suavitas odoris et spes fructus'. Sic in humilitate vera est pulchritudo honestatis. Unde in Ecclesiastico: Flores mei fructus honoris et honestatis. Suavitas bonae opinionis. Sicut flos cum spirat odorem non corrumpitur, sic vere humilis non elevatur, dum de bonae vitae odore laudatur. "Vere humilis, inquit BERNARDUS, vult vilis haberi, et non humilis praedicari". Unde Salomon in Ecclesiaste: Florebit amygdalus, impinguabitur locusta et dissipabitur capparis. Amygdalus, 'quae ante alias arbores flores emittit', est humilis, qui dicit cum David in secundo Regum: Ludam ante Dominum et vilior fiam plus quam factus sum; et ero humilis in oculis meis. De hoc ludo dicit Sapientia Patris in Parabolis: Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum. Filius, beatus Iesus, coram Patre ludebat, cum a discipulo tradebatur, ad columnam ligatus flagellabatur, ab Herode illudebatur, spinis coronabatur, alapis et colaphis caedebatur, sputis liniebatur, eius facies velabatur, caput arundine percutiebatur, barba depilabatur. Ludebat etiam, cum, baiulans sibi crucem, exiit in eum locum qui dicitur Golgotha, ubi a militibus crucifigitur, a principibus deridetur, felle et aceto potatur, eius latus lancea perforatur. Ecce qualiter lusit et vilis fuit Dei sapientia in orbe terrarum. Ecce quales habuit delicias cum filiis hominum. Huic ludo se coaptat pro posse verus humilis, qui quanto in se vilis, tanto coram Deo est sublimis. Florebit ergo amygdalus et impinguabitur locusta. Cum humilitas in mente, honestas in opere florent, tunc impinguabitur locusta, 'idest anima ipsius humilis, dans saltum contemplationis'. Non impinguabitur, sicut hypocrita, odore propriae laudis, sed flore verae humilitatis. Impinguabitur a flore proprio, non ab ore alieno; et tunc dissipatur capparis, idest superbia et vanagloria. Item, spes fructus percipiendi ab ubertate domus Domini. Cum videro florem, spero fructum; sic, cum videro verum humilem, spero ipsum beatum in caelis affuturum. Sed, heu! ut dicit Isaias, omnis hypocrita est nequam, et Michaeas: Qui optimus est in eis, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe. Vere hodie omnis est hypocrita, paliurus et spina. Hypocrita, quod non est simulans; paliurus, mollis verbis, pungens factis; spina, transeuntes vulnerans, ut laudis et pecuniae sanguinem emungat. In horto Nazareth non paliurus et spina, sed lilium et viola, et ideo Iesus venit Nazareth.

13 – Sequitur: Et erat subditus illis. Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia, humiliet se omnis inobedientia, cum audit: Et erat subditus illis. Quis subditus? Qui solo verbo omnia creavit ex nihilo. Qui, ut dicit Isaias, mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit, qui appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes et colles in statera. Qui, ut dicit Iob, commovet terram de loco suo, et columnae caeli

concutientur. Qui praecipit soli et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit caelos solus, et graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum et Oriona et Hyadas et interiora Austri. Qui facit magna et incomprehensibilia, et mirabilia quorum non est numerus. 'Qui concentum caeli dormire facit'. 'Qui quasi hamo capiet et extrahet Leviathan, et fune ligabit linguam eius et in sudibus perforabit nares eius et armilla perforabit maxillam eius'. Iste talis ac tantus erat subditus illis. Quibus illis? Fabro et pauperculae Virgini. O primus, o novissimus, o angelorum praelatus et hominibus subditus! Caeli creator subditur fabro, Deus aeternae gloriae virgini pauperculae. Quis audivit umquam tale? Et quis vidit huic simile? Non ergo dedignetur obedire et subdi philosophus piscatori, sapiens simplici, litteratus idiotae, filius principis ignobili.

14 – Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: Dico enim, per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, philosophis, sapientibus, litteratis, nobilibus, et qui huiusmodi sunt, non plus sapere – unde alibi: Noli altum sapere, sed time – quam oportet sapere. "Multum deest tibi ad sapientiam, si tibi sapiens non es". Sapiens non es, si plus sapis quam oportet. Sapere quod oportet istud est: descendere, Nazareth venire, subdi et perfecte obedire. Hoc debet esse totum tuum sapere, et hoc sapere est tibi ad sobrietatem. Plus sapere est ad ebrietatem, in qua omnis sapientia desipit. Plus sapere et plus discernere quam oportet, errare faciunt "animalem discretum, novitium prudentem, incipientem sapientem", sicut errat ebrius et vomens. "Perfecta, inquit Bernardus, obedientia est maxime in incipiente indiscreta, hoc est non discernere quid vel quare praecipiatur; sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat quod a maiore praecipitur. Haec omnis sit eius discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio. Haec omnis eius sapientia sit, ut in hac parte nulla ei sit". Et hoc est sapere ad sobrietatem. Pura simplicitas, quae est 'aqua Siloe, quae vadit cum silentio', sobriam reddit animam, quasi vinum sapientiae sapientum huius mundi limphetur, eorum sapere erit sapere ad sobrietatem. Si qui in religione sapientes sunt, eos Deus per simplices aggregavit. 'Elegit enim stulta et infima, infirma et ignobilia, ut per ipsa aggregaret sapientes, fortes et nobiles, ut in se non glorietur omnis caro', sed in illo, qui descendit et venit Nazareth et erat subditus illis. Cui est honor et gloria per aeterna saecula. Dicat omnis simplex et subdita anima: Amen. Alleluia!

DOMINICA I POST OCTAVAM EPIPHANIAE

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica post octavam Epiphaniae: Nuptiae factae sunt. In primis thema sermonis ad praedicatores, ibi: Gemmula carbunculi. Item de quaternario virtutum, scilicet castitate, humilitate, paupertate et obedientia, ibi: Et erat Mater Iesu. Item contra mundani gaudii amatores, ibi: Non intuearis vinum. Item de sex verbis beatae Mariae, ibi: Dicit Mater eius ad eum. Item de sex hydriis et earum significatione, ibi: Erant autem ibi; et de pupilla et palpebris, et quid significent. Item de convivio et gaudio vitae aeternae, ibi: Ioseph lota facie.

Exordium. Sermo ad praedicatores

1 – In illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae. Dicit Ecclesiasticus: Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Quid ista quinque: gemmula, carbunculus, aurum, musica et vini convivium, significent videamus. Gemmula est diminutivum a gemma, carbunculus a carbone, in quo duplici diminutivo duplex humilitas: in gemmula famae perspicuitas, in carbunculo, 'qui igniti est coloris', caritas designatur. Haec sunt quae ornant aurum, 'idest sapientiam', praedicatoris, qui si talibus fuerit ornatus, eius praedicatio erit velut comparatio musicorum. Cum exterior sapientia sapori conscientiae, eloquentia vitae proportionaliter respondent, tunc est comparatio musicae. Cum vitam lingua non remordet, dulcis est symphonia. Et bene 'praedicatio appellatur musica'. 'Cuius, ut fertur, talis est natura, ut si tristem invenerit tristiorem facit, si laetum laetiorem reddit'. Sic praedicatio, cum 'divitem purpuratum in inferno sepultum', et 'impossibile esse divitem intrare in regnum caelorum, sicut per foramen acus camelum', et omnem pompam et gloriam saeculi in nihilum devenire denuntiat, tunc perfidos avaros et usurarios, qui semper sunt in tristitia, quia 'cum labore acquirunt, cum timore custodiunt, cum dolore amittunt', tristiores reddit. Importuna narratio musica in luctu; acetum in nitro, qui cantat carmina cordi fatuo. Verbum quod vitium mordet, malorum auditum gravat, viros vero iustos, qui sunt in gaudio spiritus, in laetitia securae mentis, laetiores reddit. Secura mens, dicitur in Parabolis, quasi iuge convivium. De quo subinfertur: in convivio vini. Convivium vini et nuptiae factae in Cana Galilaeae, idem repraesentant, de quibus dicitur in hodierno evangelio: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae.

2 – In introitu hodiernae missae cantatur: Omnis terra; et legitur epistola ad Romanos: Habentes donationes, cuius sex tantum verba sex hydriis, prout possumus, breviter concordabimus.

De nuptiis in Cana Galilaeae factis

3 – Nuptiae factae sunt. Quid nuptiae et Cana Galilaeae, quid mater Iesu et ipsius discipuli, quid vinum deficiens, quid sex hydriae, quid aqua in vinum mutata et quid architriclinus moraliter significent, videamus. Quia superius, in evangelio: Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, de nuptiis satis dictum est, breviter de coniunctione sponsi et sponsae, idest Sancti Spiritus et poenitentis animae disseramus. "Cana interpretatur zelus, Galilaea transmigratio". In zelo, idest amore transmigrationis, fiunt nuptiae inter Spiritum Sanctum et animam poenitentis. Unde super hoc habes concordantiam in libro Ruth, 'quae, ut in eodem dicitur, de regione Moabitide transmigravit in Bethleem', 'quam Booz sumpsit sibi in uxorem'. "Ruth interpretatur videns vel festinans vel deficiens", et significat animam poenitentis, quae videt peccata sua in cordis contritione, festinat ipsa mundare in confessionis fonte, deficit a prima virtute in poenitentiae satisfactione. Unde dicit in Psalmo: Defecit caro, 'idest carnalitas', mea et cor meum, 'idest superbia cordis mei', et sic de regione Moabitide, "idest diaboli servitute", in zelo amoris transmigrat in Bethleem, "quae interpretatur domus panis". Amor Dei est animae domus panis, quo protegitur et reficitur, et tunc "per viam amoris, ut dicit beatus BERNARDUS, infundit se Spiritus Sanctus". Hic est Booz, 'qui interpretatur in quo virtus', de qua in Luca: Sedete in civitate, quousque induamini virtute

ex alto. Animam, quam sibi Spiritus Sanctus in sponsam assumit, virtute ex alto induit. Unde Isaias: Qui dat virtutem ex alto lasso, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat. Dat virtutem, ut resurgat, fortitudinem, ne in tentatione succumbat, robur, ut finaliter perseveret. In coniunctione Sancti Spiritus et animae fiunt nuptiae, thalamus conscientiae ornatur, thorus bonarum cogitationum recto ordine disponitur, symphonia quinque sensuum manu discretionis temperatur, et sic hinc et inde 'in memoriam abundantiae suavitatis Dei exultatur', iubilatur, et vere de Domino in bonitate sentitur. Hoc est illud epithalamium, quod cantatur in introitu hodiernae missae: "Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Altissime". Omnis terra est orientalis, meridionalis, occidentalis et aquilonaris. Terra orientalis sunt incipientes, meridionalis proficientes, qui fervent sicut sol in meridie, occidentalis perfecti, qui omnino mundo sunt mortui, et, e contrario, aquilonaris boni coniugati et viri catholici, qui, adhuc possidentes substantiam huius mundi, tribulationum et dolorum multas sustinent patienter passiones. Omnis ista terra adoret Dominum cordis contritione, psallat hilari confessione, psalmum dicat operis satisfactione in nuptiis, quae celebrantur in Cana Galilaeae.

4 – Sequitur: Et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus et discipuli eius ad nuptias. O felices nuptiae, quae talibus ac tantis decorantur privilegiis, resplendent beneficiis. In beata Maria, quae fuit virgo et mater, castitas et fecunditas; in Iesu, qui fuit humilis – unde: Discite, inquit, a me, quia mitis etc. – et pauper – unde: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis etc. –, humilitas et paupertas; in ipsius discipulis, obedientia et patientia designatur. Ecce decus et decor nuptiarum, privilegium et dignitas earum. Animae sponsus, Spiritus Sanctus, dum ipsam sibi unit, castam et fecundam reddit: castam mentis puritate, fecundam boni operis prole. Unde in Canticis: Omnes gemellis fetibus, "idest geminae dilectionis, vel activae et contemplativae vitae, operibus", et sterilis non est in eis. E contrario dicitur: 'Maledicta sterilis in Israel'. Unde in Threnis Ieremiae: Torcular calcavit Dominus virgini, 'idest sterili', filiae Sion. Ut ergo anima huius maledictionis elogium evadere valeat, necesse est ut sit casta et fecunda, ut dicere possit in Ecclesiastico: Ego mater pulchrae dilectionis, ecce fecunditas, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei, ecce castitas. Item, Spiritus Sanctus efficit animam humilem et pauperem. Unde in Isaia: Ad quem, inquit, respiciam, nisi ad "humilem vel" pauperculum et contritum spiritu? 'in specie enim columbae, 'quae mansuetum et gemitum habens pro cantu est volatile', descendit super Iesum in Iordanis flumine'. Difficillime humilitas servatur inter divitias, sicut et pudicitia raro vel numquam inter delicias. Divitem humilem et deliciosum caste viventem si inveneris, reputa eos duo luminaria in firmamento; sed timeo, ne potius qui eiusmodi sunt hypocrisis tincto colore decorentur. Quicumque ergo desiderat esse verus humilis, exoneret se divitiis, ex quarum contactu humilitas inficitur et superbia generatur. Unde Dominus conqueritur in Osee: Ego erudivi, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus. Dominus erudit gratuitis, et tamquam filios confortat naturalibus et etiam temporalibus brachia, idest potentiam et virtutem, eorum, ut 'opponant se murum pro domo Israel, et stent fortes in bello'. Sed quia ex adipe procedit iniquitas, reversi sunt, ut essent filii Belial, 'idest absque iugo', in quo superbia designatur – Dereliquerunt Dominum, inquit Isaias, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum –, et facti sunt quasi arcus dolosus. Cum enim deberent

mittere sagittas sanctae vitae et doctrinae, et percutere adversarium, mittunt sagittas perversae vitae et blasphemiae contra Dominum. Item, efficit obedientem et patientem. Unde dicitur in libro Sapientiae, quod 'Spiritus Sanctus est benignus, humanus, stabilis'. In obediente et patiente sunt haec tria: est benignus, idest bene ignitus, ad obediendum praelato, humanus ad patiendum et compatiendum proximo, stabilis in proposito. Obediens vere non eris si patiens non fueris. Nam vidua est obedientia, quam non patientia firmat.

5 – Sequitur: Et deficiente vino. Fel draconum vinum eorum est mundi et carnis gaudium, de quo Salomon in Parabolis: Non intuearis vinum, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Nota quod vitrum vile est in materia, fragile in substantia, gloriosum in splendore. Vitrum est hominis caro, quae vilis est in materia, quia de foetido humore procreata; fragilis est in substantia, quia quasi flos egreditur et conteritur, et anni eius sicut aranea meditabuntur – Telas araneae, inquit Isaias, texuerunt, quae non erunt eis in vestimentum –; gloriosa in splendore mundanae pulchritudinis, de qua in Parabolis: Fallax gloria et vana pulchritudo. In hoc ergo vitro, cum splenduerit vinum, idest mundi gaudium, non intuearis, idest, cum tibi arriserit mundi prosperitas, carnis voluptas, non in ea delecteris: ingreditur enim blande, sed in novissimo mordebit ut coluber. Hoc est quod dicit Dominus in Luca: Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Mundi gaudium aeterni luctus est seminarium. Et sicut regulus venena diffundet. Hic vinum, ibi venenum. Hoc est quod dicitur circa finem huius evangelii: Omnis homo, humum sapiens, primum bonum vinum, mundani gaudii, ponit, et cum inebriatus fuerit tunc id quod deterius est bibet in inferno, scilicet mortis venenum, quod regulus, idest diabolus, diffundet in animas damnatorum. Heu! quam amara erit haec potio bibentibus illam, qui prius hic 'inebriati fuerint de poculo aureo meretricis magnae, cum qua fornicati sunt reges terrae'. Deficiat ergo, obsecro, vinum mundani gaudii de nuptiis sponsae et sponsi. Quo deficiente, fiet quod sequitur: Dicit mater eius ad eum: Vinum non habent. 'Nota quod beata Maria, sicut ex evangelio Lucae et Ioannis colligitur, tantum sex verba protulit'. Primum fuit: Quomodo fiet istud. Secundum: Ecce ancilla Domini. Tertium: Magnificat anima mea Dominum. Quartum: Fili, quid fecisti nobis sic? Quintum: Vinum non habent. Sextum, cum dicit ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Isti sunt quasi sex gradus in Salomonis throno eburneo, sex folia in lilio, sex calami in candelabro. 'In primo verbo notatur firmum propositum inviolabilis virginitatis'; in secundo, insigne obedientiae et humilitatis; in tertio. ipsius exultatio pro collato sibi beneficio; in quarto, ipsius pro Filio sollicitudo; in quinto, compassio; in sexto, de potentia Filii ipsius certitudo.

6 – Sequitur: Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Deus Dei Filius ex beata Virgine accepit humanam naturam in unitate personae. 'Pater dedit divinitatem, mater humanitatem; Pater maiestatem, mater infirmitatem'. Ex divinitate habuit aquam in vinum mutare, caecos illuminare, mortuos suscitare; ex infirmitate vero humanitatis, esurire, sitire, ligari, conspui et crucifigi. Dicit ergo: Quid mihi et tibi est, mulier? Nota ista duo: mihi et tibi. In mihi divinitas, in tibi humanitas notatur. Ac si diceret suae matri: Fieri postulas miraculum, quod mihi ex divinitate est possibile; tibi vero, idest humanitati, quam accepi a te, Passionem sustinere. De qua subinfertur: Nondum venit

hora mea, scilicet Passionis, qua ‘torcular calcem solus, et vestimenta mea sint sicut calcantium in torculari’. Nondum venit hora, qua Iudas extendat calcaneum super acinum, ex quo exprimatur vinum inebrians cor quaerentium Dominum. Nondum venit hora, qua uva humanitas, quam ex te accepi, comprimatur prelo crucis, ut decurrat ‘vinum laetificans cor hominis’. Cum illa hora venerit, tunc quid mihi et tibi erit, mulier?

7 – Sequitur: Erant autem ibi lapideae hydriae sex, positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. In Cana Galilaeae, idest anima, ‘quae in zelo amoris iam transmigravit de vitiis ad virtutes’, sunt sex hydriae, scilicet contritio, confessio, oratio, ieiunium, eleemosyna et illatae iniuriae ex corde remissio. Haec sunt quae purificant Iudaeos, idest poenitentes, ab omnibus peccatis. Contritio purificat, unde Dominus in Ezechiele: Effundam super vos aquam mundam, et emundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; et in Ieremia: Lava a malitia cor tuum, Ierusalem, ut salva fias; usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae? Contritio a malitia cor lavat et a noxiis cogitationibus purificat, unde in Levitico: Intestina et pedes lavabunt aqua. ‘In intestinis, cogitationum immunditia; in pedibus carnalia desideria designantur, quae aqua contritionis lavantur’. Lavabis, inquit, me, et super nivem dealbabor. Item, confessio purificat, unde dicitur: “Omnia in confessione lavantur”. Dicit Ieremias in Threnis: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Sicut aquam dixit, et non sicut vinum, vel lac, vel mel. Cum vinum effunditur, in vase remanet odor; cum lac, color; cum mel, sapor; cum vero aqua effunditur, nullius istorum remanet vestigium. In vini odore, peccati imaginatio; in lactis colore, vanae pulchritudinis admiratio; in mellis sapore confessae iniquitatis cum mentis delectatione recordatio designatur. Hae sunt maledictae reliquiae, de quibus dicitur in Psalmo: Saturati sunt filiis, “idest operibus malis vel porcina, idest peccati, immunditia”, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis, idest primis motibus. Tu vero, cum effundis in confessione cor tuum, effunde sicut aquam, ut porcina et ipsius reliquiae in nihilum redigantur omnino, et sic purificaberis a peccato. Item, oratio purificat, unde Dominus in Ieremia: In fletu venient, et in precibus deducam eos, et adducam eos per torrentes aquarum. Et in Ecclesiastico: Non despiciet preces pupilli, idest humilis poenitentis, qui dicit: Pater meus et mater mea, idest mundus et carnalis concupiscentia, dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me; nec viduam, idest ipsius poenitentis animam, quae diabolo et vitio iam est viduata, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad caelum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur, et precatio illius usque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Item, ieiunium purificat, unde in Ioele: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et fletu et planctu; et in Matthaeo: Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava. Moyses post ieiunium quadraginta dierum ‘legem Domini immaculatam, convertentem et purificantem animas’, meruit accipere, et Elias sibilum aurae tenuis audire. ‘Saliva hominis ieiuni occidit serpentem’. Magna virtus ieiunii, quae pestes animae curat, antiqui hostis fraudem exsuperat. Item, eleemosyna purificat, unde: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. ‘Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum’. De qua Ecclesiasticus: Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Eleemosyna dicitur sacculus, quia quod in ea reponitur, postmodum in vita aeterna invenietur. Hoc est quod dicitur in

Ecclesiaste: Mitte panem tuum super transeuntes aquas, ‘idest pauperes’, qui ostiatim transeunt de loco ad locum, et post multa tempora, “idest in die iudicii”, invenies illum, “idest retributionem” pro illo. Unde: Esurivi et dedistis mihi manducare. Peregrinus es, o homo, hunc sacculum in tuae peregrinationis via porta, ut, cum sero ad hospitium veneris, panem quo reficiaris in eo invenire possis.

8 – Eleemosyna etiam gratiam quasi pupillam conservat. “Propter acumen visus fit corium, quod est super pupillam, valde tenue; et propter salutem oculi fuerunt creatae palpebrae; et omne animal claudit oculum, ut non cadat super ipsum extrinsecum, et hoc non ex voluntate, sed hoc ex natura; et homo claudit oculos multoties, quoniam est tenuis corii plus omnibus animalibus. Avis vero, quae claudit oculos, non claudit ipsos nisi per palpebram inferiorem”. Sicut palpebra pupillam cooperiendo conservat, sic eleemosyna gratiam, ‘quae est quasi pupilla animae, per quam videt’. Hoc est quod dicit Tobias: Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur animas ire in tenebras. Sicut homo naturaliter claudit oculos palpebris multoties, sic assidue, ut gratiam valeat conservare, debet eleemosynam facere. Ipsa enim natura docet et compellit ipsum hoc idem facere. Unde Iob: Visitans speciem tuam, non peccabis. ‘Species tua, o homo, est alter homo’ sicut tibi ipsi naturaliter provides, sic ipsi debes providere: Diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum. Quod ideo debet facere, quoniam est tenuis corii plus omnibus animalibus. Corii tenuitas mentis compassionem significat, quae plus est et debet esse in homine, quam in aliquo animali. Brutum animal se esse comprobat, qui compassione caret. Dicit Moyses in Deuteronomio: Peregrinus et pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt, comedent et saturabuntur, et benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quae feceris; item: Praecipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra. Item, iniuriae remissio purificat animam a peccatis. Unde Dominus in Matthaeo: Si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Qui sic facit est quasi avis, quae per inferiorem palpebram oculum claudit. Avis dicta ab a, quod est sine, et via, idest sine via. ‘Dum enim volat, viam non servat’. Sic qui in se delinquenti ignoscit, viam rancoris et odii in corde non habet; qui tunc per inferiorem palpebram oculum claudit, cum iniuriam ex corde dimittit. Et haec est eleemosyna spiritualis, sine qua omne bonum vitae aeternae mercede caret. Dicit Ecclesiasticus: Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a Deo quaerit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur. Ipse, cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo. Quis exorabit pro delictis illius? Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamenti Altissimi – “qui dicit: Dimittite et dimittetur vobis” –, et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata. Ignorantiam proximi despicit qui, non malitiae sed ignorantiae imputans, illatam iniuriam dissimulat, et dissimulans in corde non servat.

9 – Ecce sex hydriae lapideae, a lapide, quem reprobaverunt aedificantes, exciso de monte sine manibus excisae. Qualiter plenae sunt? Usque ad summum, aqua salutari. Capientes singulae metretas binas vel ternas. “Metreta est mensura”. In binis, Dei et proximi dilectio; ‘in ternis sanctae Trinitatis fidei confessio designatur’, quae in omnibus supradictis hydriis sunt necessaria. Istas sex hydrias ponit Apostolus inter alia verba

hodiernae epistolae. Spiritu, inquit, ferventes, ecce contritio. Nota quod dicit ferventes. Sicut olla dum fervet, muscae intrare non audent, sic in cor, quod vere conteritur, muscae morientes, quae perdunt suavitatem unguenti, intrare non praesumunt. Spe gaudentes, ecce confessio, in qua peccator de spe veniae debet gaudere, et nihilominus de perpetratione culpae dolere. Orationi instantes, ecce tertia hydria. Necessitatibus sanctorum communicantes, ecce ieiunium. Necessitate ieiunii et abstinentiae sancti fuerunt 'afflicti, angustiati, quibus dignus non erat mundus' – in laboribus, inquit Apostolus, in vigiliis, in ieiuniis –. Quamvis haec posset aliter intelligi de eleemosyna corporali. De qua subditur: Hospitalitatem sectantes, ecce quinta hydria. Benedicite persequentibus vos; benedicite et nolite maledicere, ecce sexta hydria, scilicet iniuriae remissio.

10 – Sequitur: Dicit eis Iesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam. Huic concordat illud quod dicitur in Genesi, quod 'Ioseph, lota facie a lacrimis, ait: Ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph et seorsum fratribus eius, Aegyptiis quoque seorsum, biberunt fratres Ioseph et inebriati sunt cum eo'. Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu, est Iesus Christus, qui fuit 'quasi granum sinapis, humilitate minimus, sed crevit et factus est arbor magna, in cuius ramis habitant volucres caeli', caelestia contemplantes. Ipse, speciosus prae filiis hominum, in quem desiderant angeli prospicere. Hic lavabit faciem a lacrimis, sicut dicit Isaias: Auferet Dominus Deus omnem lacrimam ab omni facie, cum aquam hydriarum supradictarum mutabit in caelestis gaudii vinum; aqua contritionis tunc convertetur in vinum gaudii cordis. Unde Dominus promittit in Ioanne: Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Tunc erit cor gaudii vino hilare et iucundum, quod modo est contritum et humiliatum. Cor, inquit Salomon, quod novit amaritudinem, in gaudium eius non miscebitur extraneus Item, aqua lacrimosae confessionis convertetur in vinum divinae laudis. Unde Isaias: Revertentur et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum; gaudium et laetitiam obtinebunt; fugiet dolor et gemitus, quem prius habuerunt in confessione sui reatus. Item, aqua lacrimosae orationis convertetur in gaudium contemplationis Trinitatis et Unitatis. Unde Isaias: Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. Item, ieiunium convertetur in gaudium vindemiae defaecatae. De quo Isaias: Faciet, inquit, Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium etc. Require in evangelio: Homo quidam fecit cenam magnam. Item, eleemosyna duplex, beneficii temporalis et remissionis illatae iniuriae, convertetur in gaudium duplicis stolae, idest glorificationem corporis et animae. Unde Isaias: Duplicia in terra sua possidebunt, laetitia sempiterna erit eis.

11 – Dicamus ergo: Ioseph, lota facie a lacrimis, ait: Ponite panes. Hoc est quod dicit in Luca: Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Seorsum Ioseph et seorsum fratribus eius, Aegyptiis quoque seorsum. Hoc est quod dicit in Matthaeo: Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae. Et congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab haedis. Et statuet quidem oves a dextris, haedos autem a sinistris. Biberuntque et inebriati sunt cum eo. Ecce nunc architriclinus, cum quo 'inebriamur ab ubertate domus suae'. Archi,

idest princeps, tri, idest trium, clinus, idest lectus, ‘idest princeps trium ordinum lectorum’, in quibus antiquitus solebant discumbere ad vescendum. ‘Tres ordines lectorum tres in Ecclesia significant ordines, scilicet coniugatorum, continentium et virginum’, quorum princeps est beatus Iesus, qui faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut in Cana Galilaeae det nobis, ut supradictum est, nuptias celebrare, sex hydrias aqua implere, qua in nuptiis Ierusalem caelestis aeterni gaudii vinum cum ipso mereamur bibere. Quod nobis praestare dignetur ipse, qui est benedictus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis anima, Sancti Spiritus sponsa: Amen. Alleluia.

DOMINICA II POST OCTAVAM EPIPHANIAE

Themata sermonis

Evangelium in secunda dominica post octavam Epiphaniae: Cum descendisset Iesus, quod in duabus clausulis dividitur. In primis thema sermonis contra divites et sapientes huius mundi, ibi: Non herba. [DE PRIMA CLAUSULA]. Item contra illos, qui lepra vanaegloriae, luxuriae et avaritiae sunt infecti, ibi: Cum color albus. Item de tribus virtutibus, sine quibus non mundatur quis a lepra peccati, ibi: Et ecce leprosus etc. Item de solius vitae aeternae mercede expectanda, ibi: Vide, nemini dixeris. Item de duplici oblatione, quam quilibet poenitens debet facere pro sui emundatione, ibi: Locutus est Dominus ad Moysen. Item contra prudentes mundi, ibi: Nolite esse prudentes. DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de pugna diaboli contra virum iustum, et quinque militibus ipsum defendentibus, ibi: Apparuerunt adversarii.

Exordium. Sermo contra divites et sapientes huius mundi

1 – In illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutae sunt eum turbae multae. Et ecce leprosus etc. Dicitur in libro Sapientiae: Non herba nec malagma sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat universa. Nota ista duo: herba et malagma. In herba divitiae transitoriae, in malagmate, idest emplastro, sapientia huius mundi designatur. Herbae viror est divitiarum decor, qui aestuante ardore mortis arescit. Unde Iacobus: Dives sicut flos foeni transibit; exortus est enim sol cum ardore, et arefecit foenum, et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit; ita et dives in itineribus suis marcescet. Unde Isaias: Calamus et iuncus marcescet. ‘In calamo, qui interius vacuus, exterius nitidus, vanagloria’; in iunco, qui aquae est bibulus, cupiditas divitiarum designatur, quae in morte marcescent. Unde Isaias: Erit flos decidens gloriae exultationis Ephraim, idest carnalium, qui dicunt in libro Sapientiae: Non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. O miseri! Quid prodest latroni si per virens pratum ducatur ad suspendium? Quid contulit ‘diviti epulatori purpura et byssus, cum post paululum in inferno fuit sepultus?’ Scio, inquit Iob, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti. Ecce habes quod herba divitiarum ab infirmitate peccati animam non sanat, immo potius trucidat. In ea enim non est sanitas, sed venenum, quod expellitur per solius theriacam paupertatis. Similiter, nec malagma sapientiae mundi

confert sanitatem, quia, ut dicit Isaias, Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. ‘In quorum consilium non veniat anima quaerentium Dominum’. ‘Eorum sapientia devorata est’, ‘qui semper addiscunt et numquam ad scientiam veritatis perveniunt’. Quemadmodum Iamnes et Mambres, “sapientes Pharaonis”, restiterunt Moysi, ita et isti resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra non proficient. Quomodo ergo sanitatem conferent qui longe sunt a salute? Non ergo herba divitiarum sanat leprosum, sed, quod deterius est, sanum facit leprosum. Nec malagma terrenae sapientiae sanat ‘puerum paralyticum, sed, quod peius est, ipsum male torquet’. Sapientes, inquit, sunt ut faciant male, bene autem facere nescierunt. Sed omnipotens sermo tuus – Volo, mundare; et: Vade, sicut credidisti fiat tibi –, o Domine, qui sanat leprosum et puerum centurionis paralyticum. De quibus dicitur in hodierno evangelio: Cum descendisset Iesus de monte.

2 – Nota quod, in hoc evangelio duo notantur: leprosi mundatio et pueri paralytici curatio. Primum, ibi: Cum descendisset. Secundum, ibi: Cum autem introisset Capharnaum. In introitu hodiernae missae cantatur: Adorate Dominum, omnes angeli eius. Et legitur epistola ad Romanos: Nolite prudentes esse, quam in duabus particulis volumus dividere et cum duabus evangelii clausulis concordare. Prima particula: Nolite. Secunda: Si esurierit inimicus tuus.

I – De leprosi mundatione

3 – Dicamus ergo: Cum descendisset Iesus de monte. Quid mons et Iesu descensio significent, videamus. Mons est gloriae caelestis aeternitas, de quo in Psalmo: Quis ascendet in montem Domini? Qui a seipso descenderit et se humiliaverit sicut parvulus, iste est qui de monte descendit. Eius descensio in carne fuit humiliatio: Inclinavit, inquit, caelos divinitatis et descendit in uterum Virginis Matris. Quia de hac materia superius in multis locis pertractavimus, ideo, ne sermonis multiplicitas generet fastidium, in eius tractatu plus insistere nolumus, sed ad leprosi mundationem accedamus, quae qualiter fuerit facta et quid moraliter significet, videamus. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum. De generibus leprae et eiusdem significatione require in evangelio de decem leprosis. Leprosus iste peccatorem, mortalis peccati lepra respersum, significat. De quo dicitur in Levitico: Cum color albus in cute fuerit et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur atque inolita cuti. In albo colore superbia et vanagloria, in capillorum mutatione avaritia, in carne viva luxuria designatur. Ecce lepra vetustissima. Dicit Dominus in Matthaeo: Vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et vos, a foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Et, in Actibus, Paulus: Percutiet te Deus, paries dealbate. Item, de mutatione, quam facit avaritia, dicit Iacob in Genesi Liae et Racheli: Pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus. O quoties avaritia mutat capillos, idest mentis cogitationes. Stultus, inquit Ecclesiasticus, idest avarus, mutatur ut luna. “Crescit, decrescit, in eodem sistere nescit”; habet ‘pondus et pondus, minus et maius, et ideo Deo abominabilis’. Unde Michaeas: Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis et mensura minor irae plena. Numquid, “non”, iustificabo stateram impiam, et saccelli

pondera dolosa? In quibus divites eius repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Quot linguae, tot conscientiae. Hoc non est mutatio dexterae Excelsi. Dextera, inquit, eorum repleta est muneribus, et ideo a sinistris ponentur. Item, luxuria dicitur a luxu cibi et potus, quorum affluentia caro viva et petulans luxuriatur. Tali vita omnis vivens non iustificabitur in conspectu tuo, immo condemnabitur. Dicit Rebecca in Genesi: Taedet me vitae meae propter filias Heth, 'qui interpretatur vita'; si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terrae, nolo vivere. Iesus Christus, crucifixus et mortuus, non accepit uxorem vivam sed crucifixam et mortuam. Unde Apostolus: Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Stigmata, inquit, Domini Iesu in corpore meo porto. Caro viva, caro leprosa; cuius vita, non vita, sed mors potius dicenda. Qui huiusmodi est, si vult vivere, veniat ad vitam, sicut fecit leprosus, de quo praemittitur:

4 – Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Nota quod in his tribus verbis, venit, adoravit et dixit: Domine, si vis, notantur contritio, confessio et fides, quae cuilibet peccatori valde sunt necessaria. Qui primo contritione debet venire. Unde in Canticis: Veni de Libano, idest mundanae vanitatis falso candore; et in Apocalypsi: Qui audit, dicat: Veni. 'Qui audit sibilum aurae tenuis' in mente, per internam inspirationem, debet dicere peccatori: Veni, per contritionem. Unde in Isaia: Si quaeritis, quaerite; convertimini et venite. Leprosus ergo veniens adorabat eum. Ecce humilitas confessionis, de qua apertius dicit Marcus: Venit ad eum leprosus, deprecans eum, et genu flexo dixit: Si vis, etc. Sic peccator, cum venit ad confessionem, debet flectere genua coram sacerdote, vicario Iesu Christi, qui eidem ligandi atque solvendi tradidit potestatem; in cuius officii dignitate tantam debet habere confitens fidem, ut ei dicat: Domine, si vis, potes me mundare, et a peccatis meis me absolvere. Sequitur: Et extendens manum tetigit eum, dicens: Voto, mundare, 'imperativo modo'. 'O manus tornatilis, aurea, plena hyacinthis', ad cuius contactum vinculum linguae muti solvitur, archisynagogi filia suscitatur, leprosi lepra mundatur! De qua in Isaia: Omnia haec, inquit, manus mea fecit. "Manus est dicta quasi munus". Extende ergo, o Domine, manum pro munere, quae extensa fuit clavo in cruce, et leprosum tange; quidquid enim ea tetigeris mundabitur et sanabitur. Cum tetigisset, inquit Lucas, auriculam eius, sanavit eum. Extendit manum et dedit emundationis munus, dicens: Volo, mundare; et confestim mundata est lepra eius. Omnia quaecumque voluit fecit. 'Inter ipsius velle et facere, nulla distantia'. Hoc idem quotidie Dominus operatur in anima peccatoris per officium sacerdotis, qui in se ista tria debet habere: extendere, tangere et velle. Manum tunc extendit, cum pro ipso peccatore orationem ad Deum fundit et ipsius compassione se amigit; tangit, cum ipsum consolatur et eidem peccatori veniam promittit; habet velle ut mundetur, cum eum ab ipso peccato absolvit. Istud est illud triplex pascere, de quo dicit Dominus Petro: Pasce, pasce, pasce.

5 – Sequitur: Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris. Hoc illi non dicunt, qui, cum aliquid boni faciunt, tuba ante se canunt, 'quorum sinistra novit quid dextera faciat', qui filiam suam prostituunt, prohibente Moyse ac dicente: Filiam tuam non prostitues. Filia tua, operatio tua, quam tunc in prostibulo ponis, cum ipsam in lupanari mundi pro denario vanaegloriae vendis. O infelix commercium, pro vento humani oris vendere praemium regni caelestis! Vide, nemini dixeris, nemini tua ostenderis. Non sufficit tibi, o frater,

Deus et tua conscientia? Quid tibi et hominis linguae? quae laudanda damnat, et damnanda laudat; quae iustum usque ad inferni profundum praecipitat, impium vero usque ad sedem Dei et Agni exaltat? Vide ergo, nemini dixeris. Unde Ecclesiasticus: Non des aquae tuae exitum, nec modicum. Unde Isaias: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Unde dicitur in quarto libro Regum, quod ad verbum Elisei ivit mulier et clausit ostium super se et super filios suos. Matthaeus: Clauso, inquit, ostio, ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Lucas: Nolite, inquit, transire de domo in domum. Vide ergo, nemini dixeris. Natura posuit duplex ostium ante linguam, scilicet dentes et labia, ne meretrix, semper publicum diligens, egrediatur in plateam, garrula et vaga, quietis impatiens. Claude ergo dentes, comprime labia, ne meretrix egrediatur ad lupanar, unde Ecclesiasticus: Non des mulieri nequam veniam prodeundi, et sic praeceptum adimplebis: Vide, nemini dixeris. Sequitur: Sed vade, et ostende te sacerdotibus. Ista tria verba et ipsorum significationem quaere in evangelio de decem leprosis: Dum iret Iesus in Ierusalem.

6 – Sequitur: Et offer munus quod praecepit Moyses in testimonium illis. Unde dicitur in Levitico: Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad sacerdotem, qui, egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam, praecipiet ei qui purificatur, ut offerat pro se duos passeres vivos, quibus vesci licitum est; et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum. Et unum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili, super aquas viventes; alium autem vivum, cum ligno cedrino et cocco et hyssopo tinget in sanguinem passeris immolati, quo asperget illum qui mundandus est, septies, ut iure purgetur; et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet. Et assumet, vel offeret, duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similae in sacrificium, quae conspersa sit oleo, et olei sextarium. Quod si pauper est, et non potest manus eius invenire quae dicta sunt, sumet agnum pro delicto, decimamque partem similae conspersae oleo in sacrificium et olei sextarium, duosque turtures sive duos pullos columbarum, quorum unus sit pro peccato, et alter in holocaustum. Offeretque ea sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino. Quid haec moraliter significent, videamus. Nota quod, duo sunt genera poenitentium, qui a lepra peccati sunt mundati: unum est in religione, alterum in saeculo. Religiosi primam debent facere oblationem. Alii, scilicet coniugati et viri catholici, quos cura rei saecularis occupatos detinet, qui non tantis virtutum divitiis abundant, debent facere secundam. Duo passeres vivi sunt corpus et spiritus viri religiosi, qui dicere potest cum Apostolo: Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus. Hos passeres offert pro emundatione sua Domino, unde in libro Iudicum: Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. Qui ascenditis super nitentes asinos et sedetis in iudicio et ambulatis in via. Nitentes asini sunt corpora religiosorum, 'qui portant pondus diei et aestus', qui tamquam asini grossis et asperis debent pasci. Cibaria, inquit Ecclesiasticus, et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo, idest religioso, qui sedet in iudicio, cum obedit suo praelato, et ambulat in via, de qua Ieremias: 'Haec est via, ambulate in ea', quae dicit: Ego sum via, veritas et vita'. Debet offerre et lignum cedrinum, in quo paupertas, et vermiculum vel coccum, in quo caritas, et hyssopum, in quo humilitas designatur. Alta cedrus paupertatis, 'quae odore suo fugat serpentes' avaritiae et rapinae, conformatur 'hyssopo humilitatis, quae tumorem pulmonis expellit mediante vermiculo geminae caritatis'. Et unum ex passeribus, idest corpus, immolabit,

ut dicat cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo'; et iterum: Ego, inquit, iam delibor', 'idest in sacrificium offeror'. In vase fictili. Habemus, inquit Apostolus, thesaurum istum in vasis fictilibus. Super aquas viventes, idest compunctionem lacrimarum, quae tunc sunt viventes, 'cum pro irriguo superiori et inferiori effunduntur'. De quibus Zacharias: In die illo exibunt aquae vivae de Ierusalem, idest corde poenitentis, medium earum ad mare orientale, ecce irriguum superius; et medium earum ad mare novissimum, ecce irriguum inferius. Mare orientale est amaritudo pro splendore lucis aeternae; mare novissimum est amaritudo pro perpetratione proprii peccati, incolatu exilii, peccato proximi. Religiosus ergo passerem in vase fictili super aquas viventes immolat, cum corpus suum cum vitiis et concupiscentiis crucifigit et, in amaritudine animae suae, vitae fragilitatem, exilii calamitatem recogitat. Sequitur: Alium autem vivum etc. Passer vivus est spiritus, qui cum ligno cedrino paupertatis et cocco caritatis et hyssopo humilitatis debet tingi in sanguine passeris, idest corporis, in ara poenitentiae immolati. Corporis enim afflictio et maceratio, quae in sanguine designatur, mundat et sanctificat spiritum, et sic alis contemplationis avolat, cum virtutibus supra dictis, in agrum, idest caelum. Sequitur: Et assumet duos agnos immaculatos etc. In duobus agnis spiritus et corporis mansuetudo, in ove totius operis simplex et pura intentio, in tribus decimis similae triplex obedientia, scilicet superioris, paris et inferioris, in olei sextario misericordiae sex opera designantur. Haec est oblatio, quam quilibet religiosus debet offerre pro sui peccati emundatione. Sequitur: Quod si pauper est etc. In agno innocentia vitae, in decima parte similae perfectio caritatis aeternae, in olei sextario misericordiae, ut supra dictum est, sex opera, in duobus turturibus sive columbis duplex gemitus contritionis, quem debet habere peccator pro commissis et omissis. Haec est oblatio quam, pro sui peccati emundatione, coniugati et alii boni viri, adhuc in saeculo positi, debent Domino offerre, ut scilicet innocenter vivant, proximum diligant, operibus misericordiae intendant, pro commissis et omissis se conterant. Dicamus ergo: Vade, ostende te sacerdotibus, et offer munus, quod praecepit Moyses in testimonium illis.

7 – Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Carnis prudentia, animae lepra. Prudentia, inquit, carnis mors est. Dicit Isaias: Sapientia tua et scientia tua haec decepit te. Et Ieremias: Sapientes, inquit, sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, qui, ut dicit Iob, adducit consiliarios in stultum finem, et iudices in stuporem. Unde dicit in Abdia propheta: Perdam sapientes de Idumaea et prudentiam de monte Esau. "Idumaea, sanguinea"; "Esau acervus lapidum interpretatur". Idumaei sunt legistae et decretistae, qui sanguinem pauperum emungunt. Isti sunt 'duae filiae sanguisugae – "idest diaboli" –, quae semper dicunt: Affer, affer, et numquam: Sufficit'. Mons Esau est dignitas clericorum, qui in Ecclesia Christi sunt quasi acervus lapidum, viam, tamquam lapides in miliario, aliis ostendentes, sed ipsi duri, insensibiles et immobiles remanentes. Idumaeorum sapientiam et istorum prudentiam Dominus perdet. Nolite ergo prudentes esse apud vosmetipsos. Sequitur: Nulli malum pro malo reddentes, ecce mansuetudo et innocentia, quae in supradictis agnis immaculatis designantur. Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, ecce olei sextarium, idest opera misericordiae. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, ecce ovis absque macula et decima pars similae oleo conspersa. Non vos defendentes, carissimi, sed date locum irae, ecce pulli

columbarum, quae carent felle. Mihi vindictam, ‘supple: reservate’, et ego retribuam, dicit Dominus, qui in die retributionis iudicabit pro mansuetis terrae, idest turturibus et pullis columbae, idest poenitentibus et humilibus sanctae Ecclesiae, qui supradictam oblationem offerunt pro suae leprae emundatione. Rogemus ergo, fratres carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum, ut a lepra superbiae et vanaegloriae, luxuriae et avaritiae nos emundet, qua supradictam oblationem offerre et, emundati delictis omnibus, in caelesti templo ipsi praesentari mereamur, qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

II – De pueri paralytici curatione

8 – Sequitur secundum. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum etc. De hoc nomine Capharnaum et ipsius significatione quaere in evangelio: Erat quidam regulus etc. Dominus “ad filium reguli noluit ire, ne divitias honorare videretur; ad centurionis vero servum mox ire consensit, ne servilem conditionem spernere videretur”. Unde ait: Ego veniam, et curabo eum. Ecce medicus noster, “qui solo sermone curat universa”, de quo Ecclesiasticus: Honora medicum propter necessitatem. Et respondens centurio ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum etc. Zachaeus autem ‘gaudens Dominum recepit’. In quibus diversitas intentionum notatur. Quidam ob reverentiam corporis Christi dicunt: Domine, non sum dignus etc., unde frequenter ab Eucharistiae sumptione se abstinent; alii autem, honorando corpus Christi, gratanter recipiunt. Unde AUGUSTINUS: “Quotidie accipere Eucharistiam nec laudo nec vitupero”, ‘quoniam, qui honorando non audet quotidie sumere, honorando non audet ullam diem praetermittere’. Sequitur: Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: Vade, et vadit etc. Ex hoc probatur quod “ille sine corporis praesentia potest dicere infirmitati ut recedat, sanitati ut veniat, cui omnes angeli ministrant, obediunt et adorant”. Unde dicitur in introitu hodiernae missae: Adorate Deum, omnes angeli eius, etc. Audiens autem haec Iesus miratus est; et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, quoniam non inveni tantam fidem in Israel, idest in populo israelitico “praesentis temporis; inveni tamen in antiquis”, scilicet patriarchis et prophetis. Excipitur et beata Virgo et discipuli, quibus maior fides divinitus collata est. Sequitur: Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, ‘scilicet gentiles, quorum figuram gerit centurio, ad fidem catholicam’, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum, “idest requiescent” cum aliis salvandis; filii vero regni, “idest Iudaei”, eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. ‘Fletus pro ardore, stridor pro frigore, quia, ut dicit Iob, transibunt ab aquis nivium in calorem nimium’, quia in inferno est ignis inextinguibilis et frigus intollerabile, quas poenas Dominus hic innuit. Sequitur: Et dixit Iesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi, ‘quoniam secundum mensuram fidei unicuique datur quod postulat’. Et sanatus est puer ex illa hora. Omnipotens sermo tuus, Domine, leprosum mundavit et puerum sanavit.

9 – MORALITER. ‘Centurio militibus stipatus significat praelatum vel quemlibet iustum, qui virtutibus tamquam militibus debet esse munitus’. Unde dicitur in secundo libro Regum: Omnis populus et universi bellatores a dextro et a sinistro latere regis David incedebant; et iterum: Universi servi regis ambulabant iuxta eum, et legiones Cerethi, ‘idest exterminatores’, et Phelethi, ‘idest vivificatores’, in quibus virtutes designantur,

quae vitia exterminant et animam vivificant. Unde dicitur in secundo libro Machabaeorum, quod, cum Iudas Machabaeus et Timotheus convenissent in proelium et vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de caelo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudaeis praestantes; ex quibus duo, Machabaeum medium habentes, armis suis circumseptum, incolumem conservabant, in adversarios tela et fulmina iaciebant, ex quo et caecitate confusi et repleti perturbatione cadebant. "Timotheus interpretatur beneficus", 'et significat diabolum, qui mundi amatoribus modo videtur beneficus, sed postea temporis erit veneficus', ut quem habuerunt incentorem in culpa, habeant tortorem in poena. Hic, congregato exercitu vitiorum, convenit ad impugnandum Machabaeum, idest virum iustum, inter quos, cum vehemens pugna fit, ecce de caelo, idest caelesti pietate, apparent quinque viri, idest quinque virtutes, quae sunt humilitas mentis, castitas corporis, amor paupertatis, excellentia geminae caritatis, propositum perseverantiae finalis. Hae, in equis bonae voluntatis – Equus, inquit Salomon, paratur ad bellum, et Dominus salutem tribuit –, frenis abstinentiae et disciplinae, aureis discretione, Iudaeis, idest poenitentibus, ducatum praestant; adversariis, idest daemoniis et vitiis, exitium parant. Ingressus enim virtutis egressum vitii operatur. Humilitas a cordis elatione, castitas a corporis corruptione Machabaeum, idest virum iustum, incolumem protegunt et defendunt. Quicumque talibus fuerit militibus munitus, bene poterit dicere huic, idest humilitati mentis vel patientiae: Vade ad omnimodae subiectionis obedientiam, ad omnis iniuriae tolerantiam; et vadit, quia PHILOSOPHUS: "Gaudet patientia duris" – Supra dorsum, inquit, meum, idest patientiam meam, fabricaverunt peccatores –; et alii, idest castitati vel abstinentiae, veni ad refrenandum gulae appetitum, carnis lubricum, et venit. Hoc idem intellige de ceteris virtutibus.

10 – Sequitur: Et servo meo: Fac hoc, et facit. Servus viri iusti est caro, de quo in Ecclesiastico: Servo malevolo tortura et compedes; mitte illum in operationem, ne vacet: multas enim malitias docuit otiositas. Et, quam felix est qui habet servum sic sibi subiugatum, ut his quae iuste sibi praecipiuntur obediat; cum dicatur ei: Ieiuna, et ieiunat; Vigila, et vigilat, et sic de aliis. Tunc servo suo vir spiritualis dicit: Fac hoc, et facit. Puer centurionis est parochianus pastoris, qui paralysi male torquetur; quandocumque enim vitiis et deliciis resolvitur, violenter a diabolo retinetur. Praelatus igitur, qui virtutibus vallatus fuerit, servum suum, idest carnem, viriliter domuerit, sanitatem puero exemplo centurionis poterit impetrare. Nota quod, sicut in hoc evangelio excellentissima patet Dei misericordia, pietas et caritas circa leprosum et paralyticum, sic in secunda clausula hodiernae epistolae, patet misericordia et caritas, quam debemus habere circa quemlibet nostrum proximum. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Sicut fecit Eliseus, qui, ut dicitur in quarto Regum, 'coram inimicis suis, se capere quaerentibus, poni iussit panem et aquam, ut comederent et biberent'. Hoc enim faciens, carbones ignis, "idest caritatis", congeres super caput, "idest mentem", eius. Frigidae mentis malitia igne caritatis succenditur, cum is qui odit diligitur, cum is qui persequitur beneficiis praevenitur. Hominis enim natura erubescit se diligentem non diligere, sibi devote famulantem caritatis brachiis non amplecti. Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut supradictis militibus nos muniat, puerum paralyticum curet, igne caritatis mentem frigidam inflammet. Quod nobis praestare dignetur, qui est benedictus, laudabilis et gloriosus in saecula. Dicat omnis a paralysi curata anima: Amen. Alleluia.

DOMINICA III POST OCTAVAM EPIPHANIAE

Themata sermonis

Evangelium in ultima dominica: Ascendente Iesu in naviculam. Thema sermonis de praedicatore et peccatorum congregatione, ibi: Ascende in silvam. Item in Passione, ibi: Ascendente Iesu in naviculam. Item de tentatione diaboli et succursu Iesu Christi, ibi: "Cum in naviculam poenitentiae".

Exordium. Sermo de praedicatore et congregatione peccatorum

1 – In illo tempore: Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius etc. Dicitur in libro Iosue: Ascende in silvam et succide tibi spatia in terra Pherezaei et Raphaim. Silva est sterilis congregatio peccatorum, frigida, obscura, bestiis plena. Frigida propter defectum caritatis: 'Abundavit enim iniquitas et refriguit caritas'; obscura propter defectum veri luminis: Dilexerunt, inquit, homines magis tenebras quam lucem; plena bestiis gulae et luxuriae, usurae et rapinae: Exterminavit, inquit, eam aper, "idest diabolus", de silva etc. In hac silva est 'venator Nemrod', "idest diabolus". In hanc ergo silvam ascende, o praedicator, et 'illa securi, cuius manubrium humanitas, cuius est ferrum divinitas', succide tibi spatia. Securis, inquit, ad radicem posita est. Arbor mundanae altitudinis, silva sterilis et peccatricis congregationis succiditur securi dominicae Incarnationis. Cum enim attente attendit caput divinitatis inclinatum in gremio pauperculae Virginis, a sui status virginitate cadit; et sic fit locus spatiosus, in quo aedificatur 'civitas Domini virtutum, quam fluminis impetus laetificat'. 'Haec est mutatio dexterae Excelsi', ut 'ubi abundavit delictum superabundet et gratia'. In terra, inquit, Pherezaei, "qui interpretatur separatus", et Raphaim, "qui interpretatur gigantes", vel "dissolutae matres". In hac triplici interpretatione maledictus ternarius designatur, scilicet superbia, avaritia, luxuria. Superbi animi fastu a ceteris separantur; avari sunt quasi gigantes, terrae filii, terrenis dediti; luxuriosi sunt tamquam matres dissolutae, duobus uberibus, scilicet gula et luxuria, carnis affectus nutrientes. Ad succidendum ergo hanc silvam, in tali terra radicatam, praedicator ascendat, sequens vestigia ascendentis in naviculam, de quo dicitur in hodierno evangelio: Ascendente Iesu in naviculam.

De navicula crucis et poenitentiae

2 – "Navicula est crux Iesu Christi, cuius beneficio ad litus caelestis patriae pervenimus". Et nota quod, sicut navis principio et fine est stricta, medio vero lata, sic crux principio et fine, idest manuum et pedum clavis affixione et emissione, stricta, idest angustiis plena fuit; medio vero, idest cum pro crucifixoribus oravit, latroni regnum promisit, discipulo matrem commendavit, quodammodo lata fuit. De hac navicula quaere in evangelio: Ascendens Iesus in naviculam, transfretavit etc. Secuti sunt eum discipuli eius. Hoc est quod dicit Dominus in Ieremia: Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. Beata illa anima, quae potest dicere ad Iesum quod dicit Ruth ad Noemi: Quocumque perrexeris, pergam, ubi morata fueris et ego pariter morabor. Et Elias in tertio Regum: Si

Dominus, inquit, est Deus, sequimini eum. Vere ipse est Dominus Deus noster, qui, ut nos redimeret, crucem ascendit. Sequamur ergo ipsum, crucem poenitentiae baiulantes. Si quis, inquit, vult post me venire etc. Dicitur in NATURALIBUS quod 'panthera est suavissimi odoris, quo armenta mire afficit, et ideo ubicumque eam persenserint, properato conveniunt, ipsamque sequuntur'. 'Alabastrum unguenti, in cruce confractum, odore suo replevit totum mundum'. Sequantur ergo discipuli, currant christiani in odorem Crucifixi. Secuti sunt eum discipuli eius. Dicitur in quarto libro Regum: 'Cum filii prophetarum caederent ligna, accidit quod uni ferrum securis cecidit in aquam, et exclamavit ad Eliseum et dixit: Heu, domine mi, hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem Eliseus: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Accepit ergo lignum et misit illuc; natavitque ferrum, et ait: Tolle. Qui extendit manum suam et tulit illud'. Ferrum significat humanum genus, quod, ponderositate peccatorum, a ligno vetito in aquas miseriae et culpae cecidit. Sed verus Eliseus, 'scilicet Christus', per lignum crucis et aquas Baptismatis ipsum liberavit. Ferrum etiam ad lignum enatat, quando peccator conversus ad crucem Christi portandam se subiugat. Sequitur: Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. Quando Iesus somno mortis in cruce dormivit, discipuli eius, quasi crucem pro nihilo reputantes, a fidei firmitate recesserunt; sed 'suscitaverunt eum, dum resurrectionem quaerunt. Increpavit eorum incredulitatem dicens: O stulti et tardi corde ad credendum. Nonne sic oportuit pati Christum? etc.' Imperavit ventis et mari, cum cessavit incredulitas.

3 – MORALITER. Cum in naviculam poenitentiae quis ascendit, motus magnus fit in mari. Mare est cor – 'Profundum, inquit Ieremias, est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud?' Mirabiles elationes maris! –, cum per superbiam inflatur, per ambitionem ultra terminos dilatatur, per tristitiam obnubilatur, per cogitationes vanas perturbatur, per luxuriam et gulam spuma generatur. Haec sunt reptilia quorum non est numerus. Ecce motus magnus in mari. Unde habes concordantiam in Iona propheta: Dominus misit, idest mitti permisit, ventum magnum in mari, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. Et timuerunt valde, et mare ibat et intumescebat super eos. Simile quid in Actibus apostolorum: Misit se, inquit Lucas, contra navim ventus typhonicus, qui euroaquilo vocatur; cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave fluctibus, ferebamur. Illi soli maris motum, venti impetum, sonitum fluctuum sentiunt, qui poenitentiae naviculam ascendunt, quia qui dissentit sentit. Unde Moyses in Exodo: Ex eo, inquit, quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer de nomine tuo, affixit populum tuum Pharao. Idest: diabolus contemptus surgit in scandala et excitat tempestatem in mari. Unde Marcus: Et clamans et multum discerpens eum, exiit ab eo.

4 – Sequitur: Ipse vero dormiebat. Marcus sic dixit: Et erat ipse in puppi, super cervical dormiens. Quid Christi dormitio, puppis et cervical significent, videamus. Christi dormitio, fidei torpor; puppis, nostrae vitae finis; cervical, mollities carnis. Fides Christi torpet in carnis mollitie. Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? 'Molles, inquit, regnum Dei non possidebunt'. Cum caro nostra deliciis mollescit, fides Christi in nobis torpescit, et sic anima in puppi oculos claudit, quia, deliciis intenta, suae vitae miserabilem exitum non attendit. Sequitur: Accesserunt et suscitaverunt eum discipuli eius, dicentes: Domine, salva nos; perimus. Sine dubio perit, in quo fides Christi dormit.

Accessu ergo devotionis et clamore confessionis et manu sanctae operationis debet suscitari. Tunc, surgens, imperavit ventis et mari. Simile quid dicit in Iob: Quis conclusit ostiis mare? Et dixi: Hucusque venies, et amplius non procedes, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Quasi dicat: Solus Dominus mare, idest amaritudinem persecutionis vel diabolicae tentationis, quibusdam ostiis concludit; ut, cum sibi placuerit, tentationes veniant, cum placuerit recedant. Et, cum tentationem cessare facit, dicit: Hic confringes tumentes fluctus tuos. Unde Isaias: Computrescet iugum a facie olei, idest, 'cessabit tentatio a praesentia misericordiae Iesu'. Unde, cum a diabolo tentamur, ita debemus cum mentis devotione dicere: In nomine Iesu Nazareni, qui imperavit ventis et mari, impero tibi, diabole, recede a me. Et facta est tranquillitas magna. Hoc est quod dicit Anna, in libro Tobiae: Pro certo habeo, Domine, omnis qui colit te, quia vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam pervenire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis; et post lacrimationem et fletum, exultationem infundis.

5 – Et quia cordis tranquillitas sine proximi dilectione non potest haberi, quia ubi dilectio ibi nec ira, nec indignatio, ideo ad ipsam habendam nos invitat Apostolus in hodierna epistola, dicens: Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. Plenitudo ergo legis est dilectio. Dilectio est dicta quasi duos liget. Dilectionis debito omni homini sum ligatus, ad quod persolvendum semper teneor. Quod si persolvo prout debeo, de cetero nemo mihi molestus sit, quia nemini quicquam praeter istud solum debeo. Quicumque aliud nisi istud a me postulat, iam non secundum dilectionem ambulat: Dilectio, inquit, proximi malum non operatur.

EPILOGUS

Tibi, Iesu Christo, Dei Patris Filio dilecto, qui operaris omne bonum nostrum, omnis laus, omnis gloria, omnis honor, omnis reverentia, qui es 'Alpha et O[mega], principium et finis', qui tuae misericordiae benignitate, tuae pietatis infusione, concessisti mihi indigno ad diu optatum huius operis finem pervenire. Eia ergo, fratres carissimi, ego omnium vestrum minimus, vester frater et servus, ad vestram consolationem, fidelium aedificationem, in peccatorum meorum remissionem, utcumque hoc opus evangeliorum per anni circulum composui. Unde supplex deprecor et deprecans supplico, ut quando in hoc opere legeritis, mei, vestri fratris, memoriam Deo Dei Filio, qui se Deo Patri obtulit in crucis patibulo, offeratis. Rogo etiam, ut si quid in hoc opere aedificatorium, consolatorium, bene dictum, ordinate compositum inveneritis, ipsi beato et benedicto Iesu Christo, Dei Filio, omnem laudem, omnem gloriam, omnem honorem referatis. Si quid vero incompositum, insipidum, minus bene dictum inveneritis, meae miseriae, meae caecitati, meae insipientiae imputetis. Et quidquid in hoc volumine inventum fuerit ad radendum, corrigendum, limae discretionis sapientum Ordinis committo clarificandum et emendandum. Laus Patri invisibili, laus sit Sancto Spiritui, laus Iesu Christo Filio, caeli et terrae Domino. Amen. A[lpha] et O[mega]. Sit gloria, sit honor et reverentia, sit laus et benedictio sine fine principio. Amen.